Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Weise, Christian,

Christiani Weisii Doctrina Logica Duabus Partibus sic comprehensa, Ut Prior Notitiam Propositionum, Syllogismorum & Terminorum Simplicium; Posterior Ipsam Praxin, in Definitione, Divisione, Demonstratione, Methodo, Interpretatione & Disputatione necessariam exhibeat: Exemplis ut plurimum

Lipsiæ Anno 1719

Ph.sp. 927 b
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10044727-3
VD18 11051671



Ph. sp. 927^b
Weise

<36609072900011

<36609072900011

Bayer. Staatsbibliothek

Ph. S. ~~934~~ 927[b]
J. 308[2]

Philos. Logica. Instit. 778.

R


VERITAS
probata
inventa
quæsita

CHRISTIANI WEISII
DOCTRINA LOGICA,
DUABUS PARTIBUS
sic comprehensa,

Ut

PRIOR

Notitiam Propositionum, Syllogismorum & Terminorum Simplicium;

POSTERIOR

Ipsam Praxin, in Definitione, Divisione, Demonstratione, Methodo, Interpretatione & Disputatione necessariam exhibeat:

EXEMPLIS *ut plurimum* ***POLITICIS*** *illustrata,*

Rebusque ORATORIIS sedulo accommodata.

Juxta

EXEMPLAR ZITTAVIENSE

recusa.

CUM PRIVIL. REGIS POLON. & ELECT. SAX.

LIPSIÆ,
Sumptibus Jacobi Schusteri.
Anno 1719.

a.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

VIRO
NOBILISSIMO
Dn. JOH. CAROLO JUSTO,
SENATORI APUD ZITTAVIENSES PRIMARIO,
EJUSDEMQUE REIP. ACTUARIO,
FAUTORI HONORATISSIMO ET DILECTISSIMO
S. D.
CHRIST. WEISE.

MIraberis forte, Fautor honoratissime, Nomini Tuo destinari libellum hunc Logicum, h. e. Scholasticum, & à splendidioribus Tuis negotiis quàm maximè alienum. Idq; tanto magis, si animo recolligas, quantum ego etiam in operis meis Scholasticis ab eorum consuetudine soleam abhorrere, qui nihil propo-

nunt ſuo loco, nec prius æſtimant perſonas quam dicere quid aggrediuntur. Sed ſi cognoveris, cujus Tu Perſonā nunc jubearis ſuſtinere, nec Tuo judicio, nec quorumlibet aliorū opinione dedicationis hoc conſilium videbitur intempeſtivum. Circumſpicienti enim, quis harum paginarum Arbiter & Judex eligi poſſet è Viris celeberrimis, inter primos ſuccurrebat Vir, & ſine titulo Splendidiſſimus Dn. VALENTIN. ALBERTI, SS. Theol. Doctor, ejusdemq; Extraordinarius, Logicæ vero & Metaphyſicæ Profeſſor Ordinarius, de quolibet literarum ſtudio meritiſſimus; Cujus ſive ſpectaretur inter Homines clariſſimos Auctoritas, ſive inſignis erga meam tenuitatem benignitas; optimè conſultum fuiſſet umbratilibus meis theſibus, ſi honorificum ab Ejus Nomine acceſſiſſet umbraculum. Aſt,

quæ temporum præſentium eſt calamitas, publica iſta commerciorũ faſtidia, in ipſo curſu impedimentum injiciunt. Quantum enim ſub repetitis funeribus laboret Lipſia, nobis merito chariſſima, fama nunc confirmat, auctoritatibus non dubiis ſuffulta: Quantis vero ſuſpicionibus noſtra paſſim deformetur Zittavia, quantis etiam timoribus nos exponat Vicinorum clades, nemo neſcit, niſi quem fugiunt omnia. Sic nemo eſt, qui frequentare velit nundinas per orbem celebratiſſimas: penè dixerim, nemo eſt, qui ulterius faſciculos non adſpiciat oculis timidioribus. Quamobrem domi quærendus fuit Teſtis; quem intima Excellentiſſ. ALBERTI Amicitia redderet commendatisſimum: ſiquidem tacere non poſſum, quin ſcribendi meum conſilium, omnisque ſuſcepti laboris cauſa, Auribus be-

nignioribus committatur. Spero autem daturum Te operam, ut, sin minus ad Illum perferatur hic libellus, meam tamen observantiam & intelligat, & judicio prosequatur benevolentissimo.

Cæterum primò scire volent aliqui, cur in tanta Logicarum copia de augendo numero cogitaverim? sive enim supervacui hoc laboris est, sive ambitionis, quæ Antecessorum studia videatur contempsisse: utrinque decorum violari contendent Eruditorum Areopagitæ. Sed est, quod me excusat. Tertius enim jam annus volvitur, ex quo patrium Gymnasium dirigere jussus, Logicam simul cognovi profectibus Auditorum maximè necessariam. Et conscripserat quidem B. Keimannus, Antecessor meus & Præceptor succinctum Logices Compendium, cujus ego tyrocininia, multum

adhuc puer, cum aliis cognovi ſatis commoda. Sed annis abhinc novendecim, defuncto Viro Clariſſimo, emerſit exemplarium inopia, ut partim regnaret Scharfius, ob varias editiones juventuti, ad ſimilem paginam revocandæ, non ſemper addictus; partim è dictatis confusè exceptis depromerentur exercitia. Quid facerem ego? Jam in Auguſteo Weiſſenfelſenſi domeſticis meis Auditoribus ſcriptas hujus generis regulas commiſeram, ut ſi dictando cuperem horas conſumere, ſatis amplus ſcribendi campus aperiretur. Neque deerat maxima docendi commoditas, ſi liceret principiis ſemel probatis inhærere: nam quæcunque demum Logica ſubſtitueretur, magna imminebat moleſtia, perluſtrandi, examinandi, comparandi, cognoſcendi ſcriptum aliena manu,

alieno animo, fortè alienis paululum principiis conceptum. Quid? quod aliqui nimis Academici & difficiles, aliqui nimium triviales & aperti, meum profitendi modulum vel excederent, vel non attingerent.

Sed à consilio me avocabant scribentium mendæ, sive eos deciperet ignorantia, sive auscultandi negligentia: Quin etiam aliquorum displicebat scriptura, quæ, quo magis discedebat à typorum puritate, tanto minorem repetendi jucunditatem videbatur polliceri. Sic meis sumptibus Librum tumultuariè ordinatum tradidi Typographo, simulque prospexi, ut typis elegantioribus commendaretur Latinitas, si Vernacula Patronorum subsidiis jam eniteret splendidius. Nam an his meditationibus uti velint alii, pa-

rum moror, qui ſatis habeo, conſentire meos Auditores in una diſcendi formula.

Sed nova me premit adverſitas. Parti enim, quæ merito vocaretur theoretica, ſubjeci practicam: detectis demonſtrandi, ordinandi, interpretandi, diſputandi artificiis, quæ communiter à Logicis non tam negliguntur, quàm libero cuivis judicio relinquuntur. Sane hanc operam nemo dixerit diſcentibus inutilem: at an Academicos ejusmodi labores occupare debeat circulus Gymnaſticus, multi vel intempeſtivum dicent, vel ſuperfluum. Interim nec hic quidem abſuit cauſa, quæ cunctabundum impelleret. Nam ſi omnes ad unam normam expolire, omnes ex voto expolitos ſtudiis ſuperioribus commendare liceret; quis à me

poſtularet laboris velut ſpontanei augmenta? Sed poſtquam juvenes in trivio exculti vel Parentum tarditate, pene dixerim avaritia, annis adhuc Scholaſticis mancipantur vel hoſpitiorum liberalium dulcedine allecti, Academicas anguſtias reformidant; vel etiam Præceptoris aliqua opinione tacti, humaniorum literarum culturam relinquere nondum ſuſtinent: cur iſtos fruſtra patiar adeſſe? cur crambe bis cocta eosdem vel tardos reddat, cum nova non afferuntur, vel ſuperbos, cum omnia ſe cognoviſſe, è repetitis næniis augurantur? Habeant igitur meliorem diſcendi occaſionem, quicunque plumis & ſubſidiis non deſtituuntur. Sed fruantur mea paupertate, quibus adhuc clauditur Corinthus. Forte quosdam offendat tractatio nimium inclinans ad Uſus Oratorios, Rhetoricæ potius relinquendos. Et fateor Oratoriæ & Politicæ olim me Profeſſorem, in id incubuiſſe præ cæteris, ut Logicam, elegantiſſimarum diſciplinarum conjunctione ſinguli cognoſcerent elegantiorem. Sed an laudandi potius fuerint Chimærarum Architecti, per quos publica velut

infamia laborare vidimus Logicam ? an eliminatis ineptiis, quas vitæ communis uſus comprobat nullus, ea ſectari potius eſt, quæ Politicum exornant, Oratorem ſublevant, univerſæ Eruditionis Sectatorem confirmant? At enim ſatius fuiſſet librum eligere jam in Academiis receptum, cui adſuefacti Auditores, ſuis olim Profeſſoribus laborem redderent multo faciliorem? Fateor, id fuiſſe commodius, niſi adhuc de optima Logica litem indeciſam haberent Academiæ: quibus ſæpè tot arrident Auctores, quod inter privatos parietes inclareſcunt Magiſtri. Et ſecuri quidem adverſus hanc difficultatem erunt Auditores mei, quibus ſubinde inculcare ſoleo Methodum, quam voco Irenicam, ut, ſi vel maximè in verbis oriatur diverſitas, in ſenſu retinere concordiam nitantur. Nam quicquid doceatur in Oriente, quicquid in Occidente, quibus utrinque laboretur diſſidiis; mei diſpicient de nucleo, rejectis næniarum & argutiarum putaminibus.

Unicum fateor à me fuiſſe neglectum. Nam ad terminorum Logicorum notitiam ſæpe multum contribuit Lingua Græca: cujus

cujus tamen cur nulla extent veſtigia, tum fuſoris effecit tarditas, qui formularum ſpem fecerat feſtinantiorem, tum ipſa hæc viarum publicarum incommoditas.

Talia vero Excellentiſſimo Amico Tuo, Vir Nobiliſſime, expoſiturus eram multo luculentius, niſi acerba tantorum hominum conditio, moleſtiorem ſcribendi materiam relinqueret. Quoties enim linea effluit calamo, toties memoriam ſubit unus vel alter ex Amicis aut Fautoribus, quorum ego fortunam cuperem eſſe florentiſſimam. Sed ſtatuet Deus his terroribus ſuum terminum, ne Patriam deſerat optimus ille Religionis & Eruditionis theſaurus. Retineat Lipſia ſuum ALBERTUM, multorum voto, ſublimioribus officiis deſtinatum. Retineat alios eodem curſu, eadem dexteritate & felicitate celebres. Et, ſi nunc avaris precibus indulgere fas eſt, reſervet Deus hanc mihi lætitiam, ut eosdem ſpectare liceat incolumes. Ut amplectar meum FELLERUM, gratuler RECHENBERGIO, Lipſiæ redditum intuear MENCKENIUM. Denique ut precum mearum efficaciam experiar in ITTIGIO & LANGIO, quorum uterque, priſco Commilitii

litii ac Hoſpitalitatis jure, me reddidit devinctiſſimum. Quid? ut communis Zittaviæ noſtræ Amicus & Fautor TELLERUS ſæpe aut nos ſpectare poſſit, aut à noſtratibus ſpectari queat, ſalvus, conſtans, lætus, auctus & honoratus.

Neque ingratum Tibi fuerit legere Nomina per vitam dulciſſima, poſtquam ſola fere cogitandi libertas videtur reliqua. Et faciet certè Deus, ne jucundiſſima hæc libertas domeſticis periculis omnino turbetur. Fruimur aëre ſatis benigno; Numerus Exequiarum præteritorum annorum funera nondum adæquat; alter alterius vultum non refugit: Uno vero ſumus felices, ſi futura reſpondeant præſentibus. Ego interim fuero felix, ſi Tu, Amicorum Lipſienſium facilè præcipuus, florem perpetuum, ſanitatem illæſam, ac eventus publicè & privatim hilares teſtari queas. Cur enim ſub his Fautoribus Gymnaſium non effloreſcat? Vale.

Feſtinabam è Muſeo Gymnaſii
d. 5. Octobr. 1680.

LECTOR BENEVOLE,

LIcet non exigua fuerit cura noſtra, ut nullo Sphalmate corruptum, prioribus certè editionibus multùm emendatius, opuſculum hoc prodiret; imbecillitatis tamen humanæ probè conſcii, non dubitamus, quin eventus aliquando ſpem fefellerit. Neque mirum, quia nemo usque adeo Argus eſt, ut non aliquid ſubrepat invito. Tu, qui pro humanitate Tua levia, quæ vix morari diligentiam poterunt, nobis ultrò condonabis, opere hoc feliciter utere. Vale.

B. C. D.

PRÆPARATIO.

I.

LOgica eſt diſciplina inſtrumentalis, informans intellectum ad modum ſciendi, h. e. *ad melius capiendas atque tractandas reliquas diſciplinas.*

† Sufficiat hoc à tyronibus intelligi, qui primò aggrediuntur Logicam. Reliquæ enim controverſiæ aut parum proſunt, aut meliùs tractantur in fine; poſtquam ſcilicet diſcentes experiendo naturam diſciplinæ cognoverunt.

II. Intellectus informandus tres habet Operationes, Primam, Secundam, Tertiam.

III. Prima cognoſcit terminos ſeu voces ſimplices ſine affirmatione & negatione.

Secunda cognoſcit terminos complexos ſeu Enunciationes, in quibus occurrit Affirmatio vel Negatio.

Tertia è certis Propoſitionibus conſtruit Argumentum ſeu Syllogiſmum.

† An oporationem mentis quatenus vocare liceat METHODUM, quâ certi thematis diſpoſitio & tractatio dirigitur, alii diſputent. Certè Methodus trium Operationum conjuncta exercitatio eſſe videtur.

IV. His operationibus Logica introducit rectitudinem,ut ſine metu erroris concipere, dividere,componere,diſponere, argumentari ac diſſerere poſſint.

V. Inde Logica, ex numero trium Operationum,in tres ſive Libros, ſive Partes, ſive Sectiones communiter ſolet dividi.

VI. Et ſanè ſi ſpectes ORDINEM NATURÆ, quem à plerisque Logicis obſervari deprehendimus, primum agitur de Terminis ſimplicibus, poſtea de Enuciationibus, tandem de Syllogiſmo.

VII. Sed cum doctrina Enunciationum & Syllogiſmorum multò addiſcatur facilius, quàm quæ ſubtiliter diſputantur deTerminis; juxta ORDINEM DOCTRINÆ præmittemus Enunciationes & Syllogiſmos, reſervaturi terminos ſimplices meditationibus poſterioribus.

† Neque futura eſt aliqua confuſio, ſi Auditores ad alias etiam Logicas velint reſpicere. Quantula enim eſt opella, alibi quære libro primo, quod hîc docetur libro tertio?

VIII.Cæ-

VIII. Cæterum triplex illa tractatio nondum exhaurit omnem Logices amplitudinem; quippe quæ, præter theoreticam ejusmodi notitiam, practica etiam exercitia interpretandi, demonstrandi, disponendi, resolvendi, disputandi requirit. Unde duas habebimus Partes, Priorem *Theoreticam* de tribus mentis Operationibus, alteram *Practicam* de Usu & Praxi harum Operationum.

NB. 1. Si fortè in explicationibus thesium aliqui præsupponant notitiam terminorum simplicium; à tyronibus observari velim, theses majusculo tantùm charactere exscriptas, unà cum explicationibus, quæ præferunt asteriscum. Nam quæ signantur crucis figurâ † ad provectiores pertinent, quos repetita tractatio jam debet reddere doctiores.*

NB. 2. Consultum tamen est â tyronibus evolvi hunc ipsum librum, nec eosdem distrahi diversis compendiis: siquidem memoria localis semel firmata repetitionem efficit multo vegetiorem.

PARTIS I.
LIBER PRIMUS,
DE COMPOSITIONE ET DIVISIONE.
h. e.
DE ENUNCIATIONE.

CAPUT I.
De Enunciationis Naturâ.

I.

ENunciatio est Oratio aliquid affirmans vel negans; *ſeu ut alii definiunt*, in quâ verum aut falſum ineſt.

† Quibusdam vocatur Propoſitio. Sed rectiùs quidem Propoſitio dicitur Enunciatio, quæ locum jam habet in Syllogiſmo. Interim parvi momenti res fuerit, Enunciationes quoque extra Syllogiſmum obvias nominari Propoſitiones.

II. Partes Enunciationis ſunt tres, SUBJECTUM, PRÆDICATUM & COPULA.

III. Subjectum eſt id, de quo aliquid dicitur.

Prædica-

Prædicatum eſt, quod de aliquo dicitur. Copula, quæ utramque conjungit per verbum EST.

*e.g. in hâc Enunciatione: *Eruditus eſt honoratus. Eruditus* eſt ſubjectum, nam de hoc eſt ſermo; *honoratus* Prædicatum, quod de Erudito dicitur.

† Subjectum aliis dicitur Suppoſitum, & Prædicatum Adjunctum ſ. Attributum.

IV. Copula interdum ponitur expreſſe: *Homo eſt Architectus.* Interdum latet in prædicato: *Homo ædificat*, quaſi dicas, *Homo eſt ædificans.*

† 1. Inde quidem duas ſaltim ſtatuunt partes, Subjectum & Prædicatum. Sed luſus eſt, cùm Prædicato duas tribuant functiones, *ſignificandi & copulandi*, id quod parum diſcedit à ſententia noſtra.

† 2. At verbum EST interdum vel ſubjecti vel Prædicati vim habet. e.g. in hoc Syllogiſmo:

Qc. eſt, illud reperitur alicubi.
Petrus eſt, *E.*
Petrus reperitur alicubi.

Nam in Majori EST ponitur loco Subjecti; in minori loco Prædicati.

† 3. Sed aliter ſe habet EST, cùm *ſignificat*, aliter cùm *copulat*. Cum ſignificat, ita reſolvitur: *Petrus eſt Ens*; cum copulat, nihil præſtat præter unionem Subjecti & Prædicati. *Petrus & Ens habent inter ſe convenientiam.*

† 4. EST significans dicitur *secundi adjecti*, copulans *tertii adjecti*. Nam si cogites, Subjectum esse primam Enunciationis partem, postea sequi Prædicatum, quod secundo loco adjicitur, tertio tandem accedere Copulam; intelligi facile potest, quid secundum vel tertium adjectum significet.

V. Subjectum s. Nomen regulariter collocari debet in casu recto, h. e. in Nominativo, & Prædicatum s. verbum Subjecto copulatum exprimi in Præsenti.

* 1. Sane Oratorio stylo Subjectum exprimi potest in casibus obliquis, e. g.

Cujus Officium est imperare, ejus Officium est vigilare,
Atqui Principis officium est &c. E.

Sed nulla verborum esset vis, nisi propriè sic diceretur.

Qui debet imperare, debet vigilare,
Princeps debet &c. E.

* 2. Sic etiam Prædicata referunt Futurum vel Præteritum e. g.

Qui fuit fortis in bello, erit honoratus in pace,
Q. Germanus fuit fortis in bello, E.
Q. Germanus erit honoratus in pace.

Ast ea temporis differentia non afficit Copulam, quod liquido constat, si addamus hanc Periphrasin.

Qui fuit fortis in bello, jam (in præsenti) est is, qui erit honoratus in pace,
Q. Germanus (jam in præsenti) est is, qui fuit fortis in bello, E. †Uti-

† Utilitas harum obſervationum eluceſcit in exemplis converſionum.

VI. Subjecti & Prædicati Ordo hic eſt: ut Subjectum ponatur primo loco, Prædicatum ultimo.

* 1. Hinc aliqui Subjectum vocant Antecedens, ac Prædicatum Conſequens.

* 2. Sæpe tamen invertitur hic Ordo, quod plerumque fit ab Oratoribus e. g. *Virtus eſt honeſta*, ſic transponi ſolet: *Magna honeſtas eſt in virtute:* Inde conſideretur magis ipſe ſenſus, quam verborum poſitus.

† 1. Imò Logici ex hâc transpoſitione varias reſolvunt fallacias.

O. id eſt homo, quod eſt Turca,
Chriſtianus eſt homo, E.
Chriſtianus eſt Turca.

item. *O. id currit, quod eſt Lepus,*
Q. currens eſt Felis, E.
Q. Felis Felis eſt Lepus.

Nam ſi utrinque examines majorem, ita ſonat ordinate: *O. Turca eſt homo* ſ. *O. id, quod eſt Turca, eſt homo.* Item *O. Lepus currit:* Unde jam de Falſitate argumentorum judicabunt vel pueri.

† 2. Alius ſenſus eſt, cùm Prædicationes dicuntur *ordinatæ* vel *inordinatæ*. Nam ordinatæ ſunt, ubi communiora prædicantur de anguſtioribus; *Pirus eſt Arbor;* vel Accidentia de ſuis ſubjectis: *Pirus eſt fertilis:* inordinatæ ſunt,

cum anguſtiora prædicantur de communioribus: *Q. Arbor eſt Pirus. Q. fertile eſt Pirus.* Sed hæc Diſtinctio cognoſcitur è doctrina Prædicabilium: hîc inquirimus, quomodo Prædicatum verè maneat Prædicatum, ſi vel ex ordinario ſuo loco dimoveatur.

VII. Non rarò præter Subjectum & Prædicatum plura vocabula Enunciationem ingrediuntur, quæ tamen ob reſpectum, quem habent ad Subjectum & Prædicatum, eorundem determinationes vocantur.

† e. g. *Qui ſummâ induſtria tractavit artem Logicam, is in reliquis ſtudiis majorem invenit progreſſum,* Subjectum eſt, *Qui tractavit*, Prædicatum, *invenit.* Cætera pertinent ad utriusque determinationem, *quid & quomodo fuerit tractatum*, *quid & ubi fuerit inventum.*

† 1. Et in hoc maximè Logica differt à Rhetoricâ, quod illa quantum fieri licet, Subjecti Prædicatique brevitatem ſectatur; iſta viciſſim amplificandis periodis dedita, utrinque diſpicit, quibus determinationibus augeri queant vocabula. Quod utinam ſcirent, qui reſolvendis Orationibus operam impendunt.

† 2. Neque fuerit incommodum, poſt exempla Enunciationum Logicarum, Tyronibus ſtatim offerri Amplificationes Rhetoricas, quomodo ex illis vel quoad Subjectum, vel quoad Prædicatum illuſtratis politior emergat Periodus. Sed de his alibi.

† 3. Hoc

†3. Hoc loco rogandi ſunt, qui Logicam docent, duobus fortè exemplis contenti: *Homo eſt animal, Petrus eſt homo*; nolint negligere Enunciationes iſtum in modum determinatas, quippe quarum exempla continuò occurrunt in diſputationibus.

VIII. Enunciationi opponitur Oratio non Enunciativa, quæ nihil certi affirmando vel negando determinat, adeoque Syllogiſmum ingredi non poteſt.

* Tales ſunt Optativæ: *Utinam fieret pax!* Interrogativæ: *Ubi frater habet prædium?* Præcativæ: *Remitte nobis debita.* Imperativæ: *Conjunge Logicam cum Oratoriâ.*

† Reſolvi tamen facilè poſſunt in veras & enunciativas Orationes: unde cognoſcitur fundamentum Syllogiſmorum ex ejuſmodi Propoſitionibus confectorum, e. g.

Qc. Regnum Dei quærit, huic omnia adjicientur,
Quærite regnum Dei, E.
Vobis omnia adjicientur.

Nam nulla Syllogiſmi futura eſt veritas, niſi reſolvatur Imperativus in modum Indicativum: *Vos quæritis regnum Dei*, ſ. quod eodem recidit: *Ego vobis conſilium do, ut quæratis Regnum Dei, E. conſilium do, quibus mediis omnia vobis adjiciantur.*

IX. Enunciationes variè dividuntur. Sunt enim

Veræ vel falsæ.
Affirmativæ vel Negativæ.
Universales vel Particulares, vel Indefinitæ, vel Singulares.
Categoricæ vel Hypotheticæ, seu ut aliàs vocantur Simplices vel Compositæ.
Absolutæ vel Determinatæ, & istæ, vel Modales vel Exponibiles.

† 1. Communiter dicitur, Enunciationes dividi vel *respectu materiæ*; vel *respectu formæ.*

† 2. Est autem materia Enunciationis ipse Verborum sensus, sive rei conceptus quem verba significant: quo respectu dicitur *Vera vel Falsa.*

† 3. Forma Enunciationis est artificialis, & ordinata verborum s. conceptuum Dispositio, quam Regulæ Logicæ præscribunt: ut adeo ad formam pertinere videantur reliquæ divisiones.

* De his receptæ apud Logicos Quæstiones sunt: QUÆ? Categorica vel Hypothetica. QUALIS? Affirmativa vel Negativa. QUANTA? Universalis, vel Particularis, vel indefinita, vel singularis.

Affectiones harum Enunciationum sunt SUBALTERNATIO, OPPOSITIO, ÆQUIPOLLENTIA & CONVERSIO. Sed videbimus de singulis sigillatim.

CAPUT

CAPUT II.
De Enunciatione Vera & Falſa.

I.

ENunciatio vera eſt, quæ cum re, quam affirmat vel negat, conſentit. *Roſa eſt Flos*, *Adamas eſt Gemma.*

II. Enunciatio falſa eſt, quæ cum re, quam affirmat vel negat, diſſentit. *Roſa eſt Arbor*, *Adamas eſt homo.*

* 1. Applicabimus definitiones. *Leopoldus eſt Imperator*, eſt Enunciatio vera. Nam ſi à parte rei conſiderem Leopoldum, is admittit prædicatum Imperatoris, antequam mea accedat prædicatio; adeoque ut ſe habet Oratio mea, ita etiam apparet res per Orationem expreſſa.

* 2. Viciſſim ſi dicas, *Ludovicus eſt Imperator.* Enunciatio eſt falſa: quia quemcunque Ludovicum à parte rei adſpexeris, neminem es inventurus, qui hoc prædicatum admittat.

† Hinc aliqui Propoſitionem Logicam cum Propoſitione reali comparandam afferunt. Sed qui jam informati ſunt in doctrinâ Terminorum ſimplicium, ita ſolent dicere: Veram eſſe Enunciationem, cùm Subjecti & Prædicati identitas non ſolùm eſt in conceptu formali, ſed etiam in objecto.

†. 1. Aſt

†1. Ast è numero harum Enunciationum removeri non debent, quæ sunt determinatæ veritatis, *Cras pluet*, *Johannes fiet Cæsar*: quippe quas intellectus divinus jam cognoscit determinatè, si vel maximè hominum cognitio illuc nondum penetrare queat.

†2. Inde distinguitur inter *veritatem & certitudinem*. Veritas rem seu modum essendi spectat, adeoque si cras verum erit in Præsenti: *Hodiè pluit*; hodie verum est in Futuro: *Cras pluet*. Certitudo modum cognoscendi tangit, quasi dicas; *Hodiè certo nondum scio, num cras cœlum fuerit pluvium*.

†3. Cæterum quia Logicæ finis est modus sciendi, s. cognoscendæ veritatis, apparet, multò nobiliores esse Enunciationes veras. Has enim inquirimus, ut sectemur; falsas, ut fugiamus.

III. Enunciatio vera vel est *necessaria*, vel *contingens*.

IV. Necessaria sic vera est, ut nunquam possit esse falsa. *Canis est animal.* Contingens est sic vera, ut etiam possit esse falsa: *Canis est albus*.

V. Enunciatio falsa vel est *impossibilis* vel *possibilis*.

VI. Impossibilis nunquam potest esse vera. *Canis est rationalis*; Possibilis aliquando potest esse vera: *Canis* (*jam quiescens & non ambulans*) *ambulat*.

* *Interdum contingenas idem quoque significat ac Possibile.*

† 1. Ex his enascitur Quæstio: *Num ad veritatem Enunciationis requiratur existentia Subjecti?* e.gr. an tempore brumali vera sit hæc: *Rosa est flos.* Sed respondetur, Logicam non respicere ipsam existentiam, sed connexionem Subjecti & Prædicati, quæ positâ existendi conditione semper talis est, quasi dicas: *Rosa, quando existit, est flos.* Reliquas difficultates: *quomodo Propositiones habeant æternam veritatem*, alibi excutiendas relinquimus.

† 2. Excludi tamen debent Enunciationes nihil significantes, qualis ea; *Ego nunc mentior.* Nam sive mentior; ex confessione verum profero, ac adeò non sum mendax; sive loquor veritatem, falsum est, me dixisse mendacium. Rectè igitur ea Enunciatio nihil significare dicitur, nisi respiciat Orationem antecedentem, e. gr. *Filius tuus optimæ est indolis. Ego mentior.* Quasi dicas, *Filium tuum esse optimæ indolis falsum est*, de quo Enunciationum genere infrà tractabitur.

VII. Enunciationes, quæ sunt veræ, interdum habent falsitatem apparentem, h. e. secus intellectæ videntur falsæ. Quamobrem notentur Canones.

VIII. Quicquid significatur voce Prædicati, penitus convenit Subjecto: non autem vicissim

cissim omne id, quod significatur in Subjecto, convenit cum Prædicato.

*1. h. e. necesse est totum Prædicatum convenire Subjecto, sed sufficit particulam Subjecti respondere Prædicato.

*2. e. g. Cum dicitur: *Petrus est Philosophus*, omne id quod ad essentiam Philosophi spectat, Petro tribuitur. Sed tamen non integer Petrus quoad animam vel vegetativam vel sensitivam, verùm quoad habitum animæ rationalis acquisitum, hoc Prædicatum admittit. Clarius exemplum est hoc: Homo moritur. i. e. *Homo quoad corpus, non quoad animam.*

IX. Talia sunt Subjecta, qualia esse permittuntur à suis Prædicatis.

*e. g. *Musicus ædificat*, ubi facile intelligitur, non accipi Musicum, quatenus est Musicus, quo sensu magis construit cantilenas, quàm ædificia; sed quatenus simul est Architectus.

† Ita si dicas: *Rex Hispaniæ est Vasallus Imperatoris*, apparet Vasalli Prædicatum non cadere in Regem, qui potius alios habet Vasallos: inde Prædicatum permittit, ut Subjectum explicetur cum limitatione: *Rex Hispaniæ, quatenus simul habet Ducatum Mediolanensem, est Vasallus Imperii.*

X. Talia sunt Prædicata, qualia permittuntur esse à suis Subjectis.

*e. g. *Aristoteles volavit ad apicem Philosophiæ.* Ubi Subjectum aliis, adeoque volandi instrumentis

tis destitutum, non permittit, ut Prædicatum accipiatur in sensu proprio, sed in improprio s. tropico.

† Ita si dicas: *Rex Poloniæ Turcis solvit tributum*, non permittitur, ut Prædicatum sumatur propriè, cùm Rex ab aliis exigat tributum, & ipse, superiorem non agnoscens, sit liber; sed impropriè, ut tributum sit pecunia ex libero pacto exsolvenda.

† 1. Aliis verbis uterque Canon ita solet exprimi: ***Cum Subjecto contradicit Prædicatum, Propositio debet explicari per Ampliationem.***

† 2. Si autem scire velis, quid sit *Ampliatio*, & *Status* Ampliationi oppositus? notandum primo, quid sit *Nomen* & *Verbum*.

† 3. Nomen est, quod aliquid significat sine temporis differentiâ, h. e. quod non simul designat, vel Præsens, vel Præteritum, vel Futurum. Verbum est, quod aliquid significat cum temporis differentiâ.

† 4. Jam sic dico. Nomen accipitur in Statu, quando repeti potest, adjecto vocabulo *Quatenus*: accipitur in Ampliatione, quando reduplicativa hæc particula locum non invenit. e. gr. *Rex Sveciæ possidet Upsaliam*. Hic subjectum accipitur in Statu, quia verum est, *Regem Sveciæ, quatenus talis est, possidere Upsaliam*. Sed si dicas: *Rex Sveciæ est Vasallus Imperii*. Subjectum accipitur in Ampliatione. Nam hoc

Prædi-

Prædicatum Subjecto non competit, quatenus est Rex Sveciæ, sed quatenus possidet feudum Imperii. Sic igitur vocabulum *Rex Sveciæ* NB. aliquid denotat *amplius*, quam personam Svecis imperantem.

† 5. Verbum accipitur in Statu, quando præcisè certam temporis differentiam denotat: accipitur in Ampliatione, quando à differentiis absolvitur, e. g. *Ruta resistit veneno*, hîc verbum in Statu ponitur, si quis actu antidotum sumat; significat cum Ampliatione, si, quod Physici faciunt, & Medici, natura saltem hujus plantæ explicetur, quasi dicas: *Et resistit, & resistet veneno.*

† 6. In tali sanè Ampliatione accipiuntur omnia Prædicata disciplinarum, quæ non statim exigunt in suis Propositionibus Subjecti existentiam. *vid. supr. Thes. VI.* † *X.*

NB. De *Suppositione* & *Interpretatione* jam non attinet dicere: neque consultum fuerit tyrones initio ad Canones modò allegatos adigere, quibus quidem sufficit è manifestis exemplis cognovisse, quid sit Veritas, quid Falsitas.

CAPUT III.
De Enunciatione Affirmativa & Negativa.

I.

ENunciatio Affirmativa eſt, quæ Prædicatum dicit ineſſe Subjecto, ſeu quæ Prædicatum cum Subjecto componit. *Carolus eſt Rex. Abraham eſt Pater.*

II. Enunciatio Negativa eſt, quæ Prædicatum à Subjecto removet ſ. dividit. *Carolus non eſt Rex. Abraham non eſt Pater.*

III. Ad Enunciationem negativam requiritur, ut negatio tangat ipſam copulam.

*1. Senſus enim hic eſſe debet, *Nulla eſt Copula inter conceptum Caroli & Regis, Abrahami & Patris.*

IV. Variis autem modis Negatio ad Copulam pertinet.

1. Si expreſsè præfigatur particula NON, *Ruſticus non eſt Princeps.*
2. Si Enunciationi præponatur Signum aliquod continens Negationem. *Nullus Ruſticus eſt Princeps.*
3. Si Subjecto adjiciatur particula excluſiva SOLUS, quæ virtualem negationem continet, ut infrà videbimus.

V.Interim Negativa non eſt, quæ particulam negantem Subjecto vel Prædicato habet præfixam, ſed vocatur Infinita, & revera eſt Affirmativa. *Homo eſt non Lapis. Q.quod non eſt Lapis, eſt homo.*

† 1. Quantum ſit diſcrimen inter Orationem negativam & infinitam, exempla declarant. In Paradiſo verum erat: *Adam poteſt non peccare.* Cùm enim negatio pertineret ad prædicatum, ſenſus erat: *Adam eâ potentiâ inſtructus eſt, ut queat vitare peccata;* ſed falſum erat: *Adam non poteſt peccare*, quippe quod negatio ad copulam pertinens omne prædicatum removeret, quaſi foret impoſſibile peccatum committi ab Adamo.

† 2. Sæpe tamen Enunciatio infinita per æquipollentem negativam exprimitur, commodioris locutionis cauſa e.g. ubi dicendum eſt: *Omne non homo eſt non rationale*, libentiùs & faciliùs dico: *Quicquid non eſt homo, non eſt rationale.* Vel ubi ex regulâ converſionis ita dicendum erat; *Quoddam non homo non eſt non doctum*, omiſſis duabus negativis dico: *Q. homo non eſt doctus.*

† 3. Interim quæ ſit infinita, eluceſcit in Syllogiſmis e. g.

Qc. non credit, damnatur,
Judas non credit. E.
Judas damnatur.

Hîc

Hîc minor Propoſitio non eſt negativa, quia particula negans in Majori pertinebat ad Subjectum, adeoque in minori referenda eſt ad Prædicatum, ſalvâ copulâ. Quaſi dixiſſes:

Qc. eſt is, qui non credit, damnatur
Judas eſt is, qui non credit. E.

†4. Aliqui Negativas Enunciationes planè rejiciunt, quod videntur reſolvi poſſe in Infinitas. e.g. *Leo non eſt Equus. Leo eſt id, quod non eſt Equus.*

†5. Sed provectiores duabus rationibus impugnare poterunt hanc ſententiam: è doctrinâ converſionis, & è ſecundâ figurâ Syllogiſmorum.

†6. Doctrina converſionis negativas univerſales ſtatuit converti debere ſimpliciter. *N. Leo eſt Equus.* E. *N. Equus eſt Leo.* Sed ſi ſubſtituas Infinitam, non ſuccedet: *Leo eſt id, quod non eſt Equus* E. *id quod non eſt Equus, eſt Leo.* Quippe non valet talis Converſio: E. *Equus eſt id, quod non eſt Leo.* Cùm integrum Prædicatum debeat ſubire locum Subjecti.

†7. In ſecundâ Figurâ ſunt tales Syllogiſmi:

N. Leo eſt Equus.
Bucephalus eſt Equus E.
Bucephalus non eſt Leo.

Sed non valebit hic.

O. Leo eſt id, quod non eſt Equus.
Bucephalus eſt Equus E.
Bucephalus eſt id, quod non eſt Leo.

Nam certè leviter inſpicienti occurrent plures Termini, quàm tres.

† 8. Gravissima est difficultas, in Negativis nullam esse Copulam, Ergo nullam Prædicationem. Sed primò conceditur, Affirmativas multò nobiliores esse Negativis, & propriè Prædicationem idem valere ac affirmationem, adeoque Analogicam videri distinctionem. Ast Copula aliqua facta est per intellectum: siquidem removeri nequeunt, quæ non fuerunt conjuncta, vereque sensus est: *Leo & Equus, quos conjunctim cogito, non habent realem conjunctionem, seu non admittunt copulam.* Interim leve periculum subiturus est in scientiis, qui statuit contrarium: dummodo in eligendis affirmationibus ac negationibus errorem non committat.

CAPUT IV.

De Enunciatione Universali, Particulari, Indefinita & Singulari.

I.

ENunciatio Universalis est, cujus Subjecto præfigitur Signum universale s. ad omnia pertinens. *O vivens nutritur. Quicunq; est Rex, imperat. Quilibet Doctor habet Privilegia. N. Rusticus est Academicus.*

II. Particularis est, cujus Subjecto præfigitur signum particulare s. ad pauca pertinens.

Qui-

Quidam Rusticus est dives. Aliquis Academicus est doctus.

III. Indefinita est, cui nullum præfigitur signum, si vel maximè præfigi possit. *Rusticus vivit in pago. Consul habitat in civitate. Doctor est honoratus.*

IV. Singularis est, cujus Subjectum est Individuum. *Petrus est Princeps. Johannes est Consiliarius.*

*1. Dictum supra est. Signum pertinere ad Subjectum non ad Prædicatum. Hinc particularis est hæc: *Q. Eruditus non tractavit omnes disciplinas.* Et universalis ista: *O. miles quosdam occidit.*

*2. Ita verò pertinere debet ad Subjectum, ut signum, quod præfigitur, non sit pars inclusa & determinans, ut supra nominavimus *c.1. thes.7.* e.g. *Quidam qui omnes laudat, contemnitur*, est particularis, nisi in Subjecto occurrat nota universalis. *O. qui omnes laudat, contemnitur.*

† Si quæras, quorsum referri possit hæc: *Omnia membra quorundam hominum sunt sana:* Respondetur, esse transpositionem terminorum, quos decuisset ita collocari. *Q. homines omnia membra habent sana.*

V. Signum universale debet stare in sensu distributivo, non collectivo.

† 1. Sensus distributivus est, cum Subjectum salva

veritate & constructione potest exprimi in casu singulari e.g. *O Senatores ingrediuntur curiam*, itidem valet, *Omnis Senator*(h.e.per distributionem,hic,iste,ille.) *Ingreditur curiam.*

† 2. Sensus collectivus, cùm Subjectum in singulari positum arguit absurditatem e. g. *O. Senatores sunt quindecim*, ubi non valet: *O. Senator est quindecim.* Adeoque talis Enunciatio saltem est particularis, ac iste Syllogismus particularem habet conclusionem.

Quicunque sunt quindecim, efficiunt quartam partem Sexagenæ.
O. Senatores sunt quindecim. E.
O. Senatores efficiunt quartam partem Sexagenæ.

VI. Neque Signum universale per Synecdochen adhiberi potest, salvâ universalitate.

† 1. Est ea Synecdoche, cùm particula omnis sumitur pro generibus singulorum e.g. *Omnes causæ fuerunt ventilatæ ab hoc Advocato.* Ubi sensus non est, omnes lites in universo mundo ab eo Viro fuisse tractatas; sed omnium in ejus tractatione aliquod occurrisse exemplum. Quasi dicas: *Ex omnibus causarum generibus sive classibus una aliqua fuit ventilata.* Germani dicunt: allerley Rechts-Sachen non alle Rechts-Sachen.

† 2. Notandum hoc adversus heterodoxos, qui cùm audiunt, *Deum velle ut omnes salventur*, 1. Tim. 2,4. id non intelligunt *de singulis generum*

rum h. e. omnibus individuis, quæ ſub generali hoc conceptu continentur, ut rectè explicatur à noſtratibus; ſed *de generibus ſingulorum* h. e. de aliquibus Germanis, Gallis, Hiſpanis &c. quæ quidem interpretatio contextui maximè eſt contraria.

Caput V.

De Enunciatione Categoricâ & Hypotheticâ.

I.

ENunciatio Categorica ſ. Simplex eſt, ubi unum Prædicatum dicitur vel negatur de uno ſubjecto. *Johannes eſt Conſul. Johannes non eſt Princeps.*

II. Hypothetica ſeu Compoſita eſt, ubi duæ Enunciationes concurrunt, quæ connectuntur poſitâ certâ hypotheſi ſ. conditione. *Si Johannes in Curiâ habet primum locum, eſt Conſul. Si Johannes non habet ſubditos, non eſt Princeps.*

III. Hypothetica hæc vel ſumitur *ſtrictè* ut denotet non niſi *Conditionalem*, cujus exempla modò dedimus; vel *latè*, ut ſimul comprehendat *Disjunctivam & Copulativam.*

IV. Conditionalis ſtrictè accepta, quæ ſub certâ conditione aliquid affirmat vel ne-

gat, non resolvitur in Subjectum & Prædicatum, sed in *Andecedens* s. ipsam Conditionem & *Consequens*, quod positâ conditione necessariò sequitur.

† Ipsa verò Copula consistit in connexione utriusque h. e. in illâ necessitate, quam habet Consequens, si statuatur Antecedens.

V. Affirmatio & Negatio non judicantur ex antecedente, sed ex consequente.

* e. g. *Si Aristoteles non habuit fidem, fuit damnatus.* Hæc Enunciatio est Affirmativa, quia Consequens affirmat, ac in resolutione Subjectum emergit infinitum: *Qc. non habuit fidem, fuit damnatus.*

* 2. Ex adverso, *Si Aristoteles caruit fide, non fuit salvatus.* Est Enunciatio negativa, quia sic resolvitur: *Qc. caruit fide, non fuit salvatus.*

† Sic in omnibus exemplis propositio simplex est Regula compositarum.

VI. Veritas & Falsitas non è veritate Antecedentis vel Consequentis, sed ex intimâ utriusque connexione solet judicari.

* e.g. *Si Turca est Elector Germaniæ, locum habet in Comitiis. Si Elephas est Gallina, refertur in classem avium.* Hic certè & Andecedens & Consequens probari nunquam potest: neque tamen Propositio est falsa: nam conditio nihil ponit in re, sed arguit saltim aliquam Consequentiam.

† 1. Sa-

†1. Sane in quavis conditionali delitescit integer Syllogismus, cujus tamen Minor adhuc est in suspenso e. g. *Si Johannes est Princeps, habet subditos*, sic solet resolvi;

O. Princeps habet subditos.
Johannes est Princeps. E.

† 2. Et hinc si quis hypotheticam reducere velit ad Categoricam, necesse est aliquid omitti: quod tum maximè apparet, cum Syllogismi hypothetici reducuntur ad Categoricos e. g.

Si Josephus est Imperator, gerit Aquilam.
Sed verum est prius E. & posterius.

Quod Argumentum Categoricè sic sonat:

Imperator gerit Aquilam.
Josephus est Imperator. E.

Ubi certè Major Propositio non refert integram prioris Syllogismi.

VII. Disjunctiva procedit per particulas disjunctivas *aut*, *vel*, *sive*, *&c.*

* *Aut dies est, aut nox est: aut bibit, aut studet, aut amat.*

IIX. Veritas in eo consistit, ut membra disjunctiva sibi rectè opponantur, nec detur aliquod tertium h. e. novum membrum præter ista, quæ in disjunctione occurrunt.

*e. g. *Homo vel est Germanus, vel Italus.* Hæc Enunciatio est falsa, quia datur tertium, *Homo est Gallus.* Imò datur quartum & millesimum, si tot Orbis sunt provinciæ.

IX. Copulativa est, quæ procedit adhibita Conjunctione Copulativâ ET

* e. g. respectu Prædicati. *Aristoteles & Mathematicus fuit & Politicus*: Respectu Subjecti; *Et Aristoteles, & Plato, & Socrates* fuerunt Philosophi.

† 1. Interdum Enunciatio simul esse potest Conditionalis & Disjunctiva e. g. *Si id, quod video est brutum: vel est quadrupes, vel volatile, vel natatile vel reptile.*

† 2. Imo his accedere potest Copulativa: *Si id, quod video, est brutum, vel est &c. ac si est volatile: & alas habet & plumas & pedes.*

X. Quædam Enunciationes apparenter sunt compositæ, cum re ipsa sint simplices.

† 1. Primum genus est, cùm integra Propositio, vel integer Syllogismus, occupat locum vel Subjecti vel Prædicati e. g. in his Syllogismis.

Falsa Propositio non pertinet ad Scientiam.
Hæc Propositio, Homo est lapis, est falsa Propositio. E.
Hæc Propositio; Homo est lapis, non pertinet ad Scientiam.
Hic Syllogismus, Petrus saltat. Petrus est Clericus. E. Q. Clericus saltat, non est primæ Figuræ.
Hic Syllogismus, Petrus saltat &c. in formâ est legitimus. E.
Q. Syllogismus, qui in formâ est legitimus, non est primæ figuræ.

Al-

†2. Alterum genus est Enunciationum *Comparativarum*, seu ut alias loquimur, *Assumtivarum*, unde nascuntur tales Syllogismi:

Ut se habet Arbor ad fructum, sic Homo ad Operationes.

Sed Arbor ita se habet, ut ex fructu ejus cognoscatur bonitas. E.

Homo etiam sic se habet ad operationes, ut exinde cognoscatur ejus bonitas.

Nam has Propositiones merè esse simplices non compositas, patet, si exprimas hoc modo.

Q. competit Arbori respectu fructuum, id homini competit respectu Operationum.

Atqui ex effectu bono judicari causam bonam competit Arbori &c. E.

† 3. Cæterum, ut aliquid de veritate Propositionum Comparativarum inspergere liceat, ea consistit in convenientiâ s. proportione, quâ Subjectum cum Prædicato velut Antecedens cum Consequente copulatur.

† 4. Inde falsæ sunt, si vel dissimilia conjunguntur:

Ut se habent Respublica, sic se habet Regimen Ecclesiæ.

At in Rebusp. requiritur Judex visibilis &c. E.

Nam Major est falsa, quod Christus dicit, Regnum suum non esse de hoc mundo, adeoque Rebusp. vix congruum.

† 5. Vel etiam extenditur simile ultra tertium; in quo est propositio;

Ut

Ut se habet Arbor ad fructus, sic homo ad Operationes.
Sed Arbor fructum saltim fert in æstate E.
Homo etiam operatur saltim in æstate.

Nam Comparatio non valet, nisi in hoc tertio, quatenus utrobique comparatur causa cum effectu. Sed de his alibi plura, cum sermo fuerit de Syllogismis transsumptivis.

XI. Restant nunc Modales & Exponibiles: quæ tamen cum explicari nequeant, sine adminiculo Æquipollentiæ, Oppositionis & Conversionis; libuit istas Enunciationum Affectiones præmittere.

CAPUT VI.
De Affectionibus Enunciationum, *& Speciatim* De Subalternatione & Oppositione.

I.

AFfectiones, ut supra dictum, sunt SUBALTERNATIO, OPPOSITIO, ÆQUIPOLLENTIA & CONVERSIO.

† Quid per Affectionem designetur, is demum noverit, qui ex Prædicabilibus intelligere didicit Proprium.

II. Sub-

II. Subalternatio eſt, cum Univerſali affirmanti ſubſternitur Particularis affirmans: Univerſali neganti particularis negans.

O. Homo eſt mortalis.
Q. Homo eſt mortalis.
N. Homo eſt lapis.
Q. Homo non eſt lapis.

III. Prior & univerſalis Enunciatio vocatur *Subalternans*; altera Particularis dicitur *Subalternata*. Unde intelligi poteſt Canon: A Veritate Subalternantis ad Veritatem Subalternatæ valet Conſequentia: ſed non contra.

* Si O. Homo eſt mortalis, verum eſt aliquem eſſe mortalem: ſed ſi aliquis Homo eſt doctus, non ſtatim verum eſt, omnes homines eſſe doctos.

†1. Signum Particulare Enunciationis ſaltim habet vim poſitivam, non excluſivam. Eſt autem vis excluſiva, cùm interpretatio talis accedit, *Aliqui homines* (tantùm, excluſis cæteris) *ſunt mortales.* Vis poſitiva, quæ de Subjecto ita affirmat Prædicatum, ut reliquis Subjectis non denegetur admiſſio. *Aliqui homines* (quin & reliqui omnes) *ſunt mortales.*

†2. Valet etiam Subalternatio Totius ad Partem, Numeri majoris ad minorem.

Habet anſerem. E. habet alam.
Habet centum thaleros, E. quindecim.

IV. Op-

IV. Oppoſitio eſt Pugna duarum Enunciationum Qualitate diverſarum, h. e. quarum altera affirmat, altera negat.

V. Eſt autem Oppoſitio CONTRARIA, SUBCONTRARIA, CONTRADICTORIA.

VI. Oppoſito Contraria eſt inter duas Univerſales.

O. Homo eſt mortalis.
N. Homo eſt mortalis.

VII. Enunciationes autem ſic oppoſitæ, nunquam ſimul ſunt veræ: at in materiâ contingente ſimul eſſe poſſunt falſæ.

O. Homo eſt dives.
N. Homo eſt dives.

† Hæc eſt ratio, cur contraria Oppoſitio, quippe utrinque falſa, in diſciplinis parum habeat utilitatis.

VIII. Oppoſitio Subcontraria eſt inter duas Particulares.

Q. Homo eſt dives.
Q. Homo non eſt dives.

† 1. Sanè apparens potius hæc eſt, quâm vera Oppoſitio, cum in materiâ contingenti, quale eſt exemplum adductum, utraque poſſit eſſe vera. Et hinc Oppoſitionis hujus nulla in diſciplinis eſt utilitas.

† 2. Non autem licet Enunciationes ſic interpretari.
Aliqui homines (qui ſunt in foro) *ſunt divites.*
Aliqui homines (illi ipſi, qui ſunt in foro) *non*

ſunt

sunt divites. Sic enim emergeret Oppositio Contradictoria, quæ nunc illustrabitur.

IX. Contradictoria Oppositio in genere dicitur, cujus altera Enunciatio semper est vera, altera semper est falsa.

† Inde hujus in disputando maxima est utilitas: quippe si Respondens & Opponens verè sibi contradicunt, altera Opinio necessariò est vera, altera vicissim falsa.

X. Est autem Contradictio Enunciationum vel simplex vel Composita s. Exponibilis.

XI. Contradictio Simplex procedit,

(1.) Inter Universalem affirmantem, & Particularem negantem.

O. Homo est prudens.

Q. Homo non est prudens.

(2.) Inter Universalem negantem, & Particularem affirmantem.

N. Homo est prudens.

Q. Homo est prudens.

(3.) Inter duas indefinitas.

Homo est melior bestiâ.

Homo non est melior bestiâ.

(4.) Inter duas singulares.

Carolus est Magister.

Carolus non est Magister.

XII. Contradictio Composita s. exponibilis est, quando oppositæ Enunciationi præfigitur particula NON.

O. Ho-

O. Homo est dives.
Non O. Homo est dives.
Q. Homo non est dives,
Non Q. Homo non est dives.

† 1. Ita enim NB. exponitur hæc Enunciatio: *Non est verum, omnem hominem esse divitem*, seu *Hæc Enunciatio, Omnis Homo est dives, est falsa.* Adeòque non manet antiqua Enunciatio, cujus Subjectum & Prædicatum vel expresse vel occultè mutatur.

† 2. Exponibilis hæc contradictio maximum usum habet in hypotheticis.

Si Homo est Doctor, est eruditus.
Non si homo est Doctor, est eruditus.
Aut Miles est, aut Studiosus.
Non aut Miles est aut Studiosus.
Carolus & Opifex est & Miles.
Non Carolus & Opifex est & Miles.

† 3. Quantum valeat in modalibus, justo loco demonstrabitur.

XIII. Cæterum ne Contradictio apparens accipiatur pro verâ, ac adeò decipiatur Intellectus; Termini procedere utrobique debent *ad idem*, *secundum idem*, seu ut clarius loquar; *In utraque Enunciatione termini retinere debent eundem ordinem & eandem significationem.*

XIV. Idem Ordo retinetur, quando integrum Subjectum, & integrum Prædicatum repeti solet. *1. O-

*1. *O. Civis est Senator.*

Q. Civis non est Senator.

*2. Quod si dicere velis:

O. Civis est Senator.

Q. Senator non est Civis.

apparet ordinem convelli, & è Subjecto fieri prædicatum.

*3. vel si dicas:

O. civis Parisiensis obedit Regi Galliæ.

Q. civis non obedit Regi Galliæ.

apparet deficere aliquid in subjecto, quod simul debeat repeti.

† Aliqui talia simul exempla adducunt, ubi planè alius terminus substituitur.

Q. civis est Senator.

N. Rusticus est Senator.

Sed in his non turbatur ordo saltem; quin potius universa Enunciatio mutatur, ut ne apparens quidem remanet contradictio.

XV. Eadem significatio non tantùm negligitur *manifestè*, cùm alius planè terminus recurrit; sed etiam *occultè*, cùm termini aliud sibi volunt in Enunciatione priori, aliud in posteriori.

* Aut enim confunditur significatio propria & impropia;

Herodes est vulpes (tropicè)

Herodes non est vulpes (physicè)

aut mutantur respectus.

Johannes est dives (respectu agrorum)
Johannes non est dives (respectu paratæ pecuniæ)
Paulus est Doctor (Jurisprudentiæ)
Paulus non est Doctor (Medicinæ)

† 1. Sæpe aliud vocabulum occurrit in Enunciatione opposita, unde tamen oppositio non turbatur, si adhuc eadem remaneat significatio. e. g.

O. *actio est honesta*. O. *Apostoli sunt duodecim*.
Q. *actio est turpis*. O. *Apostoli sunt tredecim*.

† 2. Interim disputantes parum utilem deprehendunt hanc oppositionem, quæ plerumque admittere videtur tertium, ac adeo utrinque potest esse falsa: ut in exemplis jam allatis, *Actio potest esse indifferens, Apostoli possunt esse undecim &c.*

† 3. Aliter res se habet, si loco signi universalis aut particularis, quod præfigi solet Subjecto, adverbia temporis vel loci adjiciantur Prædicato: nam legitima est Oppositio.

Homo semper ægrotat.
Homo aliquando non ægrotat,
vel contrariè
Homo nunquam ægrotat.

Nam facilis est æquipollentia. O. *homo ægrotat*. Vel *Quandocunque datur homo, datur ægrotans*.

Petrus nunquam cantat.
Petrus aliquando (semper) cantat.

quasi dicas: *Nulla actio Petri est cantio*.

Aër ubique calet.
Aër alicubi non, (nullibi) calet. Nam

Nam ſenſus eſt: *O. Aër calet ſ. ubicunque reperitur Aër, ibi datur calidum.*

† 4. Sanè univerſalia & particularia vocabula ſtrictè ad Subjectum non pertinent, quod patet è Converſione.

Aër ubique calet. E.

Q. quod ubique calet, eſt Aër.

Aſt tacitè afficiunt Subjectum, ſi ſubſtituantur particulæ *Quandoque, Ubicunque &c.*

† 5. Huc refer exempla:

Rex imperat omnibus,

Rex quibusdam non (nullis) imperat.

Qui nullam legem violat eſt juſtus,

Q. aliquam legem violat eſt juſtus.

XVI. Ultimò notetur, in verâ Contradictione Subjectum ſtare in numero ſingulari.

* Quippe neutrum dici poteſt, ſi in civitate unus ſaltem ſit Sutor:

Nulli cives ſunt Sutores,

Aliqui cives ſunt ſutores.

altera tamen eſt vera, ſi reſtituas Singularem:

Aliquis Civis eſt Sutor.

†. Aliqui, ut numerum pluralem ſalvare queant, in ejusmodi exemplis particulam NON præfigi debere contendunt.

Nulli Cives ſunt Sutores,

Non nulli Cives ſunt Sutores h. e. *non eſt verum nullos Cives eſſe Sutores.*

Caput VII.
De Æquipollentia.

I.

ÆQuipollentia eſt, cùm duæ Enunciationes ſibi invicem oppoſitæ, vel quoad Quantitatem diverſæ, eundem ſenſum induunt, beneficio particulæ NON.

† Res in ſe videtur Grammatica: ſicut enim ſenſus Adverbii tractatur in Grammaticâ, ſic de vario ejusdem poſitu, & reſultante hinc ſignificatione, alibi melius dici non poteſt. Attamen quia ſimul intercedit Enunciationum aliqua Comparatio, quomodo brevis hæc particula Quantitatem & Qualitatem evertere ſoleat; non immeritò dixeris Regulam in ſe Grammaticam applicari ad uſum Logicum: cum præſertim in Logicâ doceatur multò commodius.

II. Univerſum myſterium latet in his verſibus memorialibus.

Quæ contradicunt, illis præpone Negantem,
Poſtpone Adverſis, Subjunctis fiat utrumque.

* Per Adverſa intelliguntur Contraria, per Subjuncta Subalterna.

III. Con-

III. Contradictoria igitur, si præfixum habeat NON, alterius Contradictoriæ sensum assumit.

e.g. Omnis doctus laudatur.
Q. doctus non laudatur.

Non O. doctus laudatur (quasi dicas) *non est verum, O. doctum laudari. Vid. pag. 32.* idem valet ac.
Q. doctus non laudatur.
Non Q doctus non laudatur. (h.e. *ne pauci quidem sunt, qui non laudentur.*)
idem valet ac O. *doctus laudatur.*

N. doctus debet contemni.
Q. doctus debet contemni.

Non N. doctus debet contemni (h.e. *non est verum, planè nullum doctum debere contemni.*)
idem valet ac *N. doctus debet contemni.*
Non Q. doctus debet contemni (h.e. *ne quidem aliqui seu pauci debent contemni.*)
idem valet ac *N. doctus debet contemni.*

IV. Contrariis Negatio postponitur.

* *O. doctus non est honorandus,*
idem valet ac *N. doctus est honorandus.*
& *N. doctus non est honorandus,*
æquipollet alteri. *O. doctus est honorandus.*

† Hinc ſignum Univerſale *Nullus* Enunciationem facit Negativam: quia cum reſolvitur per *Omnis Non*, apparet negationem non referri ad Subjectum, cui præfigitur Signum, ſed pertinere ad Copulam.

V. Subalternæ requirunt, ut negatio præponatur ſimul & poſtponatur.

e.g. *Omnis potens honoratur.*
Q. potens honoratur.

Non O. Potens non honoratur h. e. *non eſt verum, Omnem Potentem eſſe in eorum numero, qui non honorantur.*

idem ſane valet ac: *Q. Potens honoratur.*

Non Q. Potens non honoratur h. e. *non eſt verum, aliquot ſaltem eſſe è potentibus, qui non honorentur.*

perinde ſonat ac: *O. Potens honoratur.*

N potens contemnitur.
Q. potens non contemnitur.

Non N. Potens non contemnitur h. e. *non eſt verum, Omnes contemni*, idem valet ac: *Q. Potens non contemnitur.*

Non Quidam potens non contemnitur h. e. *non eſt verum, aliquos ſaltem potentes non eſſe, qui non contemnuntur*, ſeu, ut duæ negationes per affirmationem exprimuntur: *eſſe, qui contemnuntur.*

idem valet ac: *N. potens contemnitur.*

NB. Dif-

NB. Difficillima ſemper apud tyrones fuerit Æquipollentiæ explicatio, niſi per commodam Paraphraſin genuinus ſenſus illuſtretur, ut vel ideo Philologiam dixeris Logico utilem.

† Æquipollentia, ut & Converſio aliquam habent illationem, ac adeo particulam Ergo uſurpant.

N. doctus non eſt honorandus, E.

O. doctus eſt honorandus.

Aliqui vocare ſolent conſequentias non Argumentativas.

CAPUT VIII.

De Converſione.

I.

CONverſio eſt, cùm Subjectum Enunciationis mutatur in Prædicatum, & viciſſim ex Prædicato fit Subjectum ſalvâ Veritate.

II. Eſt autem converſio triplex. *1. Simplex. 2. per Accidens. 3. per Contrapoſitionem.*

* 1. Faciunt huc verſus memoriales.

FEcI Simpliciter convertitur, AntE per Accid.

FAlcO per Contra, ſic fit Converſio tota.

† 2. A. denotat Enunciationem univerſaliter affirmantem. E. univerſaliter negantem. I. particulariter affirmantem. O. particulariter negantem.

III. Conversio Simplex est, cùm eadem Conversæ & Convertentis manet Quantitas.

*Procedit hoc in FEcI h. e. in universaliter negantibus, & particulariter affirmantibus.

N. Virtus debet contemni. E.
N. contemnendum est virtus.
Q. doctus est dives. E.
Q. dives est doctus.

IV. Conversio per Accidens est, cum ex Conversa Universali fit Convertens Particularis.

* Procedit hoc in AntE h. e. in universaliter affirmantibus & negantibus.

O. Temperantia est virtus. E.
Q. Virtus est Temperantia.
N. Superbia est Virtus. E.
Q. Virtus non est Superbia.

V. Conversio per Contrapositionem est, cùm ex Subjecto & Prædicato finito, præpositâ particula NON, utrumque fit infinitum.

O. Virtus est laudanda. E.
O. non laudandum est non Virtus.
Seu ut elegantius effertur.
Qc. non est laudandum, non est Virtus. vid. *pag. 18.*
Q. Virtus non honoratur. E.
Q. quod est non honoratum, non est non Virtus.
Seu commodius.
Q. non honoratum, est Virtus.

†1. Ex-

†1. Extraordinaria est Conversio.

N. Temperantia est noxia. E.

Q. non noxium, est Temperantia.

Nam subintelligitur ut supra *pag. 18.*

O. Temperantia est id, quod non est noxium.

†2. Quia duæ negationes affirmant, elegantius à Logicis quæritur loquendi compendium, si utraque negatio omittatur. Sed ubique non respondet Emphasis Rhetorica, quippe multo efficacius sonat: *non possum non scribere*, quàm *possum scribere.*

VI. Cautè tamen procedendum est, ut integrum Subjectum fiat integrum Prædicatum, & contrà.

N. dolium est in vino. E.

Nihil, quod est in vino, est dolium.

N. puer fuit Senex. E.

N. qui fuit Senex, est puer.

O. Musicus necessario est homo. E.

Q. qui necessario est homo, est Musicus.

VII. Deinde cautè attendendum, ut eadem terminorum maneat acceptio.

* *N. mortuum est homo.* rectè infertur, E.

N. homo est mortuus.

Nam homo accipitur in statu, non in Ampliatione pro eo, qui fuit aut futurus est h. m.

N. mortuum est homo existens. E.

N. homo existens est mortuus.

 Cap.

CAPUT IX.
De Enunciatione Abſoluta, & Modali.

I.

ENunciatio abſoluta eſt, quæ ſine addito Prædicatum de Subjecto dicit: Modalis viciſſim, quæ addit unam è quatuor his vocibus *Neceſſe*, *Contingit*, *Impoſſibile*, *Poſſibile*.

Neceſſe eſt ſentientem vivere.
Contingit viventem ægrotare.
Impoſſibile eſt mortuum ægrotare.
Poſſibile eſt ægrotum convaleſcere.

II. Quamobrem in Modali duo conſiderantur, DICTUM & MODUS.

* 1. Dictum eſt ipſa Enunciatio abſoluta, quatenus à Modo ſeparatur: *vivens movetur*, *vivens ægrotat*.

* 2. Modus eſt vocabulum Dicto accedens, quod oſtendit, quâ ratione Prædicatum inſit Subjecto.

† Probè tamen dignoſci debet Modus cum determinat aliud Prædicatum & cùm ſignificat, h. e. cum principalem Prædicati locum occupat. Unde in hoc Syllogiſmo non occurrit Propoſitio Modalis:

Qc. contingit, poteſt non eſſe.
Turcarum victoria contingit. E.
Turcarum victoria poteſt non eſſe.

III. Com-

III. Communiter Modalis eſt vel Compoſita vel Diviſa.

*1. Compoſita Modum gerit vel in capite, vel in fine, ut adeò dictum non divellatur.

Neceſſe eſt hominem ſentire.

Hominem ſentire neceſſarium eſt.

*2. Diviſa Modum gerit in medio, ut dictum quaſi divulſum appareat.

Homo neceſſario ſentit.

†1. In majori pretio ſemper habentur diviſæ, quàm Compoſitæ; quippe vim Modorum melius exprimunt.

†2. Datur exemplum, ubi in unâ propoſitione duo ſimul Modi concurrunt: nam ſi verum eſt *Scribentem neceſſario movere manum*; ſi verum quoque eſt, *quendam hominem poſſe ſcribere*; dici omnino poteſt: *Poſſibile eſt quendam hominem neceſſariò movere manum.* Sed unus tamen Modus eſt, qui dominatur: quod cognoſci poteſt in reſolutione: *Hoc Prædicatum, neceſſariò movere manum*, *habet copulam poſſibilem cum hoc Subjecto.*

IV. Omnis Modorum difficultas tollitur, ſi Modus referatur ad Prædicatum.

* *Sentiens neceſſario vivit,*

Vivens contingenter ægrotat.

Mortuus impoſſibiliter ægrotat, ſeu clarius:

N. Mortuus poteſt ægrotare.

Ægrotus poſſibiliter convaleſcit ſeu poteſt convaleſcere.

†1. Cur

†1. Cur enim Modus ad Prædicatum potius, quàm ad Copulam referri debeat, vel sola conversionis doctrina ostendit; nimirum sic convertuntur Enunciationes modò positæ.

Q. quod necessario vivit, est sentiens.
Q. quod contingenter ægrotat, est vivens.
N. quod potest ægrotare, est mortuum.
Q. quod potest convalescere, est ægrotum.

Sed retineat aliquis Modum penes copulam, ac evitet absurditates.

†2. Sanè sic exponi debent Modales, ut maximè respiciant copulam, seu loquantur de copulâ *materialiter*, non tamen afficiant copulam Enunciationis *formaliter*. Sic enim se habet sensus.

Necesse est sentientem vivere.
Sentiens & vivens copulam habent necessariam.

seu quod idem significat:

Sentiens & vivens semper habent copulam.
Impossibile est lignum esse lapidem.
Lignum & lapis copulam habent impossibilem s. nunquam possunt copulari.
Possibile est doctum scribere.
Doctus & Scribens copulam habent possibilem s. doctus potest scribere.
Contingit Eruditum esse probum.
Eruditus & probus contingentem seu aliquando non habent copulam.

†3. Cæterum aliter explicantur Modales, cùm nude considerantur, aliter cùm in Syllogismo ad alias Propositiones examinantur comparatè.

Tunc

Tunc enim, ut termini ſemper remaneant ſaltem tres, pro conditione diversâ Modorum diverſa requiritur explicatio: quæ tamen ubique ſic eſt facilis, ut appareat, non eſſe diſcrimen inter Syllogiſmos abſolutos & modales.

1.

Neceſſe eſt hominem eſſe animal.
Neceſſe eſt Petrum eſſe hominem. E.
Neceſſe eſt Petrum eſſe animal.

Sic explicabitur.

Quicquid neceſſariam habet copulam cum homine, id neceſſariam habet copulam cum animali.
Petrus habet &c. E.

2.

Neceſſe eſt incredulum damnari.
Neceſſe eſt incredulum eſſe hominem. E.
Neceſſe eſt Q. hominem damnari.

Sic clarè ad ſuam formam redigitur:

O. incredulus neceſſariam habet copulam cum damnatione,
O. incredulus neceſſariam habet copulam cum homine. E.
Q. qui neceſſariam habet copulam cum homine, neceſſariam habet copulam cum damnatione.

3.

Neceſſe eſt ſcribentem movere manum.
Poſſibile eſt Notarium ſcribere. E.
Neceſſe eſt Notarium movere manum.

Accuratius ita ſonat.

Qc. poteſt actu ſcribere, in eo poteſt eſſe ſtatu, ut neceſſario moveat manum.

Notarius poteſt actu ſcribere. E.

Notarius poteſt eſſe in eo ſtatu, ut neceſſario moveat manum.

Notetur hic quod ſupra monui de duplici Modo: theſ. 3. †. 2. *v. infra pag 564.*

4.

Impoſſibile eſt lignum eſſe lapidem.

Neceſſe eſt ſilicem eſſe lapidem. E.

Impoſſibile eſt ſilicem eſſe lignum.

Primo explicari poteſt per æquipollentiam, quâ *Impoſſibile* idem eſt, ac id, quod *nec eſt poſſibile nec neceſſarium.*

Qc. vel neceſſariam vel poſſibilem copulam habet cum ligno, id nec neceſſariam nec poſſibilem copulam habet cum lapide.

Atqui ſilex neceſſariam copulam habet cum lapide. E.

Silex nec neceſſariam nec poſſibilem copulam habet cum ligno.

Deinde facilior eſt modus, ſi reducto Syllogiſmo ad primam Figuram, ita dicas:

Qc. neceſſario eſt lapis non poteſt eſſe lignum.

Silex neceſſario eſt &c. E.

5.

Impoſſibile eſt impium ſalvari.

Contingit Chriſtianum eſſe impium E.

Impoſſibile eſt aliquem Chriſtianum ſalvari.

ubi datur hæc reſolutio.

Qc.

Qc. aliquando habet copulam cum impietate, is respectu hujus impietatis non potest habere copulam cum æterna salute.

Q. Christianus aliquando habet &c. E.

6.

Possibile est O. currens esse leporem.

Possibile est O. currens esse hominem. E.

Possibile est hominem esse leporem.

Sic illustrabitur.

O. currens potest habere copulam cum lepore.

O. currens potest habere copulam cum homine. E.

Q. quod potest habere copulam cum homine, potest habere copulam cum lepore.

Seu clarius in abstracto.

O. cursus aliquando potest præstare à lepore.

O. cursus aliquando potest præstari ab homine, E

Q. quod aliquando potest præstari ab homine. aliquando præstari potest à lepore.

7.

Contingit O. hominem moveri.

Contingit O. currens esse hominem. E.

Contingit O. currens moveri.

Quia hîc est conclusio absurda, cùm non contingens sed necessarium sit, O. currens, quatenus est currens, moveri: facile apparet, Contingens hoc loco sumi in sensu exclusivo s. negativo, pro eo, quod non est necessarium, ac adeo sic sonare Syllogismum resolutum.

N. quod necessario est homo, movetur necessario.

N. currens necessario est homo. E.

N. currens movetur necessario.

† 4. Sanè facilor via est, si omissis Modis Syllogismos proferamus absolutos.

N. impius salvatur.

Q. Christianus est impius, E. *&c.*

N. lignum est lapis.

O. Silex est lapis, E. *&c.*

O. Scribens movet manum.

Q. Notarius scribit E. *&c.*

Interim quia Modus aliquid exprimere videtur de copulâ, quod in absolutâ propositione tàm clarè non proponitur: satius est resolutionem supra ostensam sectari, omnemque modalium difficultatem hoc artificio resecare.

† 5. Enim verò maximos Scrupulos injiciunt Modorum ambiguitates; cum diversis significationibus aliquid dicatus *Contingens*, *Necessarium*, *Impossibile &c.* Sed eo ipso patet, Metaphysicam potius quam Logicam adesse difficultatem.

e.g. hic Syllogismus in Logicâ est legitimus.

Necesse est credentem habere bona opera.

Necesse est Salvandum esse credentem E.

Necesse est Salvandum habere bona opera.

Nam sic ad justam formam redigitur

Qc. necessariam habet copulam cum fide, necessariam habet copulam cum bonis operibus.

O. Salvandus habet necessariam copulã &c. E.

Ast Metaphysica & Theologia potiùs, quæ distinctiones Metaphysicas applicat, ostendit, aliam esse necessitatem medii, aliam præcepti, aliam efficientiæ, aliam præsentiæ; & quæ aliàs notari solent ad hanc controversiam.

Et

† 6. Et iſta quidem ſi vel maximè pertinere videantur ad doctrinam Syllogiſmorum, libuit tamen hîc deducere, cùm alioquin Enunciationis natura, ſine his adminiculis, nequeat cognoſci.

V. Veritas & Falſitas Modalium judicatur ex Modo potius, quàm ex Dicto.

† 1. Non enim quæritur, an Prædicatum conveniat Subjecto, ſed quomodo & quâ ratione conveniat?

† 2. Hinc Dictum in ſe verum poteſt eſſe falſum, ſi accedat injuſtus Modus e.g. verum eſt *quendam hominem* loqui, ſed falſa evadet Enunciatio, ſi dicas, *Q. hominem neceſſario loqui.*

VI. Qualitas itidem judicatur ex Modo, non ex dicto.

† 1. Etſi enim Modus pertinet ad Prædicatum; is tamen annexam habet vel affirmationem vel negationem, quam contribuit copulæ.

† 2. Affirmantes Modi ſunt, qui copulam Prædicati cum Subjecto ſub certo Modo aſſerunt: *Neceſſe, Poſſibile, Contingit.*

Negantes, qui Prædicatum ſub certo Modo à Subjecto removent: *Neceſſe non, Contingit non*, imo etiam *Contingit*, ſed excluſivè idem valeat ac *non neceſſarium vid theſ. 4.* † *3. Syllogiſmo 7.*

† 3. Si quæras, an negans ſit hæc: *Poſſibile eſt nullum civem vigilare?* reſpondebitur eſſe affirmativam, ſed infinitam, cum ita reſolvatur:

Q. Civis poteſt non vigilare,

Unde facilem & verè affirmantem habebis argumenti resolutionem.

Possibile est nullum civem vigilare.
Contingit quendam vigilantem esse civem E.
Contingit quendam vigilantem non vigilare.

Sic enim dicimus.

O. civis potest non vigilare.
Q. qui actu vigilat, est civis. E.
Q. qui actu vigilat, potest non vigilare.

†4. Ultimò notetur, negationem non pertinere ad universum Dictum, sed ad Modum. e. g. si quis neget hominem loqui necessario, non simpliciter eripit homini loquelam, sed eidem tantum eripit loquendi necessitatem.

VII. Quantitas non judicatur ex Modo, sed ex Dicto.

†1. Quo enim præcisè non afficitur Subjectum, ab eo non potest dependere Enunciationis sive universalitas sive particularitas.

†2. Equidem Necesse & Impossibile videntur sapere aliquam universalitatem, hoc est, designant universalem sive convenientiam sive discrepantiam Prædicati cum Subjecto: ea tamen in Syllogismo non attenditur.

Sic falsum erit argumentum.

Necesse est quendam hominem esse Magistratum.
Necesse est Rusticum esse hominem, E.
Necesse est Rusticum esse Magistratum.

Nam Major est particularis, ac ita resolvitur: ***Aliquis inter homines, vel hic vel iste vel ille*** (per suppo-

ſuppoſitionem, ut vocant, confuſam) *neceſſario eſt Magiſtratus.* Unde emergit abſurda. Minor. *O. Ruſticus eſt ille aliquis. &c*

VIII. Oppoſitio Modalium vel Simplex eſt vel Exponibilis.

*1. Simplicem voco, cùm Modalis redigitur ad abſolutam, rejecto modo ad Prædicatum.

Homo habet neceſſariam copulam cum divitiis.

Homo non habet neceſſariã copulã cum divitiis.

*2. Exponibilem voco, cùm præfigitur particula NON.

Neceſſe eſt hominem eſſe divitem.

Non neceſſe eſt hominem eſſe divitem.

Nam ut ſupra dictum, ſic exponitur: *Hæc propoſitio: Neceſſe eſt hominẽ eſſe divitem, non eſt vera.*

†1. Quando NON præfigitur Enunciationi, nota eſt Contradictionis: quando in *Neceſſe* & *Impoſſibile* poſtponitur, nota eſt Contrarietatis. Hinc *non neceſſe* certo reſpectu idem valet ac *Contingit*, *Neceſſe non* idem ac *Impoſſibile.* *Impoſſibile non* idem ac *neceſſe* &c.

†2. Interdum Modus Modo opponitur: cum aliqui Modi adhærentem habeant Negationem.

Contradictoria hæc eſt:

Impoſſibile eſt hominem eſſe Regem.

Poſſibile eſt hominem eſſe Regem.

Nam impoſſibile eſt non poſſibile.

Contraria hæc eſt.

Neceſſe eſt hominem mori.

Impoſſibile eſt hominem mori.

Nam impossibile hoc loco idem valet ac necesse non.

Certo respectu hæc est contradictoria:

Necesse est hominem mori.

Contingit (quasi dicas, non necesse est) *hominem mori.*

IX. Æquipollentia Modalium nunc est facillima, si ex antecedentibus cognoscatur, quæ Oppositio sit Contraria, quæ Contradictoria.

X. Minorem curam dabit Conversio, si denuo notetur Modum pertinere ad Prædicatum. *vid. thes. IV.*

CAPUT X.
De Enunciatione Exponibili.

I.

ALteram Enunciationum determinatarum Speciem faciunt Exponibiles, quas aliqui vocant Modales secundario tales.

II. Est autem Enunciatio Exponibilis, quæ virtualiter plures Enunciationes continet, adeoque indiget expositione.

III. Pertinent huc EXCLUSIVÆ, EXCEPTIVÆ, RESTRICTIVÆ & COMPARATIVÆ.

IV. Exclusiva utitur vocabulis excludendi vim habentibus. *Solus, Tantum, duntaxat, unicè* &c.

*1. Nam

*1. Nam si dixero: *Solus homo fit Consul*, gemina exprimitur Enunciatio. *1. Homo fit Consul. 2. Qc. non est homo non fit Consul.*

*2. Et occurrit exclusiva ejusmodi particula vel *in Subjecto*, vel *in Prædicato*, vel *in Signo*.

In Subjecto, quale est exemplum superius *Solus homo fit Consul.*

In Prædicato, *Mulier loquitur vernaculam tantum* h. e. *Mulier loquitur vernaculam* & *Mulier non loquitur aliam, quæ non est vernacula.*

In Signo, *Tantùm aliquis cibus consumitur ab homine* h. e. *aliquis cibus consumitur ab homine, aliquis ab eodem non consumitur.*

†1. Hinc apparet Exclusivas Enunciationes tacitam seu implicitam fovere Negationem: unde hoc Argumentum non procedit ob minorem negativam.

O. Imperator est homo.
Solus Leopoldus est Imperator, E.
Solus Leopoldus est homo.

†2. Exclusiva tamen Particula debet afficere principale Subjectum aut Prædicatum, non pertinere ad eorundem determinationem. Inde nulla vis excludendi, sed infinitus saltem medius terminus, apparet in hoc Argumento.

Qc. solus est Imperator, non habet Majestatis socium.
Leopoldus solus est Imperator. E. &c.

†3. Quomodo signum particulare *Quidam* & Modus *Contingit* sæpe intelligi debeant in sensu

exclusivo, supra diximus *Cap. IV. thes. III.* † *1. Cap. IX. thes. 3. p. 48.*

VI. Exceptiva gerit particulas ***Præter, Præterquam, Nisi.***

* 1. *Omnes Europæ Reges præter Turcam sunt Christiani.*

ubi datur hæc Expositio:

Turca non est Christianus,

O. Europæ Rex, qui non est Turca, est Christianus.

*2. Et valet iterum Exceptio tum in Subjecto tum in Prædicato. De Subjecto jam dedimus Exemplum. In Prædicato: *Augustinus omnem possedit felicitatem, si excipias prolem masculam.*

† Exceptiones nihil variant in Syllogismis: nam Subjecto & Prædicato saltem accedunt ut determinationes, nec afficiunt terminos principaliter.

VII. Restrictiva gaudet particulis ***Quoad, Quatenus, Qua, In quantum, prout, secundum, juxta &c.***

e.g. *Leopoldus, quatenus Imperator, gerit Aquilam.* Quæ Propositio sic resolvitur: *1. Leopoldus gerit Aquilam. 2. Imperatoria dignitas est illud ipsum Adjunctum, cujus respectu geritur Aquila.*

† 1. Est autem Restrictio duplex, vel *Reduplicativa* vel *Specificativa.*

† 2. Reduplicativa repetit universum Subjectum: *Imperator quatenus Imperator, gerit Aquilam.*

† 3. Spe-

† 3. Specificativa non repetit Subjectum, sed aliquid in Subjecto designat, seu, ut loquuntur Philosophi, specificat, cur Prædicatum insit Subjecto: *Imperator, quatenus simul est Archidux Austriæ, possidet Viennam.*

VIII. Comparativa unum Prædicatum componit cum duobus Subjectis.

e.g. *Plato est antiquior Cicerone,*
ubi valet hæc resolutio:
Plato est antiquus,
Cicero non est tàm antiquus.

† Sed quia nec Restrictiva, nec Comparativa aliud agunt in propositione, quam determinant: igitur in Syllogismis nullum inde venit periculum, ac sola adeo difficultas residet penes Exclusivas.

IX. Oppositio exponibilium Facillima est, quæ præfigit particulam NON.

Solus Rex imperat.
Non solus Rex imperat.

† 1. Sed notandum præfixâ negatione non everti omnem propositionem, sed saltim id, quod innuitur particulâ, sive exclusivâ, sive exceptivâ &c. Nam non negatur *Regem imperare*; sed istud non conceditur, *solum esse qui imperat.*

† 2. Datur quoq; Oppositio, qualis supra *Cap. IX. thes. IIX.* † 2. allegabatur, *Modi ad Modum*, & hoc loco diceretur *Exclusivæ ad Exceptivam*

Solus Aristoteles est Philosophus.
Aliquis præter Aristotelem est Philosophus.

Sed prior æquipollet huic: *Nemo præter Aristotelem est Philosophus:* unde purissima fluit Contradictio.

X. Conversio fallere non potest, si discernas Subjectum à Prædicato, Affirmationem à Negatione.

e. g. *Solus* (Nemo qui non est) *Aristoteles est Philosophus.* E.
N. Philosophus est non (seu is qui non est) *Aristoteles.*
Aliquis præter Socratem (qui non est Socrates) *est doctus.* E.
Aliquis doctus non est Socrates.
O. baptizatus præter incredulum (qui non est incredulus) *salvatur.* E.
Q. qui salvatur, est baptizatus non incredulus.
Johannes quatenus Philosophus, est Magister E.
Q. Magister est Johannes, quatenus Philosophus.

h. e. quatenus consideratur ut Philosophus.
Cicero est purior Terentio. E.
Q. qui purior est Terentio, est Cicero.

PAR-

PARTIS I.
LIBER SECUNDUS,
DE
SYLLOGISMO.

De Syllogiſmi Naturâ.

I.

SYllogiſmus eſt Oratio, ubi è duabus propoſitionibus ſ. præmiſſis, inter ſe connexis, per neceſſariam Conſequentiam elicitur tertia Propoſitio ſeu Concluſio.

II. Propoſitiones, ut dictum, ſunt tres: duæ Permiſſæ, quarum prima vocatur Major, altera Minor, & tandem Concluſio.

e.g. Major O. *Animal ſentit.*
Minor O. *Equus eſt animal.* E.
Concluſio O. *Equus ſentit.*

III. Termini harum propoſitionum ſunt tres: Major, Minor, Medius.

† Terminus dicitur, quod ſupra audiebat Subjectum vel Prædicatum: iſtæ enim partes Propoſitionis extremitatem utrinque ſtatuunt, ſeu eandem ab utraque parte terminant.

 *Sane

* Sane tres Propoſitiones neceſſariò terminos habent ſex; tria Subjecta, tria Prædicata: ſed hæc ipſa eſt Propoſitionum Connexio quòd repetitis terminis unaquæque Propoſitio cum alterâ aliquid habet commune.

IV. Medius terminus eſt qui bis occurrit ante Concluſionem, nec eam ingreditur.

†Nam Medius terminus eſt ratio ſ. ætiologia Concluſionem probans: ſed nihil probat ſe ipſum.

V. Major terminus eſt, qui in Majori Propoſitione cum Medio conſtruitur; Minor, qui Medio additur in Propoſitione Minori.

*Sic in Syllogiſmo theſeos II. *animal* eſt medius terminus, *ſentit* Major, *equus* Minor.

VI. Syllogiſmus, aut conſideratur reſpectu Materiæ, ac eſt triplex, *Demonſtrativus*, *Probabilis*, *Sophiſticus*.

VII. Aut conſideratur reſpectu Formæ, & dicitur *Perfectus* vel *Imperfectus*.

* Sed de Materiali diſcrimine agemus infra: nec non de formâ imperfectâ, cum perfectum ſemper ſoleat eſſe nota Imperfecti.

VIII. Perfectus Syllogiſmus vel eſt *Categoricus* vel *Hypotheticus*, item vel *Abſolutus* vel *Modalis* & *Exponibilis*.

* Sed itidem prius agendum fuerit de Categoricis & Abſolutis; cum ex horum naturâ de reliquis ſit judicium.

IX. Do-

IX. Doctrinam Perfecti Syllogiſmi dirigunt Regulæ tum Generales, tum Speciales. Generales ad omnem argumentationem ſpectant: Speciales ad certam Syllogiſmi Figuram diriguntur.

X. Eſt autem Figura Syllogiſmi, quæ certam Medii termini diſpoſitionem ſequitur.

* Aut enim Medius Terminus poteſt in utraque Præmiſſarum eſſe Subjectum, aut utrinque Prædicatum, aut in alterâ Subjectum, in alterâ Prædicatum.

XI. Figuræ ſunt tres, *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, de quibus infra ſigillatim.

XII. Quælibet Figura ſuos habet Modos, h. e. in ſuis Propoſitionibus certam & Qualitatem & Quantitatem requirit.

CAPUT II.
De Regulis Syllogiſmi Generalibus.

I.

PRima Regula eſt: *In Syllogiſmo non debent eſſe plures termini, quàm tres.*

* 1. Neque ſaltem violatur hæc Regula, cùm quatuor termini ponuntur explicitè.

O. Le-

O. Lepus currit.
N. homo est Leo. E.
N. Leo currit.

Sed etiam cum termini per occultam fraudem implicitè multiplicantur. Id quod contingit.

I. Per Æquivocationem.
Vulpes (proprie talis) *devorat crudas gallinas.*
Herodes est Vulpes (impropriè) E.
Herodes devorat crudas gallinas.

II. Cum termino aliquid adjicitur.
O. Consul est homo.
Johannes futurus est Consul. E.
Johannnes futurus est homo.

Ubi alius terminus est Consul, alius vero Consul futurus.

III. Cum terminus è casu recto mutatur in obliquum, vel ex Concreto abit in Abstractum.
Temperantia est Virtus.
Josephus est temperans. E.
Josephus est virtus.
Vinum generatur in vite.
Absinthium est in vino. E.
Absinthium generatur in vite.

IV. Cùm diversus utrobiq; respectus intercedit,
Qc. effundit sanguinem (intellige humanum)
Illius sanguis vicissim effundetur.
Lanio mactans porcum effundit sanguinem (porcinum.) E.
Lanionis mactantis porcum sanguis vicissim effundetur.

*1. Et

*1. Et diversum hunc respectum, qui observaverit, jam paratum habet remedium adversus pleraque Sophismata, ut suo loco probabimus.

*2. Non tamen violatur Regula, si in alterâ Propositione per Ellipsin aliqua omittantur commodioris locutionis causa, quæ facillime possunt adjici.

Sic legitimi sunt Syllogismi.

Qc. Peccator resipiscit, invenit gratiam.

Petrus resipiscit, E. &c.

Nam Minor facilè potest suppleri: *Petrus est Peccator, qui resipiscit.*

In quacunque Civitate prædicatur Christus, in eadem habitant Christiani.

Lipsiæ prædicatur Christus. E.

Lipsiæ habitant Christiani.

Nam hic etiam apparet evitari molestam repetitionem, quæ tamen esset facillima h.m.

O. *Civitas, in qua prædicatur Christus, est Civitas, in qua habitant Christiani.*

Lipsia est Civitas, in qua &c. E.

II. Altera Regula est: *Medius Terminus non ingrediatur Conclusionem.*

Inde falso concluditur:

Nero est bonus Musicus.

Nero est Imperator. E.

Nero est bonus Imperator.

Nam non debebat repeti medius terminus, sed minor h.m.

Q. Imperator est bonus Musicus.

III. Ter-

III. Tertia Regula: *Ex puris particularibus nihil sequitur.*

Sic falsum est argumentum:

Q. animal est lepus.
Q. homo est animal. E.
Q. homo est lepus.

†1. Fundamentum hujus Regulæ est Dictum (ut vocant) de *OMNI* & *NULLO*, quod sic intelligi debet. In omni argumentatione ponendum aliquid, quod est Universale; ut si postmodum recurrat exemplum, quod referri possit ad universale Subjectum, eidem quoque tribuatur Prædicatum. e. g.

Omnis Virtus est honesta, & *Temperantia* postmodum *ad Virtutem* refertur, facile apparet, eidem competere hoc Prædicatum, *ut sit honesta.* Vicissim si *nullus homo volat. Petrus* sub *homine* comprehensus itidem ab hoc Prædicato excluditur.

†2. Accedit & hoc, quod in puris particularibus implicitè dantur plures termini quàm tres.

Q. Consul (Norimbergensis) *vocatur illustris,*
Q. Consul (Schildbergensis) *merus est Rusticus.* E.
Q. qui merus est Rusticus, vocatur illustris.

Et hinc nulla est terminorum connexio, ac proinde nulla Consequentia.

IV. Quarta Regula: *Ex puris Negativis nihil sequitur.*

Nam

Nam in omni Syllogismo debet dari Proportio s. convenientia, vel ut hactenus loquimur, connexio. Quamobrem si dicas:

N. Rusticus est eruditus.
N. Professor est Rusticus. E.
N. Professor est eruditus.

Nulla erit convenientia, nulla argumentatio. Ex adverso si dicas:

N. Rusticus est eruditus.
Nicolaus est Rusticus. E.
Nicolaus non est eruditus.

Fundamentum argumentandi hoc est, *Nicolaus* convenit cum *Rustico*, Et *non esse eruditum* s. negatio Eruditionis itidem convenit cum *Rustico.* Quamobrem quæ conveniunt in uno tertio, conveniunt inter se. Ac adeo in singulis Syllogismis requiritur altera Præmissarum, quæ affirmet.

V. Neque tamen pro Negativis Syllogismis haberi debent, qui procedunt ex terminis infinitis, si vel maximè extrinsecus pro Negativis habeantur. *Vid. L. I, Cap. III. thes. 5.*

† 1. Etsi hæc ipsa Regula tum demum explicari cum fructu potest: ubi jam de Figuris Auditor judicare didicit; tamen ob commodissimum dicendi locum aliqua proponenda sunt prolixius, in gratiam provectiorum, qui puerilem Figurarum notitiam jam sunt adepti.

Oc-

†2. Occurrunt autem Syllogiſmorum infinitorum exempla.

I. In primâ Figurâ, ubi minor videtur negare.

Qc. non novit Chriſtum, non ingreditur regnum cœlorum.

N. Turca novit Chriſtum. E.

N. Turca ingreditur regnum cœlorum.

Nam minor non eſt negativa. Si enim integrum Majoris Subjectum fiat Minoris Prædicatum, genuina hæc Syllogiſmi erit facies:

Qc. eſt is, qui Chriſtum non novit, non ingreditur cœlum.

O. Turca eſt is, qui Chriſtũ non novit. E. *&c.*

II. In Secundâ Figurâ, ubi Concluſio videtur negare.

Qc. non habet veſtem nuptialem, ille non eſt gratus Sponſo.

N. Rivalis eſt gratus Sponſo. E.

N. Rivalis habet veſtem nuptialem.

Hîc ſane dici non poteſt, ex puris negativis nihil ſequi; ſed potius infinitum Majoris Subjectum, in Concluſione factum Prædicatum, Concluſionem relinquit affirmantem h.m.

Qc. eſt is, qui non habet veſtem nuptialem ille non eſt gratus Sponſo.

N. Rivalis eſt gratus Sponſo. E.

O. Rivalis eſt is, qui non habet &c.

Unde jam cognoſcitur, Concluſionem affirmativam in ſecundâ Figurâ nihil valere.

III. In converſione per Contrapoſitionem.

Sic

Sic si Argumentum modo allegatum, utrinq; infinitũ, velim redigere ad sensum finitum.

Qc. placet Sponso, habet vestem nuptialem.

N. Rivalis placet Sponso. E.

N. Rivalis habet vestem nuptialem.

apparet Syllogismum primæ figuræ, contrapositione adhibitâ, induisse fallacem larvam secundæ figuræ.

Sic falsus non est Syllogismus:

Qc. non est stultus, non est superbus.

Petrus non est superbus. E.

Petrus non est stultus.

Nam non pertinet ad secundam, quin potius ad primam, si Major per Contrapositionem denuò fiat finita.

Quod si retinere velis sensum infinitum, is quoque in reliquis propositionibus esset observandus h. m.

Qc. est non stultus, non est superbus.

Petrus non est non superbus. E.

Petrus non est non stultus.

VI. Quinta Regula est: *Conclusio sequitur partem debiliorem.*

* Hoc est, si aliqua ex Præmissis fuerit particularis, conclusio quoque talis est; si fuerit negativa, negationem assumit Conclusio. Nam Particulare debilius est universali, Negativum affirmativo.

† Ubi enim est convenientia s. connexio particularis, ibi non potest procedere aliquod universale. e.g.

O Doctor fuit in Academiâ.
Q. Civis est Doctor. E.
Q. Civis fuit in Academiâ.

Si Civis particularem habet connexionem cum Doctore, particulariter etiam sibi tribuet universale Doctoris Prædicatum.

VII. Aliqui Syllogismi, quorum vera est Conclusio, non sunt boni *per se*, aut per suam formam, sed *per Accidens*, h.e. per Materiam.

* Sic verus est Syllogismus:

N. Gallus est Germanus.
N. Italus est Gallus. E.
N. Italus est Germanus.

Interim quia forma Syllogismorum tum bona est, cum in omni exemplo legitime concluditur; facile opponi potest ejusdem formæ Argumentum, cujus Conclusio sit absurda e.g.

N. Gallus est Germanus.
N. Saxo est Gallus. E.
N. Saxo est Germanus.

CAPUT III.
De Primâ Figurâ.

I.

PRima Figura est, ubi medius terminus in majori est Subjectum, in minori Prædicatum.

Qc. cre-

Qc.credit, ſalvatur.
Paulus *credit*. E.
Paulus ſalvatur.

II. Modi hujus Figuræ ſunt quatuor, quos communiter deſignamus vocibus *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*.

* Nam ex ſupra dictis patet A denotare univerſaliter affirmantem. E. Negantem, I. particulariter affirmantem, O. negantem.

Bar-	*O. peccator eſt mortalis.*
ba-	*Q. homo eſt peccator.* E.
ra.	*O. Homo eſt mortalis.*
Ce-	*N. ignavus ſit eruditus.*
la-	*O. potator eſt ignavus.* E.
rent.	*N. potator ſit eruditus.*
Da-	*O. potator negligit ſtudia.*
ri-	*Q. Clericus eſt potator.* E.
i.	*Q. Clericus negligit ſtudia.*
Fe-	*N. ignavus debet promoveri.*
ri-	*Q. Studioſus eſt ignavus* E.
o.	*Q. Studioſus non debet promoveri.*

III. Carere tamen facile poſſumus his Modorum nominibus, ſi ſecundum Regulas generales ſimul obſervemus Speciales.

IV. Et in primâ quidem Figurâ duas habemus Regulas.

1. Major ſemper ſit univerſalis.
2. Minor ſemper ſit affirmans.

Hinc falſo concluditur.

Q. animal volat.

O. Leo eſt animal. E.

Q. Leo volat.

O. Paſſer volat.

N. Anſer eſt Paſſer. E.

N. Anſer volat.

V. Prima Figura eſt norma reliquarum.

† 1. Hinc reliquæ Figuræ ad primam ſolent reduci. Et hujus quidem Reductionis causâ Modis indita fuerunt iſta nomina, certis Vocalibus & Conſonantibus diſtincta. Sed poſtquam facilior reducendi methodus invaluit, tanto ſecurius contemni poſſunt iſta adminicula. Quod aliquanto clarius patebit in Exemplis Secundæ ac Tertiæ Figuræ.

† 2. Sane Reductionis in Praxi nulla eſt neceſſitas, aut utilitas. Interim apud Tyrones negligi talia exercitia non debent: quippe quibus natura ac ordo Syllogiſmorum tot varietatibus probè inculcantur.

† 3. Ad primam Figuram ſimul pertinet ea, quam dicunt Quartam Figuram Galeni; ubi medius terminus in Majori eſt Prædicatum & in Minori Subjectum: nam prima ſaltem Figura transponitur h.e. Majoris locô ponitur Minor.

Paulus credit.

O. qui credit, ſalvatur. E.

Q. qui ſalvatur, eſt Paulus.

Caput IV.
De Secundâ Figurâ.

I.

Secunda Figura eſt, ubi Medius terminus in utraque Præmiſſarum eſt Prædicatum.

O. Eruditus *novit libros.*
Q. Miles non *novit libros.* E.
Q. Miles non eſt eruditus.

II. Hic itidem quatuor ſunt Modi: *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.*

Ceſ-	*N. Turca eſt Germanus.*
a-	*O. Elector eſt Germanus.* E.
re.	*N. Elector eſt Turca.*
Cam-	*O. Princeps habet Jurisdictionem.*
es-	*N. Ruſticus habet Jurisdictionem.* E.
tres.	*N. Ruſticus eſt Princeps.*
Fes-	*N. Sapiens eſt ſuperbus.*
ti-	*Q. Legatus eſt ſuperbus.* E.
no.	*Q. Legatus non eſt ſapiens.*
Ba-	*O. Rex habet regnum.*
ro-	*Q. Superbus non habet regnum.* E.
co.	*Q. Superbus non eſt Rex.*

III. Sed iterum ſatius eſt, vel neglectis his nominibus reſpicere ad duas Regulas.

1. *In Secundâ Figurâ Major ſemper ſit univerſalis.*
2. *Altera Præmiſſarum, adeoque ipſa Concluſio, ſit negativa.*

Hinc falſo concluditur.

Q. homo eſt ſapiens.
N. ſtultus eſt ſapiens. E.
N. ſtultus eſt homo.
O. lepus vivit.
Tu vivis. E.
Tu es lepus.

IV. Reductio Secundæ ad Primam fit, cum Medius terminus, qui debebat in Majori eſſe Subjectum, beneficio Converſionis locum debitum occupat.

*1. Si Major ſit univerſalis negativa, convertitur ſimpliciter; ſi univerſaliter affirmans, per Contrapoſitionem.

*2. Inde applicabimus exempla theſ. 2. allata.

Ce-	*N. Germanus eſt Turca.*
la-	*O. Elector eſt Germanus.* E.
rent.	*N. Elector eſt Turca.*
Ce-	*Qc. non habet Jurisdictionem, non eſt Princeps.*
la-	*Ruſticus non habet Jurisdictionem.* E.
rent.	*N. Ruſticus eſt Princeps.*

* 3. Minor ob infinitum Prædicatum affirmat.

Fe-	*N. Superbus eſt Sapiens.*
ri-	*Q. Legatus eſt Superbus.* E.
o.	*Q. Legatus non eſt Sapiens.*
Fe-	*Qc. non habet regnum, non eſt Rex.*
ri-	*Q. Superbus non habet Regnum.* E.
o.	*Q. Superbus non eſt Rex.*

CAP.

Caput V.

De Tertiâ Figurâ.

I.

TErtia Figura eſt, ubi Medius terminus utrobique eſt Subjectum.

Cornelius ſalvatur.
Cornelius eſt Ethnicus. E.
Q. Ethnicus ſalvatur:

II. Modi ſunt ſex, *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Da-	O. *Superbus vult honorari.*
rap-	O. *Superbus meretur contemni.* E.
ti.	Q *qui meretur contemni, vult honorari.*
Fe-	N *Modeſtus debet contemni.*
lap-	O. *Modeſtus fugit honores.* E.
ton.	Q. *Qui fugit honores, non debet contemni.*
Diſ-	Q. *Saxo eſt dives.*
am-	O. *Saxo eſt Germanus.* E.
is.	Q *Germanus eſt dives.*
Da-	O. *Pauper eſt timidus.*
ti-	Q. *Pauper eſt nobilis.* E.
ſi.	Q. *nobilis eſt timidus.*
Boc-	Q. *Studioſus non ægrotat.*
ar-	O. *Studioſus eſt homo.* E.
do.	Q. *homo non ægrotat.*

Fe- *N. Studiosus est Mercator.*
ris- *Q. Studiosus est dives.* E.
on. *Q. dives non est Mercator.*

† Quod si occurrat talis Syllogismus, qui ob Medium terminum planè Singularem, videatur concludere ex puris particularibus.

Petrus est Senator.
Petrus est eruditus. E.
Q. eruditus est Senator.

Sciendum Singulares Propositiones in tertiâ Figurâ æquivalere universalibus, adeoque Syllogismum rejici ad Darapti, ac in Reductione sic se habere.

Hic Petrus est Senator.
Q. Eruditus est hic Petrus. E.
Q. Eruditus est Senator.

Aliqui tales Syllogismos negant reduci posse, quod absit Dictum de omni: quibus quidem nolim repugnare.

III. Sufficiat interim nosse duas Regulas.

1. In Tertiâ Minor semper sit affirmans.
2. Conclusio semper sit particularis.

Quamobrem falso concluditur.

O. homo ambulat.
N. homo est porcus. E.
Q. porcus non ambulat.
O. Senator est honoratus.
O. Senator est homo. E.
O. homo est honoratus.

† Exci-

† Excipitur tamen Minor, cujus Prædicatum infinitum negationem repetit in Subjecto Conclusionis.

Cornelius salvatur.
Cornelius non est Judæus. E.
Q. qui non est Judæus, salvatur.

IV. Reductio Tertiæ Figuræ ad Primam tum contingit, ubi Medius Terminus, qui debebat in Minori esse Prædicatum, beneficio Conversionis rite collocatur.

*1. Quod si Major sit particularis, necesse est transponi Propositiones, & è Minori fieri Majorem.
*2. Nunc facile procedent exempla.

Da- *O. Superbus vult honorari.*
ri- *Q. qui meretur contemni, est Superbꝰ.* E.
i. *Q. qui meretur contemni, vult honorari.*
Fe- *N. modestus debet contemni.*
ri- *Q. qui fugit honores est modestus.* E.
o. *Q. qui fugit honores non debet contemni*
Da- *O. Saxo est Germanus.*
ri- *Q. dives est Saxo.* E.
i. *Q. dives est Germanus.*
Da- *O. Pauper est timidus,*
ri- *Q. Nobilis est pauper.* E.
i. *Q. Nobilis est timidus.*
Da- *O. Studiosus est homo.*
ri- *Q. qui non ægrotat, est Studiosus.* E.
i. *Q. qui non ægrotat est homo.*

* Hic è termino negativo fit infinitus: ac ipsa Conclusio reducenda convertitur simpliciter.

Fe- *N. Studiosus est Mercator.*
ri- *Q. dives est Studiosus.*
o. *Q. dives non est Mercator.*

Caput VI.

De Syllogismis Hypotheticis.

I.

SYllogismi hypothetici sunt, qui ex ejusmodi Propositionibus construuntur, & sunt vel strictè sic dicti Conditionales.

Si Johannes est nobilis, antecedit Rusticum.
Sed Johannes est nobilis. E.
Johannes antecedit rusticum.

II. Vel sunt in acceptione latiori simul Copulativi, & Disjunctivi, de quibus paulò post.

III. Conditionales Syllogismi non pertinent expressè ad certam Figuram, sed duabus Regulis diriguntur.

† Expressè dixi ad certam Figuram non pertinere; nam ut exempla declarabunt, in singulis Conditionalibus delitescit forma Syllogismi Categorici.

IV. Prima Regula est: *Posito Antecedente ponitur Consequens.*

*1. Ponere idem est ac affirmare, removere idem ac negare.

*2. Sic

*2. Sic legitimus est Syllogismus.

Si Judas desperat, damnatur.
Sed verum est prius, seu ponitur Antecedens, h. e. *Judas desperat.* E.
Verum est posterius seu ponitur Consequens Judas damnatur.

† 1. Fundamentum hujus Regulæ quærendum est in primâ Figurâ, ubi medius terminus in Majori est Andecedens s. Subjectum, *vid. l. 1. cap. I. thes. 6. † 1.*

Q. *desperat, damnatur.*
Judas desperat. E.
Judas damnatur.

† 2. Quod si velis negato Andecedente negare Consequens h. m.

Si homo est avis, est animal.
Sed removetur Antecedens, h. e. homo non est avis. E.
Homo non est animal,

delitesceret in eo Syllogismus primæ Figuræ, qui minorem haberet negantem.

O. avis est animal.
Homo est avis. E.
Homo non est animal.

V. Altera Regula est: Remoto Consequente removetur Antecedens.

Si Judas salvatur, credit in Christum.
Sed falsum est posterius seu removetur Consequens, h.e. *Judas non credit in Christum.* E.
Falsum est prius seu removetur Antecedens, h.e. *Judas non salvatur.*

† 1. Fun-

† 1. Fundamentum quærendum eſt è ſecunda Figura, ubi medius terminus in Majori eſt Conſequens ſeu Prædicatum.

Qc. ſalvatur, credit in Chriſtum.
Judas non credit in Chriſtum. E.
Judas non ſalvatur.

† 2. Quod ſi velis argumentari poſito Conſequente ad poſitionem Antecedentis.

Si miles eſt doctus, novit libros.
Sed verum eſt poſterius. E. *prius.*

deliteſceret Syllogiſmus ſecundæ Figuræ, qui perperam affirmat.

O. doctus novit libros.
Q. miles novit libros, E.
Q. miles eſt doctus.

† 3. Hoc loco non rarum eſt Sophiſma.

Si O. Juſtitia eſt Virtus, ſequitur (vi Converſionis)
Q. virtutem eſſe Juſtitiam.
Sed Q. Virtus non eſt Juſtitia.
(Subintellige Q. virtutem eſſe Temperantiam.) E.
Juſtitia non eſt virtus.

Nam apparet removeri Conſequens; & adeo legitimè removeri Antecedens; Sed ſciendum removeri nihil aliud eſſe, quàm per contradictionem tolli: atq; adeo ſic debuiſſe informari alteram Propoſitionem. *Sed N. Virtus eſt Juſtitia.*

† 4. Neque abeſt luſus terminorum infinitorum.

Si Johannes non eſt animal, non eſt equus.
Sed non eſt equus. E.
non eſt animal.

Ad

At removeri non poteſt Conſequens infinitum, niſi geminatâ particulâ NON. *Johannes non eſt non Equus.*

VI. Copulativus Syllogiſmus eſt, qui Majorem Propoſitionem habet copulativam.

† Nulla horum Syllogiſmorum eſt utilitas, niſi cùm copulatio negatur, adeoque uno poſito removetur alterum.

Carolus non & Rex eſt & ſubditus.
Sed Carolus eſt Rex. E.
non eſt Subditus.

Interim in diſputando rectius ita argumentamur.

Qc. eſt Rex, ille non eſt ſubditus.
Carolus eſt Rex. E.
Carolus non eſt Subditus.

Ut inde his luſibus facile carere queamus, ſi veritas & modus ſciendi, non tricæ inutiles quærantur.

VII. Disjunctivus Syllogiſmus Majorem habet disjunctivam.

Johannes aut dormit aut vigilat,
Sed dormit E.
non vigilat.

Quaſi dixiſſes in primâ Figurâ.

Qc. dormit, non vigilat.
Johannes dormit. E.
Johannes non vigilat.

Johannes aut dormit aut vigilat,
Sed vigilat. E.
non dormit.

Quaſi dixiſſes in Secundâ Figurâ.

N.dormiens vigilat.

Johannes vigilat. E.

Johannes non eſt dormiens.

Johannes aut dormit, aut vigilat.

Sed non vigilat. E.

dormit.

Quaſi dixiſſes itidem in Secundâ Figurâ.

Qc. non eſt dormiens, is vigilat.

Johannes non eſt vigilans. E.

Johannes non eſt non dormiens.

ſeu rectius in primâ.

Qc. non vigilat, dormit.

Johannes &c. E.

† 1. Difficultas harum argumentationum non tam exiſtit in formâ, quæ quidem Regulam habet facillimam: *poſito uno disjunctionis membro removeri reliqua,* & *remotis reliquis poni reſidua,* nempe ultra dichotomian ſæpe abit disjunctio. e.g. *Animal aut eſt quadrupes, aut volatile, aut reptile, aut natatile.* E.

Hoc Animal eſt natatile. E.

nec quadrupes, nec volatile, nec reptile.

Sed vitium quærendum eſt in Materiâ, num legitima fiat disjunctio, h. e. an opponantur ſibi, quæ ſimul ſtare poſſunt.

Petrus aut Saxo eſt, aut Germanus.

Sed eſt Saxo E.

non eſt Germanus.

vel an aliqua disjunctionis membra omittantur.

Ger-

Germanus aut est Saxo aut Thuringus.
Sed non est Thuringus. E.
est Saxo.

VIII. Inter Disjunctivos Syllogismos sive nobilissimo, sive celebratissimo loco ponitur Dilemma; ubi omnia membra connexi seu Majoris in Minori seu assumpto tolluntur.

Aut peregrinus Princeps eligi debet, aut indigena.
Sed nec peregrinus, nec indigena. E.
Nullus Princeps eligi debet.

†1. Et vocatur Syllogismus hic cornutus, quia duobus quasi cornibus utrumque disjunctionis membrum evertit.

†2. Quod si velis vim Dilemmatis cognoscere, id explicatius referendum erit vel ad ordinarium Disjunctivum, vel ad Hypotheticum.

ad Disjunctivum.

Princeps aut peregrinus eligi debet, aut indigena, aut nullus.
Sed nec peregrinus nec indigena. E.
nullus.

Quasi dicas in primâ Figurâ.

Qc. nec eligi debet ex peregrinis, vel ex indigenis, ille planè non debet eligi.
Atqui Princeps &c. &c. E.

ad Hypotheticum.

Si Princeps debet eligi, aut eligendus est ex peregrinis, aut ex indigenis;
Sed removetur posterius, E. *& prius.*

IX. Ali-

IX. Aliqui hoc loco ſimul mentionem faciunt Syllogiſmi Aſſumptivi, qui aſſumptâ aliunde Similitudine, Majorem habet comparatam, adeoque Compoſitæ ſimilem.

† 1. Talium Syllogiſmorum mentio jam eſt facta Lib. 1. Cap. 5. theſ. 10. † 2. ubi oſtenſum id argumentandi genus & planè ſimplex & ordinarium eſſe.

† 2. Vocantur autem Aſſumptivi, ut diſtinguantur à Transſumptivis. Et Aſſumere quidem eſt quærere ſeu accerſere aliquid, quod cum altero connectatur. Ut in hoc argumento.

Quod in corpore eſt ſanguis, illud in Rep. eſt pecunia.
Sed dempto ſanguine flacceſcit corpus. E.
demptâ pecuniâ flacceſcit Reſp.

Aſſumitur ſimilitudo ſanguinis, quæ comparatur ad Remp.

† 3. Transſumere ſi in Minori aliquam Majoris partem repetere, quod fieri ſolet in hypotheticis e.g.

Si homo vivit, nutritur.
Sed (transſumtâ Majoris antecedente parte) *homo vivit.* E.
Homo nutritur.

† 4. Quod ſi Aſſumptivorum Syllogiſmorum plura exempla libeat inſpicere; forte occurret Argumentum ab omnibus Logicis vexatum.

Quod Darius eſt, id non eſt Xerxes.
Darius eſt Rex Perſarum. E.
Xerxes non eſt Rex Perſarum.

Sed reſponderi poteſt vel ad formam, vel ad materiam. Ad Formam, ſi ex Regulâ tertiæ Figuræ Concluſiò ſuo reſtituatur ordini.

Darius non eſt Xerxes.

Darius eſt Rex Perſarum. E.

Q. Rex Perſarum non eſt Xerxes.

Ad Materiam, ſi accedat limitatio, quæ oſtendit adeſſe quatuor terminos.

Quod Darius eſt, id non eſt Xerxes.

Darius eſt Rex Perſarum. (in ordine quartus.) E.

Xerxes non eſt Rex Perſarum. (in ordine quartus.)

† 5. Et profectò quod dictum in disjunctivis, id omnino valet in Aſſumptivis, quos non tam forma, quàm materia æquivoca reddit difficiles e. g.

Ubi ego ſum, tu non es.

Ego ſum in hypocauſto. E.

Tu non es in hypocauſto.

Nam Phyſica, quæ agit de Loco, vel etiam Logica, quæ ſimilem Materiam in Prædicamento Quantitatis ventilat, hanc ſuppeditat limitationem.

In quo loco (proprio) *ego ſum, tu non es.*

Ego ſum in Hypocauſto, tanquam in loco (communi.)

Quamobrem in diſciplinis verſatus ſit oportet, qui ſibi exoptaverit perfectum Reſpondendi artificium.

CAPUT VII.
De Syllogiſmis Modalibus & Exponibilibus.

I.

QUomodo ſe res habeat in Syllogiſmis Modalibus, & quomodo per reductionem ad formam abſolutam judicari quàm commodiſſimè queant, ſupra dictum Lib. I. Cap. IX. theſ. 4. † 3.

II. Quamobrem ſuaſor eſſe velim, ut quoties in formâ obſcuritas emergit, medela quæratur per Paraphraſin. Hæc enim oſtendet, multas formas anteà rejectas planè fieri legitimas.

e. g. Argumentum ſuperius adductum,

Poſſibile eſt O. currens eſſe leporem.
Poſſibile eſt O. currens eſſe hominem. E.
Poſſibile eſt hominem eſſe leporem.

à pleriſque ſic reſolvitur, ut eruantur quatuor termini h. m.

O. currens eſt poſſibiliter lepus.
O. homo eſt poſſibiliter currens. E.
O. homo eſt poſſibiliter lepus.

Interim quæ vis argumento ſanè legitimo fiat, ſupra docuit Paraphraſis accuratior.

III. Cæterum ſi ſcrupulus reſideat in æquivocatione terminorum, ac ipſâ materia incli-

clinet ad quatuor terminos, Logica ſaltem à ſolvendi onere abſolvatur.

IV. De Syllogiſmis Exponibilibus itidem diximus, nonniſi Excluſivos ideo fieri fallaces, quod tacita eosdem negatio comitetur.

† In expoſitione Enunciationum ſupra apparuit, quamlibet habere ſenſum duplicem, poſitivum & excluſivum: ac adeo ſecundum duplicem hunc reſpectum de Veritate Syllogiſmorum aliter atque aliter judicari. e. g.

Qc. ſcripſit Apocalypſin, habuit manus.
Solus Johannes ſcripſit Apocalypſin. E.
Solus Johannes habuit manus.

Hîc Expoſitio datur reſpectu ſenſus poſitivi.

Qui ſcripſit Apocalypſin, habuit manus.
Johannes (qui ſolus huic negotio invigilavit) *ſcripſit Apocalypſin.* E.
Johannes (qui ſolus &c.) *habuit manus.*

Sed ſenſus negativus, faciens minorem minus legitimam, ſic ſe habet:

Qui ſcripſit Apocalypſin, habuit manus.
O. qui non eſt Johannes, non ſcripſit Apocalypſin. E.
O. qui non eſt Johannes, non habuit manus.

V. Minorem moleſtiam pariunt reliqua Exponibilium Syllogiſmorum genera.

† 1. Nam termini Exceptivi, Comparativi, Reſtrictivi ſaltem ad determinationem pertinent, nec afficiunt principales Propoſitionum partes.

† 2. Quod si objicias Exceptivam:

O. loquens habet linguam.

O. homo, si excipias tacentem, est loquens. E.

O. homo, si excipias tacentem, habet linguã.

respondebitur esse aliquam Æquipollentiam Exceptivarum & Exclusivarum, quæ supra jam notata est. *L. 1. cap. X. thes. IX.* † 2. ut adeò Minor ita possit exprimi.

Solus homo, qui non est tacens, est loquens.

ac proinde idem cum Exclusivis hîc fuerit judicium.

Nisi velimus reductionem hanc tentare.

O. loquens habet linguam.

O. homo, qui non tacet, est loquens. E.

O. homo, qui non tacet, habet linguam.

† 3. Neque hic operæ pretium fuerit repetere lusus, qui quatuor terminos efficiunt, qualis ille est.

Fides sine operibus justificat.

Fides sine operibus est res mortua. E.

Q. res mortua justificat.

Nam quæ hujus generis sunt, ad exclusivas non pertinent.

† 4. Quod reliquum est, id monere omnes meos Auditores etiam velim atque etiam, ne credant in his Syllogismis aliquem disputationum splendorem, aut singularem eruditæ veritatis felicitatem consistere: quin potius omnia in eum finem esse discenda, ne alius otiosis & intricatis suis sophismatibus eorundem circulos turbare, ac apparentem ignorantiæ opinionem

ipsis

ipſis impingere valeat. Sane quantum memini in ſeriis diſputationibus, quas viginti abhinc annis frequentavi diligentiſſimè, ne ſemel quidem emerſit caſus ventilatione dignus, qui prolixis Summuliſtarum tricis illuſtrari optaverit.

CAPUT VIII.

De Formis Argumentandi imperfectis.

I.

EGimus de Syllogiſmis in ſe perfectis: nunc reſtant aliqua argumentationum genera, quæ quidem ſatis benè concludunt; ſed expreſsè bonitatem ſuam non teſtantur h. e. referunt ſive mutilum ſive implicitè latentem Syllogiſmum.

II. Hujus generis ſunt ENTHYMEMA, EXEMPLUM, INDUCTIO & SORITES.

III. Enthymema eſt Syllogiſmus, cujus altera præmiſſarum abſconditur, & ut ſenſus græci vocabuli arguit, in animo retinetur.

e. g. Omiſſa Minore.

O. credens ſalvatur. E.

Petrus ſalvatur.

Omiſſa Majore.

Petrus credit. E.

Petrus ſalvatur.

† In Oratoriis Enthymematum maxima eſt utilitas:cùm raró ponatur integerSyllogiſmus,ſed aliqua vel omittantur vel tanquam nota præſupponantur. Hinc Protaſin facit Concluſio ; Ætiologiam altera ex præmiſſis, medium terminum fovens.

IV. Exemplum eſt, ubi à ſingulari Exemplo ſive ad particulare ſive etiam ad univerſale concluditur.

Joſephus caſtus ſenſit benedictionem Dei. E.
O. caſti ſentiunt benedictionem Dei.

† 1. Quod ſi legitimare debeas hanc argumentionem, ea quamdiu concluſio fovetur particularis,continet Syllogiſmum tertiæ Figuræ.

Joſephus ſenſit benedictionem Dei.
Joſephus eſt caſtus. E.
Q. caſtus ſenſit benedictionem Dei.

† 2. Vel ſi concluſio placet univerſalis, reſpiciendũ ad primam Figuram,additâ hac explicatione.

Qc. Joſephus obtinuit ob caſtitatem , id ſibi promittere poſſunt reliqui caſti.
Atqui benedictionem Dei Joſephus obtinuit ob caſtitatem. E.
Benedictionem Dei reliqui etiam caſti ſibi promittere poſſunt.

† 3. Sane ut in Oratoriis exempla magis faciunt ad amplificationem,quam ad ipſam probationẽ; ſic etiam variis imperfectionibus ſubjacet hæcArgumentatio.Quippe una hirundo non facit ver, nec unum exemplum regulam univerſa-

versalem. Perinde ac si quis dicat, *Corpus est generis neutrius, ergo omnia Nomina in Us sunt hujus generis.*

V. Inductio est, cùm ab omnibus individuis argumentum deducitur ad Universale.

Petrus, Johannes, Matthias, Carolus, hic, ille, iste &c. Sunt mortales, E.
O. homo est mortalis.

† Hæc inductio primum initium dedit omnibus scientiis; nam quælibet scientia incipit à sensu, nec in sensum quicquam cadit, nisi quod singulare est. Sic à comparatione rerum inter se similium axiomata universalia fuerunt collecta: adeoque fundamentum Argumentationis hoc est.

Qc. prædicatur de singulis individuis, id prædicatur de specie.
Sed mortalitas (teste Experientiâ singularium observatrice) *prædicatur de singulis individuis.* E.
Mortalitas prædicatur de specie.

NB. Sed ista magis elucescent, ubi fuerimus progressi ad doctrinam Prædicabilium.

VI. Sorites, quasi dicas cumulus, plures propositiones conjungit, quàm tres e.g.

Qc. est rationalis, est docilis,
Qc. est docilis, potest seduci.
Qc. potest seduci, potest errare.

Qc. potest errare, potest Deo displicere. E.
Qc. est rationalis, potest Deo displicere.

† 1. Fundamentum consistit in pluribus Syllogismis, quos non eruimus, nisi per transpositionem, cum aliàs emergeret Figura quarta.

Qc. est docile, potest seduci.
O. rationale est docile. E.
O. rationale potest seduci.
Qc. potest seduci, potest errare.
O. rationale potest seduci. E.
O. rationale potest errare.
Qc. potest errare, potest Deo displicere.
O. rationale potest errare. E.
O. rationale potest Deo displicere.

† 2. Cæterum Sorites facile prolabitur in fallaciam, si una Propositio vel sit falsa vel ambigua: tunc enim ipsa falsitas penetrat usque in conclusionem.

Qc. quotidie epulatur, benè vivit.
Qc. benè vivit benè moritur.
Qc. benè moritur, habet veram fidem.
Qc. habet veram fidem, coram Deo est sanctus. E.
Q. qui quotidie epulatur, coram Deo est sanctus.

Nam ambiguitas est in Phrasi *benè vivit*, quæ vel significat indulgere genio, & bene vivere affectibus carnalibus, vel sequi virtutem ac bene vivere Deo.

CAP.

CAPUT IX.

De Syllogiſmo Demonſtrativo, Topico & Sophiſtico.

I.

CONſideravimus Syllogiſmum reſpectu formæ: nunc obiter attingemus diſcrimen à Logicis notatum reſpectu Materiæ. Nam medius terminus, qui Concluſionem probat, vel eſt neceſſarius, vel probabilis, vel falſus ac ad deceptionem proclivis.

II. Et Syllogiſmus quidem demonſtrativus eſt, qui affert cauſam neceſſariam, cur Concluſio debeat eſſe vera.

Calidum temperamentum conducit ventriculo debilitato.
Abſinthium habet calidum temperamentum. E.
Abſinthium conducit ventriculo debilitato.

Omne admirativum eſt riſibile.
Homo eſt admirativus. E.
Homo eſt riſibilis.

† De variis Demonſtrationum generibus, ut & de variis demonſtrationibus, unde Minor terminus dicitur ſubjectum, Major affectio, Medius cauſa; tum rectius agetur, cùm in altera parte oſtenderimus praxin Logices in Demonſtratione.

III. Syllogiſmus Topicus eſt, qui affert cauſam probabilem, cur Concluſio debeat eſſe vera.

* *Vocatur Andreas.* E.
Eſt vir fortis.
Habuit Parentem eruditum. E.
ipſe eſt eruditus.

† 1. Topicus vocatur à Locis communibus ſ. Topicis, unde varia dicendi & probandi argumenta depromuntur.

† 2. Sed cave, ne confundas univerſam Topicam cum argumentis probabilibus. Nam Topica, ut quidem in Oratoriis exponitur, imo ut eandem ſuis libellis annectunt Logici, non ſaltem eſt ſeries argumentorum taliter qualiter probantium, ſed potius omnium ætiologiarum complexio, ſive neceſſariam ſive contingentem habeant veritatem, e. g. unde meliores demonſtrationes procedunt, quàm è loco Definitionis & cauſarum? at iſtos ſimul numeramus in Topicis.

† 3. Interim iſta quoque tum explicabimus commodius, ubi ad Praxin Logices tranſierimus: nam qui his difficultatibus velit ſufficere, ut Doctrinam de terminis ſequenti libro proponendam cognoverit neceſſe eſt.

IV. Syllogiſmus Sophiſticus eſt, qui affert cauſam fallacem & à Sophiſtis ſ. fraudulentis diſputatoribus excogitatam, qua in ſpeciem pro-

probare s. veram asserere volunt Conclusionem inse falsam.

Qc. habet oculos habet corpus.
Deus habet oculum. E.
Deus habet corpus.

† Communiter fallaciæ in certas classes separantur, ac adeo memoriæ causa versiculos quoque habemus, ne tyrones in laudabili hoc invento oblivionis injuriam deplorent: sed quod supra dixi, aut peccatur in formâ, & tunc sufficiunt Regulæ Syllogisticæ, aut in materiâ, tunc Præmissarum aliqua vel apertè est falsa, ut rejici queat per nudam inficiationem, vel ambigua, ut post limitationem appareat quaternarius terminorum numerus e.g.

Qc. honorem præstat soli Deo, est Christianus.
Ethnici veteres in Persiâ honorem præstiterunt Soli Deo h.e. Sol erat Deus eorum. E.
Ethnici veteres in Persiâ fuerunt Christiani.

quid opus est nominare fallaciam Amphibolias, cùm ipsa Responsio; imo & minoris probatio, jam aperiat quatuor terminos?

† Id saltem rogo à meis Auditoribus, quos interdum, ferente sic Syllogismorum exercitio, ad cogitanda simul Sophismata compello, nolint hanc ludendi licentiam ad disputationes serias extendere, ac in Academia tandem laudatissimam eruditionis & veritatis palæstram ineptis ac fere puerilibus argumentatiunculis conspurcare. Sciant quomodo responderi debeat Sophistis: ipsi tamen aliis respondendi

hanc

hanc neceſſitatem non injungant. Imo credant tales Objectiones vel riſu vel arguto dicto potius, quàm moleſtâ inquiſitione, aut limitatione convelli poſſe. Cujus generis elegantiſſima ſuccurrit hiſtoria. Diſputabat Magiſter non contemnendus de Igne Fatuo: Opponendi provincia injuncta erat neſcio cui è commenſalibus, qui magnam calliditatis ſuæ gloriam reportaturus ſic argumentabatur.

Qc. diſputat de Igne fatuo, ille eſt fatuus.
Tu diſputas de Igne fatuo. E.
Tu es fatuus.

Sane paratum erat Reſpondendi medium, ſi petiisſet probationem Majoris, vel ſi Prædicatum Majoris ita explicuiſſet: *Qc. diſputat de Igne fatuo, is occupatur circa materiam fatuam, eamque non moraliter, ſed phyſicè talem:* Sed non merebatur homuncio, ut qui purus putus eſſet fatuus, ſeriam audiret Reſponſionem: quamobrem à Præſide extemporalis hæc retorſio injecta.

Qc. opponit de Igne fatuo, ille eſt fatuus.
Tu opponis de Igne fatuo. E.
Tu es fatuus.

Quem Syllogiſmum in ſe non minus ineptum poſtquam protuliſſet, argutiſſimo Epiphonemate rem eleganter commendavit. Ecce, inquit, quàm ex falſis Præmiſſis vera tamen ſequitur Concluſio. Sic oſtendebat ſe fatuum non eſſe, qui de materiâ hac Phyſicâ diſputaret:

nec

nec à fatuitate absolvi alterum, si vel maximè utramque Præmissarum redderet falsissimam.

† Alia ratio est, si quis argutè disputandi initium levi aliquo sophismate faciat, cujus tamen occasione postea prolabi licet ad potiora. Sic memini disputantem facere mentionem Oppidorum, postea agrorum, ac uti hac connexionis formulâ: Sed transcendamus muros. Adversus hanc phrasin opponebatur Syllogismus omnino frigidus.

Qc. transcendit muros, is committit crimen læsæ Majestatis.
Vos transcenditis muros. E.
Vos committitis crimen læsæ Majestatis.

Cuivis enim constabat à Respondente distinctum iri inter transcensum propriè ac impropriè talem, & esse adeo fallaciam, ut vocant, æquivocationis: Sed vis objectionis demum apparebat prolatâ instantiâ. Nam sic regerebat:

Qc. acceptio in sensu proprio continet crimen læsæ Majestatis, ea nullatenus usurpari debet in sensu improprio &c.

ut proinde appareret è lusibus sophisticis factum fuisse progressum ad quæstionem sive Rhetoricam sive Moralem. Sed plura monebuntur, cùm Ordo libri nos deduxerit ad Praxin disputandi.

† Cæterum ut in tempore adversus Syllogismorum fallacias sese queant munire discentes, ac imprimis intelligant, quomodo quatuor terminos

nos agnoſcere, necnon Paraphraſeos beneficium, ſupra in Modalibus commodiſſimum, hic etiam applicare inſigni compendio debeant; forte fuerit operæ pretium aliqua fallacium argumentationum exempla ſubjicere. Quibus ſi offendatur Lector brevitatis juxta & utilitatis ſtudioſus, me non habiturus eſt inimicum, qui folia prætermittat.

I.

Ubi ſunt ſubditi, ibi eſt Magiſtratus.
Subditi ſunt in carcere. E.
Magiſtratus eſt in carcere.

Reſolve Majorem beneficio Paraphraſeos: *In qua Rep. ſunt ſubditi, in eâ eſt Magiſtratus.* Sic non ſolum habebis quatuor terminos, ſed etiam inepta patebit ſtructura, nam ita rectè ſubſumeretur.

In Germania ſunt ſubditi. E.
In Germania eſt Magiſtratus.

2.

Propoſitio vera non eſt falſa.
Lapis loquitur, eſt Propoſitio vera. E.
Non eſt Propoſitio falſa.

Pete probationem minoris, ſic apparebit propoſitionem veram h. l. dici, quæ habet omnes partes, Subjectum Prædicatum & Copulam, non quæ conveniat cum re. Sic habebis quatuor terminos.

Alte-

3.

Alterum Testamentum est vetus,
Alterum Testamentum est novum. E.
Q. novum est vetus.

Adde Paraphrasin: *alterum Testamentum à Mose & Prophetis conceptum est vetus; alterum ab Evangelistis & Apostolis scriptum est novum:* Sic patent quatuor termini.

4.

Qui dicit Hispanum esse Regis subditum, is verum dicit.
Qui dicit Hispanum esse Ludovici subditum, is dicit eum Regis subditum, E.
Qui dicit Hispanum Ludovici subditum, is verum dicit.

Adde explicationem: *Qui dicit Hispanum Regis Hispanici subditum verum dicit.* Sic iterum fallaciam efficiunt quatuor termini.

5.

Quod est in Curia, id est in Civitate.
Unica turris est in Curia. E.
Unica turris est in Civitate.

Minor exclusiva habet vim negandi, quod in prima Figura est illicitum. Cæterum si in sensu positivo citra exclusionem alterius dicas, *unicam illam turrim, de qua loquimur, esse in Civitate*, nulla futura est absurditas.

Q. Ci-

6.

Q. Civis moritur Peste.
Petrus, quatenus præstitit juramentum, est Civis. E.
Petrus, quatenus præstitit juramentum, moritur Peste.

Aut exprime particulam quatenus, quia sensum habet specificativum, relativo pronomine QUI h. m. *Petrus, qui præstitit juramentum, est Civis:* sic tolerari poterit Conclusio: *Petrus, qui præstitit juramentum, moritur.*

Si emphasin particulæ reduplicativæ retinere velis, attende limitationem hanc non præcisè pertinere ad Subjectum, sed ad Prædicatum, quasi dicas. *Petrus est Civis & ratio, quod est civis, desumitur à præstito juramento.* Sic apparebunt quatuor termini, si Conclusio hæc occurrat: *Petrus moritur peste, & ratio, quod moritur, desumitur à præstito juramento.*

7.

O. brutum sentit.
O. animal præter hominem est brutum. E.
O. animal præter hominem sentit.

Exprime Minorem h. m. *O. animal, quod non est homo, est brutum.* Sic nulla erit falsitas in Conclusione: *O. animal, quod non est homo, sentit.* Quod si adjicias exclusionem, ipsa negatio minorem reddit illegitimam.

8. Scri-

8.

Scribere non est legere.
Eruditus potest scribere. E.
Eruditus non potest legere.

Corrige Majorem; *Qui potest scribere, non potest legere.* Sic apparet falsitas ipsius Majoris. Aut explica Majorem: *Scriptio non est lectio:* tunc emerget minor. *Aliquid, quod Eruditus potest est Scriptio:* nam *potest* referri debet ad Subjectum. Atque adeo vera est Conclusio: *Aliquid quod Eruditus potest, non est lectio.*

9.

Credere Deum non est credere in Deum.
Pii credunt Deum. E.
Pii non credunt in Deum.

Aut repete solutionem superioris argumenti: *Actus credendi Deum non est actus credendi in Deum, &c.* aut limita Majorem: *Credere Deum, præcisè quatenus creditur Deus, non est credere in Deum,* sic vera est conclusio: *Pios non credere in Deum, præcise quatenus jam actu credunt Deum.*

10.

Tempus vernum est, cum Sol ingreditur Taurum.
Die primo Aprilis Sol non ingreditur Taurum. E.
Die primo Aprilis non est tempus vernum.

Triplex suppetit responsio: ut vel inde conjicias contemni statim non debere, qui Syllogismum

Bayerische Staatsbibliothek München

minus solvit ad nutum nostrum: si saltem solutionis legitimum observetur fundamentum.

1. Major fraudulenter convertitur. Sic enim ordinarium situm habet: *Quandocunque Sol ingreditur Taurum, tunc est tempus vernum.* Unde jam emergit prima Figura, quæ minorem respuit negativam.

2. Si Terminorum positus mutari non debet, Major non est universalis, nec loquitur de omni tempore verno: ac proinde ne in secunda quidem Figura est legitimus.

3. Limitari potest Major; *Temporis verni medium est, cum Sol ingreditur Taurum.* Sic Conclusio non est falsa, *Die primo Aprilis non esse veris medium.*

11.

O. animal si currit habet pedes.
O. lapis est animal, si currit. E.
O. lapis habet pedes.

Restrictio Conditionalis utrinque pertinet ad Subjectum: & minoris sensus hic est: *Si Lapis currit est animal:* ut nulla difficultate agnoscantur quatuor termini.

12.

Romæ est Cardinalis.
Pontifex non est Cardinalis. E.
Pontifex non est Romæ.

Major est particularis: *non Omnis, sed aliquis, qui Romæ versatur, est Cardinalis.* Imo *Cardinalis in* sensu ordinario Subjectum potius est; *versari Romæ,* Prædicatum.

13.

Qc. non habet Principium non habet finem.

Anima non habet finem. E.

Anima non habet Principium.

Conclusio non est negativa, sed infinita. Sic Syllogismus secundæ Figuræ affirmat.

14.

O. illi sunt circumcisi, qui ministrant in Aulâ Turcicâ.

Persæ non ministrant in Aulâ Turcicâ. E.

Persæ non sunt circumcisi.

Restitue Majoris Subjectum & Prædicatum debito ordini: *O. illi, qui ministrant sunt circumcisi.* Sic habebis Primam Figuram & minorem negativam.

15.

Ecclesia Christi est per totum Orbem dispersa.

Ecclesia Saxonica non est per totum Orbem dispersa. E.

Ecclesia Saxonica non est Ecclesia Christi.

Limita Majorem *Ecclesia Christi universalis est dispersa.* Sic absurdum non fuerit dicere, *in Saxonia non esse Ecclesiam universalem.*

16.

Boni pastoris est tondere.

Pascere est boni pastoris. E.

Pascere est tondere.

Aut Major eſt particularis: Aliquod officium boni paſtoris eſt tondere: aut in altera Præmiſſarum illegitima eſt Subjecti & Prædicati conſtructio: cum ubique eadem ſit loquendi formula. Sive igitur dicas; *Tondere eſt boni paſtoris, Paſcere eſt boni paſtoris* &c. Syllogiſmus erit in ſecunda Figurâ affirmans: ſive dicas, *Boni paſtoris eſt tondere, Boni paſtoris eſt paſcere.* Sic habebis Syllogiſmum tertiæ figuræ, cujus concluſio debet eſſe talis: *E. Quidam cujus officium eſt tondere, eſt is, cujus officium eſt paſcere.*

17.

Quas manus habuiſti puer adhuc habes die Nuptiali.

Manus atramento deformatas habuiſti puer. E.

Manus atramento deformatas adhuc habes die nuptiali.

Reſtringe ſenſum Majoris: *Quas manus*, non *quales* aut *quantas*. Sic minor loquens de Qualitate quatuor faciet terminos, h. m.

Manus pueriles quoad ſubſtantiam adhuc habes.

Manus atramento nigræ fuerunt manus pueriles quoad qualitatem. E. &c.

18.

Si nullum animal ſentit, O. homo eſt cæcus.

Sed O. animal ſentit. E.

N. homo eſt cæcus.

Argu-

Argumentum hypotheticum contra regulam, procedit à remotione Antecedentis ad remotionem Consequentis, adeoque Categoricè sic sonaret:

Quicunque admittit hanc propositionem N. animal sentit, is etiam admittere debet alteram, O. homo est cæcus.

Sed ego non admitto hanc Propositionem &c. qui statuo contrarium. E. *&c.*

Sic apparet, minorem in primâ figura negari. Neque etiam sibi constat Conclusio: nam *O. homo est cæcus* non removetur legitimè per contrariam, sed per contradictoriam. *Q. homo non est cæcus.* Quod notari meretur, si vel maxime ad præsentem solutionem nihil contribuat.

19.

Qc. Deus voluit ab æterno esse, id fuit ante annos sex mille.

Deus ab æterno voluit, heri natum infantem esse. E.

Infans heri natus fuit ante annos sex mille.

Minoris Sensus patet, si Subjectum & Prædicatum decenter & ordinatius exprimas: *Infans heri natus est id, quod Deus ab æterno esse voluit*, s. *cujus existentia in tempore futura ipsi jam ab æterno placuit.* Si enim abeas ab hâc Paraphrasi, termini emergunt satis multi, ac imprimis in

in Majori designatur *essentia seu existentia præsens* in Minori *existentia futura*. Quasi limitare velis: *Qc. Deus ab æterno voluit præsenter & actu statim esse, id fuit ante annos 6000.* Unde concidit minor.

20.

Qc. tuum Caput Caput dicit, is verum dicit.

Qc. tuum Caput dicit Caput scelestissimum, is Caput dici Caput. E.

Qui vocat tuum Caput scelestissimum verum dicit.

Limita Majorem: *Qui Caput Caput dicit sine addito &c.* Jam Minor habet terminum quartum, *quoad Caput Caput dicit cum addito scelestissimi.*

PAR-

PARTIS I.
LIBER TERTIUS, DE TERMINO.

CAPUT I.
De Naturâ & Varietate Terminorum.

I.

TErminus eſt, in quem reſolvitur Propoſitio, ſeu, qui in Enunciatione ſtare poteſt loco Subjecti vel Prædicati.

† Cur appelletur Terminus *vid. ſup. pag. 58.*

II. Terminus vel eſt nobilior, qui vocatur Categorematicus, vel ignobilior & improprie talis, quem nominamus Syncategorematicum.

III. Categorematicus aliquid ſignificat per ſe, ac in Propoſitione Subjectum vel Prædicatum propriè conſtituit.

IV. Syncategorematicus conſignificat ſaltem, & Terminum Propoſitionis velut concomitatur, quod faciunt Adverbia, Præpoſitiones aliæque particulæ.

V. Terminus Categorematicus vel pertinet ad Notionem primam, vel ad ſecundam.

VI. Notio prima rem repræſentat uti eſt: Notio ſecunda eandem repræſentat prout ab Eruditis varie concipitur.

† 1. Notio nihil aliud eſt, quam ſignum, unde aliquid denotatur. Et cum Logica intendat modum ſciendi, Notio h. l. erit ſignum ſ. vox, repræſentans Conceptum animi.

† 2. Eſt autem is, Conceptus vel formalis vel objectivus. Conceptus Objectivus eſt ipſa res, quæ intellectui cognoſcenda offertur: Formalis eſt imago rei in intellectu expreſſa, e. g. dum cogito equum heri à me viſum, non ipſe equus, ſed aliqua ejus imago memoriam meam ſubit.

† 3. Conceptus Formalis (qui propriè vocatur Conceptus) vel primus eſt, ortus ex primâ rei cognitione: *ſicut Ruſticus adſpiciens equum ejus figuram in animo reſervat*; vel eſt ſecundus, qui accedit poſt ulteriorem rei cognitæ conſiderationem, *ſicut Eruditus Equi naturam vocat Speciem vel Genus, Equum dicit Subjectum vel Prædicatum &c.*

† 4. Jam Notio prima erit ſignum Conceptus, quem diximus primum; Notio ſecunda ſignum item conceptus, quem diximus ſecundum.

† 5. Forte non abſurdum eſt Terminum ipſum vel objectivum dicere vel formalem. Objectivus terminus eſt ipſe Conceptus animi, quem vox exterior repræſentat; Terminus formalis eſt exter-

terna vox ſignificando conceptui interno deſtinata. Et ſanè Logica non modo dirigit terminos formales, ut exprimere doceat cogitationes; ſed etiam ſimul verſatur circa terminos objectivos, ac interius ordinat cogitationes.

† 6. Si quid in hac doctrinâ difficultatis eſt, inde venit, quod nondum conſtat, quid intelligi debeat per Objectum, quid per Formam. Sed efficiam, ut ſub finem hujus libri ſingula evadant clariora.

VII. Termini conſiderantur porro, quatenus inter ſe conveniunt, vel quatenus ſibi invicem repugnant.

* Convenientes fundamenta præbent Propoſitionum Affirmativarum; Repugnantes negativarum.

IIX. Convenientia Terminorum explicatur in doctrina 1. de Univocis, Æquivocis & Paronymis 2. de Univerſali & Singulari 3. de Prædicamentalibus ac Tranſcendentalibus.

IX. Repugnantiam oſtendit tractatus de Oppoſitis.

X. Doctrina Univocorum, Æquivocorum & Paronymorum communiter audit de ANTEPRÆDICAMENTIS; Univerſalium de PRÆDICABILIBUS; Prædicamentalium terminorum de PRÆDICAMENTIS; Oppoſitorum de POSTPRÆDICAMENTIS. Videbimus de ſingulis ſeparatim.

Caput II.

De Univocis, Æquivocis & Paronymis.

I.

Terminus Univocus eſt Vox, quæ multis ita competit, ut non modo nomen, ſed etiam ſignificatio ſit eadem.

* 1. Scholaſtici diſtingvunt Univocum Univocans, & Univoca univocata. Univocum univocans eſt commune illud Prædicatum variis Subjectis aptum; Univoca ſunt varia Subjecta, quæ conveniunt in aptitudine ad unum Prædicatum.

* 2. Terminus univocus alio nomine dicitur Synonymus. Sed diſtingui debent Synonyma Grammatica à Logicis. Grammatica ſunt voces diverſæ eandem rem ſignificantes: *Enſis, gladius, machæra.* Logica reſpiciunt vocem eandem diſtinctis rebus convenientem.

II. Terminus Æquivocus eſt Vox, quæ multis competit, quoad nomen, non vero quoad ſignificationem.

* 1. Sic Lupus dicitur animal quadrupes ovilibus infeſtum; piſcis vorax variis piſcium generibus imminens; Homo qui in gentilitio nomine Lupum refert. Ut adeo nomen ſit commune,

mune, non ipſa ſignificatio. Quippe aliter definitur quadrupes, aliter piſcis, aliter homo.

* 2. Quid intelligi debeat per Æquivocum æquivocans, & per Æquivoca æquivocata, colligi poteſt è ſuperioribus: nam h. l. Lupus eſt Æquivocans; Quadrupes, Piſcis, Homo, ſunt Æquivocata.

* 3. Alio nomine Æquivoca dici ſolent Homonyma.

III. Æquivoca ſunt vel Caſu vel Conſilio talia.

IV. Æquivoca Caſu ita habent commune nomen, ut nemo poſſit reddere convenientiæ rationem.

* e. g. quis dixerit, cur jus legem ſimul & offam denotet?

V. Æquivoca Conſilio levem aliquam oſtendunt Convenientiam, unde probabile eſt prodiiſſe denominationem.

* Sic Lupus piſcis, quoniam id agit in aquis, quod lupus quadrupes in terrâ, à communi voracitate videtur accepiſſe nomen.

† Hinc apparet Æquivocorum convenientiam non eſſe veram, ſed apparentem: ac adeo non immerito Æquivocationem vocari Erroris genitricem. Et quid eſt plerorumque Argumentorum reſolutio, quam Æquivocationis clara explicatio.

VI. In-

VI. Inter Univocum & Æquivocum collocatur terminus Analogus h. e. Vox multis competens, tum quoad nomen, tum quoad ſignificationem; ſed tamen ut alteri tribuatur *primario*, alteri *ſecundario*.

*e.g. Enunciatio eſt Vox competens Affirmativæ & Negativæ: ſed nobilior enunciandi modus eſt in Affirmativâ quàm in Negativâ, ac adeo convenientia ſaltem eſt Analogica.

† Pulchriora exempla ſuppetunt in claſſe entium moralium, quorum illuſtratio infra occurret. e.g. Jurisdictio tribuitur ſummo Principi, & inferiori Magiſtratui, ut rectè dicam: *Princeps habet Jurisdictionem. Prætor oppidanus habet Jurisdictionem.* Utrobique etiam eadem eſt definitio, ſiquidem *Jurisdictio eſt facultas interpretandi & exequendi leges.* Interim quia hæc poteſtas in Principe eſt independenter, &, ut ita loquar, eſſentialiter & principaliter; viciſſim ea in Prætore eſt dependenter, accidentaliter, ac per gratioſam Principis communicationem: ſequitur Principis Jurisdictionem eſſe nobiliorem, in ſenſu primario; Prætoris ignobiliorem, in ſenſu ſecundario.

VII. Analogo ſunt duplicia. Vel enim accedunt ad Æquivoca, & dicuntur *Proportionis*; vel accedunt ad Univoca & dicuntur *Attributionis*.

† Perinde ac si dixeris: Analogorum convenientiam vel esse externam in Proportione, vel internam in Attributione.

VIII. Analoga Proportionis fundamentum convenientiæ quærunt in externa similitudine.

e.g. Sic aliquis & Patris picturam, & ipsam ejus personam vocat Patrem. Sic & Homo dicitur ridere & Pratum; quoniam utrobique externa est amœnitas, qualis ea est, quæ vultum ridentis solet comitari.

IX. Analoga Attributionis fundamentum conveniunt quærunt in ipsa natura interna.

* Communiter difficillima tyronibus quæstio illustratur, nescio an obscuratur, exemplo Entis, quod primario dicitur de Deo, secundario de Creaturis; primario de Substantia, secundario de Accidentibus. Sed rectius consuluerit discentium industriæ, qui ad exempla moralia respexerit.

*Amicitia honesta & utilis, habent commune nomen, habent etiam communem definitionem: nam utrinque occurrit benevolentia mutua. Sed quia honestam videmus inclinare in salutem personæ amatæ; utilem quærere commodum personæ amantis; apparet benevolentiam primario competere Amicitiæ honestæ, ubi sane voluntatis benignioris clariora sunt documenta.

X. His

X. His Analogis accedunt, quæ Ariſtoteles vocavit πρὸς ἕν, ſeu Communia ad unum, quæ videlicet unam ſignificationem habent communem, ut tamen ea referatur ad unum principale.

* Tritum exemplum eſt Sanitatis, quæ dicitur de homine, de Medicamento, de Urina, de Cibo, de Somno: ut interim omnia ſic denominentur reſpectu hominis, ad cujus Sanitatem vel ut medium, vel ut ſignum, vel ut conſequens concurrunt.

* Sic Homo eſt doctus, Liber ab eo ſcriptus; Sermo ab eo habitus vocatur doctus. Sed doctrina Hominis eſt illud unum, ad quod cætera diriguntur.

† Ex hoc fundamento fluit Axioma: *Quoties definiuntur Analoga*, ſatis eſſe definiri Analogum principale, ad quod, tanquam πρὸς ἕν, refertur Analogum ſecundarium.

XI. Aliqui rejectis Analogis acquieſcunt in Univocis, & Æquivocis: quorum tamen Opinio facilè poteſt conciliari.

† 1. Sicut mihi in rebus Philoſophicis ſemper probatur Methodus non Polemica, quæ inclinat ad Controverſias inutiles, ſed Irenica, quæ conciliandis opinionibus indulget: Ita nunc daturi ſumus operam, ut vexatiſſima hæc quæſtio pacificam manum experiatur.

† 2. Et

† 2. Et vero si quis Analoga Proportionis, planè velit referre ad Æquivoca Consilio, adeo magnum in modo sciendi non habiturus est periculum. Nam Proportio remotior, qualis est in Lupo pisce & quadrupede, creditur facere saltim Æquivocationem; Proportio propior, qualis est in Persona & Pictura, ad Analogiam creditur inclinare, claro indicio, posse inter se confundi, quæ saltim separantur ut magis & minus.

† 3. Sed de Analogis Attributionis judicandum erit accuratius. Aliqui enim, quoties objicitur significatio primaria & secundaria, respondent, istud discrimen non pertinere ad conceptum communem, sed ad differentias. e. g. Conceptum Deo creaturisque communem esse Ens, quod præcisè designet existentiam, ut eodem sensu dicatur, Deus existit, Creatura existit: Quod autem Dei existentia sit infinita & independens, Creaturarum finita & dependens, illud pertinere ad differentias, nec minus introducere Analogiam, ac rationale & irrationale, quibus differentiis dividitur Conceptus animalis.

† 4. Interim distinguatur Identitas seu Convenientia formalis & objectiva. Formalis est, cum intellectus aliqua beneficio abstractionis concipit, quæ non sunt diversa: Objectiva est, cum à parte rei hujus abstractionis distincta fundamenta occurrunt e. g. qui Dei existentiam cogitat, is equidem in Conceptu suo

suo formali abstrahere seu non cogitare potest independentiam : sed si à parte rei objectivus Conceptus examinetur, nihil in Deo considerari, nihil abstrahi & distinctim cognosci potest, quod non sit infinitum vel independens.

† 5. Quamobrem, facilis concertantium fuerit concordia, si dicas, Analoga referri ad univocationem, si sufficiat convenientia formalis; non referri, si ulterius requiratur Convenientia objectiva.

† 6. Sed de his nemo judicaverit, qui nec in Prædicabilibus, nec in terminorum Metaphysicorum notitia fuerit versatus. Ut vel inde pateat signum crucis hoc loco positum non esse tyronibus.

XII. Terminus Paronymus est, qui ab altero derivatur s. ubi vox ejusdem Originis, quoad flexionem est diversa.

* Alio nomine Paronyma dicuntur Denominativa, quia vox ejusdem originis multa derivata denominat.

† Sed distingui debet derivatio Grammatica & Logica. Primo enim in Grammaticâ vocabulum longius derivatur à breviori e. g. *à Justus derivatur justitia, ab Albus, albedo:* Vicissim in Logica à conceptu simpliciore, derivatur Conceptus concretus & compositus *h. e. à Justitia derivatur justus.* Sic etiam Grammatica unam vocem præcisè sequitur, e. g. *à Somnus derivatur somnolentus:* Sed Logica, dummodo con-

constet Sensus, de vocis sono parum est solicita. *Sic à Somnus derivatur dormiens.*

XIII. Huc igitur pertinet explicatio Termini Abstracti & Concreti.

XIV. Abstractus terminus est vox, quæ saltem significat formam aliquam, non simul significato subjecto.

XV. Concretus est, qui & formæ & subjecti significationem complectitur.

* Forma h.l. tam latè accipitur, ut omnes denominationes in se comprehendat; sive sint extrinsecæ, sive intrinsecæ. Quamobrem si repetamus, quæ supra de Subjecto & Prædicato Propositionis fuerunt monita, parum abest, quin forma appelletur Prædicatum, quod de Subjecto dicitur: e.g. *Homo est doctus.* Homo *est Subjectum*, doctus *si non in concreto & incluso Subjecto, sed separatim consideratur, pro sola doctrina*, est Prædicatum *s. Forma.*

† 1. Cæterum Abstractio vel est ultimata vel non ultimata. Sæpe enim quæ semel abstracta sunt, separari possunt ulterius e.g. Albedo est terminus abstractus, à Concreto albus. Interim ab Albedine Scholasticis derivatur Albedineitas h. e. illud ipsum, per quod Albedo est Albedo. Sed caveamus, ne fiat progressus in infinitum, si novam Albedineitatis formam jubeamus sistere. Sanè cur his terminis barbariem impingamus, causam habemus nullam:

ſi licitum fuit Ciceroni nominare Lentuleitates & Lucullcitates.

† 2. Ipſum quoque Denominationis Subjectum vel eſt Commune vel Proprium. Subjectum proprium eſt illa pars totius, in qua reperitur forma denominans. Subjectum commune eſt Totum, quod a forma hac etiam partiali denominationem accipit, e. g. verum eſt, ſi dicam, *Homo videt*, item *Oculus videt*. Neque tamen diverſa eſt viſio, ſed oculus hujus denominationis Subjectum eſt proprium; homo eſt Subjectum commune. Datur etiam Subjectum magis vel minus commune. Nam verum eſt: Sum Zittaviæ, Sum in Luſatia, Sum in Germania, Sum in Europa, Sum in Mundo. Neque tamen alius eſt in Mundo, quàm qui eſt Zittaviæ.

† Accidit in uno Subjecto interdum reperiri duo contraria, ſive ſimul, ſive temporis ſucceſſu obvia. e. g. *Æthiops ſingulis membris niger, albos habet dentes. Studioſus integra ſeptimanâ negligens, die Sabbathi libros incipit evolvere.* Sed ſciendum à potiori denominationem fieri, niſi quis malit denominationi addere limitationem. Æthiops eſt albus, quoad dentes, Studioſus eſt diligens, ſub ultimam Septimanæ horam.

Caput III.
De Universali & Singulari.

I.

Terminus universalis est vox, quæ multis competit. e. g. *Homo dicitur de Johanne, Carolo, Paulo &c.*

II. Terminus singularis est vox, quæ saltem de uno dici potest e. g. *Johannes nomen est unius tantum personæ.*

III. Universale alio nomine dicitur Prædicabile, h. e. quod in Propositione potest fieri prædicatum.

* Sic amabile vel laudabile est, quod fieri potest actu amatum, vel laudatum.

IV. Quia vero Prædicabile est id, unde fieri potest Prædicatum; tot etiam erunt Prædicabilia, quot occurrunt Prædicationum modi.

V. Est autem Prædicatio duplex, In Quid, & In Quale.

VI. Prædicatio in Quid oritur à Synonymo, Prædicatio in Quale provenit à Paronymo.

* Prædicatio *in Quid* vocatur, quæ respondet ad quæstionem, *Quid est?* h. e. quando quæritur de ipsa rei naturâ & essentiâ. Prædicatio *in Quale*, quando quæritur de rebus extra essentiam positis.

† 1. Aliqui dicunt, Prædicationem in Quid fieri in casu recto: *Homo est animal*; Prædicationem in Quale fieri vel in Casu obliquo: *Homo habet doctrinam*, non, *Homo est doctrina*; vel in Adjectivo: *Homo est doctus*.

† 2. Sed obstant Prædicationes omnino accidentales: *Homo est Doctor*, *Homo est Consul*, *Homo est miles*. Ubi casus rectus occurrit, neque tamen ipsa rei natura exponitur. Interim sic responderi potest. Denominationes s. Prædicationes vel sunt extrinsecæ vel intrinsecæ. Extrinsecæ omnes fiunt *in Quale*; Intrinsecæ si collocentur in casu recto, fiunt *in Quid*; si habeant casum obliquum, fiunt *in Quale*.

† 3. Sanè in sensu morali, hanc Prædicationem, *Homo est Consul*, posses vocare *in Quid*: sed impræsentiarum satius fuerit subtilitatum quærere compendia.

VII. Inde Prædicabilia sunt Quinque: GENUS, SPECIES, DIFFERENTIA, PROPRIUM, ACCIDENS.

† 1. Nam Prædicatio *in Quid*, vel designat Totum Compositum, h. e. *Speciem*, vel partem compositi materialem h. e. *Genus*, vel partem formalem, h. e. *Differentiam*. Prædicatio *in Quale* vel designat denominationem necessariam h. e. *Proprium*, vel contingentem h. e. *Accidens*.

† 2. Dum Genus comparatur Materiæ, Differentia formæ, Species toti composito, elegans adhiberi potest exemplum, & id quidem visibile,

pe-

petitum ex entibus artefactis. Nam ut Asser materia est apta ad mensam, ad scamnum, cistam, tabulam &c. Sic Genus seu Conceptus genericus e.g. *Animal*, aptitudinem habet ad hominem, piscem, avem, bestiam quadrupedem, insectum reptile &c. vicissim ut asser cum accepit formam mensæ, compositum aliquod artificiale constituit, quod à scamno, cistâ, tabulâ &c. distinguitur; ita etiam differentia adjecta generi certam speciem constituit, eamque dividit ab omnibus conceptibus, ad quod ipsum genus erat aptum. Neque profecto contemni debent talia exempla, informandis tyronibus commodissima.

IIX. Genus est, quod de multis Specie differentibus in Quid prædicatur.

IX. Species est, quæ de multis numero differentibus in Quid prædicatur.

* Numero differentia sunt Individua, quæ distinctam ita habent existentiam, ut intento digito ostendi, adeoq; certis numeris designari queant.

† Equidem Genus quoque de Individuis prædicatur, *Petrus est Corpus*, *est Substantia*. Sed hoc loco rationem habemus Prædicationis non mediatæ, sed immediatæ.

X. Genus vel est *Summum*, quod nunquam fit Species vel *Subalternum*, quod respectu inferioris est Genus, respectu Superioris Species.

* e. g. Animal reſpectu hominis & beſtiæ Genus eſt; ſed reſpectu corporis, quod prædicatur de Animali & rebus non viventibus, velut lapidibus, Metallis &c. Species eſt.

XI. Sic etiam Species eſt vel *infima*, quæ nunquam fit Genus, ac ſaltim prædicatur de Individuis; vel *Subalterna*, quæ reſpectu Specierum inferiorum eſt Genus.

* Patet hoc è notâ theſeos ſuperioris. Neque inconſultum eſt tyrones ad ſeriem Generum & Specierum, brevi tabulâ comprehenſam, ablegare.

Accidens

Qualitas

Habitus

Virtus

Juſtitia, Temperantia, Fortitudo

Juſtitia Temperantia, Fortitudo

Ariſtidis Scipionis Herculis.

Vel ſi nondum capiant Generum ac Specierum Ordinem, quem demum aperiunt Prædicamenta, talibus ſaltem exemplis adjuventur. *Arbor eſt Genus, Pirus, Prunus, Malus, &c. ſunt Species. Flos eſt Genus, Viola, Lilium, Roſa &c. ſunt Species. Gemma eſt Genus, Adamas, Rubinus, Saphirus ſunt Species &c.*

* Quæritur hic, an dentur Species Monadicæ, quæ ſalvantur in uno Individuo? e. g. An Conceptus

ptus Solis, Lunæ, Mercurii, ſit Specificus? Nam certè ſi Deus conderet novum Solem, conceptus emergeret duobus Solibus communis. Sed pro diverſitate Principiorum, diverſa ſequitur reſponſio. Si quis Univerſalia dicit realia, fundata in ſimilitudine naturæ, is agnoſcere nequit Species Monadicas: Ex adverſo qui univerſalia vocat terminos prædicabiles, qui poſſunt de multis dici, etſi de multis actu non dicantur, tales Species non repudiaverit. Neque eſt aliquod periculum in diſciplinis reliquis, quamcunque demum partem fueris amplexus.

XII. Differentia eſt, quæ de multis Specie vel numero differentibus prædicatur in *Quale Quid*, ſeu, ut alii loquuntur, in *Quale eſſentialiter*.

* Quale Quid vocatur Prædicatio eſſentialis facta in Caſu obliquo, nam non dico; *Homo eſt rationalitas*, ſed *homo eſt rationalis*, ſeu, *Homo habet rationem*.

† 1. Aliis Differentia deſcribitur, quæ adjecta Generi certam conſtituit Speciem. Qui tamen potius reſpiciunt ad modum eſſendi, quàm ad modum prædicandi. Unde nata diſtinctio Differentiæ conſtitutivæ & diviſivæ. Nam certè quo ipſo Scriniarius ex aſſeribus facit menſam, eo ipſo opus ſuum diſtinguit à ciſta, ſcamno, tabula &c.

XIII. Differentia vel eſt Generica vel Specifica.

* Certè omnis Differentia conſtituit Specimen: quia tamen Species ſubalterna eſſe poteſt Genus, Generica vocabitur Speciei ſubalternæ, Specifica, Speciei infimæ.

†1. Doctrina hæc de Differentia magnam Logicis, præcipuè tyronibus, crucem ſemper fixit. Nullum enim in promptu eſt exemplum, ſi excipias vexatiſſimam inter Enunciationes Martyrem: *Homo eſt rationalis.* Reliquæ enim rerum creatarum differentiæ nec intelligi à nobis, nec vocabulis certis exprimi poſſunt.

†2. Quamobrem in tempore advocandæ ſunt diſciplinæ morales, in quibus differentiarum copioſior eſt apparatus. Cum enim in ſtatu publico multa dependeant ab hominum inſtituto, neceſſe eſt, cognoſci ab hominibus rerum inſtitutoribus, ipſas differentias: non aliter ac in artificialibus, Scriniarium ſcire oportet, quæ ſit Menſæ, Sellæ, Ciſtæ differentia, e.g. Si Princeps conſtituat Mareſchallum, Belli ducem, Cancellarium &c. ſine dubio intelligit, quibus differentiis inter ſe diſtinguantur iſtæ Perſonæ.

†3. Et ex his commodius oſtendi poteſt, quomodo differentia ſit radix propriorum, & quomodo è differentiâ, velut è cauſa, proprium velut effectus demonſtrari queat. Sanè valet argumentatio: *Eſt rationalis E. habet judicium*

compa-

comparandi res inter se, E. est admirativus, E. est risibilis. Sed cur immoramur uni exemplo? Si Differentia Mareschalli aulici est Jus dirigendi Statum & Pompam Aulæ, statim judicari possunt Jura, quæ tanquam Proprietates inde fluunt. E. habet potestatem judicandi delinquentes aulicos, habet potestatem dirigendi Cancellariam, quam vocat, Aulicam, habet jus ordinandi exceptiones Principum aliasq; solennitates. Abeat nunc Præceptor, & inquirat in differentias Consulum, Prætorum, Pastorum, Præceptorum, & tunc non defutura sunt Differentiarum & Propriorum exempla.

XIV. Proprium est, quod de multis Specie l. numero differentibus prædicatur *in Quale accidentaliter, necessario & convertibiliter.*

* 1. Prædicatur *in Quale* h.e. in casu obliquo; *accidentaliter*, ita ut nec essentiam ingrediatur, nec in definitione exprimatur, *necessario*, nam proprium differentiæ necessarium est consequens, nec ab eadem potest abesse, si vel maximè eandem non constituat; *convertibiliter*, ut in prædicatione proprii Subjectum statim fieri possit Prædicatum, salva veritate. *O. Homo est risibilis* E. *O. risibile est homo. O. Persona Majestatem habens gaudet jure belli.* E. *O. gaudens jure belli est persona Majestatem habens.*

XV. Proprium est quadruplex, ut è communi versiculo innuitur:

Est Medicus, bipes, canescens, denique ridens.

 *Esse

* *Esse Medicum* competit soli homini, sed non omni; *esse bipedem* competit omni homini, sed non soli; *canescere*, competit omni (si fiat senex,) soli (nisi canescunt etiam asini) sed non semper; *Ridere* h. e. *posse ridere*, competit omni soli semper & necessario.

* Hinc apparet in definitione Proprii imprimis spectari, quod est quarti modi: Alterum nobilitatis gradum habet proprium secundi modi, Primum & tertium si quis annumeret Accidenti, nolim repugnare.

† Proprium alio nomine vocatur Attributum vel Affectio: unde huc pertinet distinctio Affectionum Simplicium & Disjunctarum. Simplices s. unitæ sunt, quæ sine disjunctione prædicantur de suo Subjecto. *O. homo (nullo excepto) est risibilis. O. Ens est unum. O. Princeps habet jurisdictionem.* Disjunctæ sunt, quæ duo prædicata exprimunt, adeoque Subjecto tribuuntur sub certâ disjunctione: *Ens vel finitum est vel infinitum. Princeps vel est absolutus vel restrictus. Enunciationis Oppositio, vel est contraria vel contradictoria.*

XVI. Accidens est, quod de multis numero differentibus prædicatur in quale accidentaliter & contingenter.

* e. g. *Homo est doctus*, ubi doctrina prædicatur in casu obliquo; *accidentaliter*, ut non pertineat ad ipsam essentiam; *contingenter*, ut ab essentia non fluat necessariò, sed plane per accidens videatur accessisse.

† 1. Cum

† 1. Cum hac definitione non pugnat altera: *Accidens est, quod adest & abest, sine Subjecti interitu:* eo ipso enim, quod prædicationem accidentalem & contingentem facit, nihil addere vel demere poterit Subjecto quoad essentiam.

† 2. Quod si quis objicit Accidentia privativa & corruptiva: *Homo est cæcus, Homo moritur* &c. ubi quidem prædicatio insignem arguit subjecti sive corruptionem, sive destructionem: respondetur aliam corruptionem esse Physicam, qua res desinit existere; aliam esse Logicam, quando propositio induit sensum contradictorium. Quamobrem qui dicit *Hominem mori*, non accipit Subjectum s. hominem in alio vel contradictorio sensu, adeoque nondum adest interitus Logicè talis.

† 3. Trita est distinctio Accidentis separabilis, *ut calor in aqua*, & inseparabilis, *ut nigredo in corvo.* Sed omne Accidens inseparabile pertinet ad proprium secundi modi: vel si prædicationem spectes, O. Accidens, si non in existendo, certè in prædicando & abstrahendo est separabile.

XVII. Terminus singularis est, qui de inferiori alio dici non potest.

* 1. Alio nomine dicitur Individuum, quod in plura inferiora dividi nequit.

* 2. Quoties etiam loco Prædicati stat singulare, Prædicatio sanè est identica, ut Prædicatum latius non pateat Subjecto. *Hic homo est Petrus,*

trus. Poëtarum Princeps eſt Virgilius. Nam ſtatim valet converſio: *Petrus eſt hic homo. Virgilius eſt Poëtarum Princeps.*

*3. Individuum vel exprimitur conceptu diſtincto vel confuſo. Conceptus diſtinctus eſt, cum ponitur nomen proprium, *Johannes*; vel Periphraſis, *Apoſtolus quem præ cæteris amavit Chriſtus*, vel ſignum demonſtrativum, *Hic homo.* Conceptus confuſus eſt, cum Speciei additur ſignum particulare: *Quidam homo ingreſſus eſt auditorium.* Etſi enim hæc locutio denotat certum hominis individuum, expreſſe tamen illud & diſtinctè non deſcribitur: unde vocari conſuevit Individuum vagum: quippe quod audiens hanc locutionem variè vagatur in ſuis cogitationibus, antequam diſtinctè cognoſci poſſit ipſa perſona.

†1. Scholaſtici ſubtiliter diſputant *de principio Individuationis* h. e. quod ſit fundamentum, ſeu formalis ratio, ut Individuum dicatur individuum: quaſi quæras, quæ ſit differentia individualis, unde quodvis individuum conſtituatur, & à reliquis Individuis ſeparetur: Scotus dixit Hæcceitatem i. e. aptitudinem ad recipiendam demonſtrationem, HOC EST. Sed non opus eſt rem in ſe facilem, terminorum barbarie reddere difficilem. Individuum eſt, quod exiſtit. E. Principium Individuationis eſt exiſtentia. Jam quod exiſtit, admittit quoque pronomen demonſtrativum.

†2. Sed

† 2. Sed occurrunt nomina propria, quæ prædicantur de multis e. g. in Galliâ jam vivit Ludovicus XIV. At aliud eſt nomen proprium, quatenus æquivocè de multis prædicatur; aliud, quatenus uni ſaltem Individuo tribuitur propriè.

† 3. An Deus poſſit dici individuum, quæſtio eſt inepta. Si enim quis Deum ſuſtinet referre ad Prædicamentum Subſtantiæ, ut ſupra ſe habeat Genera & Species; certè erit individuum. Quod ſi vero Prædicamentis non includitur, adeoque ſupra ſe non habet Conceptus communes, Termino in Tranſcendentalibus uſitato, rectius dicemus Deum eſſe ſingulare.

XIIX. Prædicabilium hæc doctrina duas præcipuè habet difficultates; alteram non undiquaque utilem de naturâ Univerſalium; alteram utiliorem de Prædicationibus extraordinariis.

† 1. Inutilem diximus doctrinam de Univerſalibus, non omnem eam, quæ agit de iisdem repræſentandis, ſignificandis & Prædicandis, ſed quæ cum Scholaſticis nimium ſpinosè agit de Univerſalibus in eſſendo.

† 2. Occurrunt enim famoſæ Realium & Nominalium ſectæ: ac Reales quidem Univerſalia ſeu unum in multis, dari in rebus, citra mentis noſtræ operationem ſtatuunt; Nominales viciſſim Univerſalia Conceptus dicunt, à rebus ſingularibus abſtractos & Nomina communia, quæ

quæ de ſingularibus poſſunt prædicari. Scinduntur porro in diverſas partes, quod aliis placet abſtractio ſ. præciſio *objectiva*, aliis *formalis*. Imo non deſunt, qui nuda in univerſalibus nomina agnoſcunt, quod fecit Nizolius in Grammatica ſua Philoſophica, qui ex Nomine Subſtantivo & Adjectivo, Subſtantiam & Accidens, ex Nomine Appellativo & Proprio naturam Univerſalis & Singularis; & ex aliis alia docere eſt conatus.

† 3. Interim quicquid in theoria magno ſtrepitu fuerit diſputatum, in Praxi diſciplinarum ſuperiorum, ubi Logices Uſum deprehendimus, adeo parum infert diſcriminis, ut ſæpe mirer, cur multos non pudeat apud juventutem talia tractare magis polemicè quam irenicè.

† 4. Cæterum, ut aliqua ſaltem cognoſcamus, ne ars iſta ſcilicet, contemptores habere videatur ignorantes; qui Univerſalia ſtatuunt realia, maximè confugiunt ad Similitudinem naturarum, e.g. homo alteri homini eſt ſimilis, unde naſcitur generalis aliqua convenientia, quæ prædicari deinde queat de ſingulis Individuis, ad hanc ſimilitudinem pertinentibus.

† 5. Sed facilè conciliantur cum reliquis; quoniam hæc ſimilitudo non eſt formalis, ut verè exiſtat ejusmodi unum, nemine cogitante, quod deinde tribui poſſit inferioribus; ſed tantum materialis & fundamentalis: quippe Intellectus in rerum ſimilitudine invenit fundamen-

mentum compingendi res multas in unum conceptum. Ergo universalia sunt res fundamentaliter, sunt Conceptus formaliter; sunt nomina prædicabiliter, quando conceptus alteri communicantur & significantur.

† 6. Præcisionem objectivam & formalem quod attinet, ea sic utrinque describitur. Quibus Præcisio placet Objectiva dicunt, *quot in rebus sunt prædicata, tot esse distincta prædicabilia s. fundamenta, quibus prædicata respondeant*, ut adeo Intellectus abstrahens inveniat aliquam in Objecto distinctionem: etsi forte non tantam, qualem Anseris assati divisor, qui licet unam rem tractet, in juncturis tamen & membris invenit scindendi fundamentum.

† 7. Qui præcisionem formalem, h. e. quæ saltem dependet ab intellectu, non simul à re, probant, ita loquuntur: *Omnem Universalis cognitionem esse confusam, singularis distinctam: Semper tamen sine abstractione cognosci totum*, e. g. qui hominem videt è longinquo, ex umbra primo colligit esse corpus, ex motu deinde scit esse animal, propius accedens novit hominem, sed non ipsam Personam: neque tamen in priori cognitione sola Corporeitas exclusa animalitate; nec postmodum sola animalitas exclusa humanitate: sed totus semper homo, imo ipsum hoc individuum Intellectui observabatur.

† 8. Sa-

† 8. Sanè si omnis cognitio præsupponeret ejusmodi confusionem, probari posset hæc præcisio: sed cum è Singularibus probè & distinctè jam cognitis, eruatur conceptus communis; statuendum omnino est, Abstractionem dici Cognitionem unius, seposito, præciso & non simul cogitato altero, quod à parte rei cum illo conjungitur. Interim singulæ formalitates s. fundamenta Prædicatorum non opus est distingui realiter; sufficit actum rationis distinguentem invenire fundamentum. Sed dicta sint ista in gratiam provectiorum: si quos forte alliciat accuratior noscendarum controversiarum cupiditas.

XIX. Prædicationes extraordinarias voco, quæ non fiunt in quid vel in quale, seu ut alias loquimur, Synonymicè & Paronymicè; sed quæ sunt vel *inordinatæ* vel *impropriæ* vel *inusitatæ*.

XX. Inordinatæ Prædicationes sunt, cum angustius prædicatur de latiori.

* e. g. *Q. animal est homo. Q. Virtus est Temperantia.*

XXI. Impropriæ sunt, quæ aliter intelligi debent, ac expresse sonant.

† 1. Impropria vero hæc acceptio latet in æquivocatione, seu, ut Rhetoricè loquamur, in tropo sive Subjecti, sive Prædicati.

In

* 2. In Subjecto tropus est, si dicas: *Pater meus pendet in crepidine templi*: ubi non intelligitur ipse Pater, quem propriè designat vocabulum, sed imago Patris, per metonymiam signi pro signato.

† 3. In Prædicato tropus est, si dicas: *Pueri sunt simii Parentum*, ubi simius non denotat brutum, sed metaphoricè ineptum imitatorem, cœco impetu ad alterius actiones exprimendas paratum.

† 4. Huc refertur Prædicatio *Causalis*, ut vocant, & *Concomitativa*, in quâ nonnulli minus rectè copulam agnoscunt impropriè acceptam.

† 5. Causalis enim est, cum Causa de Effectu, vel Effectus de Causa prædicatur in casu recto. e.g. *Negligentia filiorum est Parentum tristitia*, quasi dicas, efficit tristitiam, nam h. l. tristitia non accipitur pro motu animi, sed impropriè per Metonymiam pro causa tristitiæ: ut inde legitima plane sit copula, nec non omnimoda Subjecti & Prædicati identitas.

† 6. Concomitativa est, cum ea, quæ necessario se comitantur seu coëxistunt, de se invicem prædicantur in casu recto. e. g. *Unius exaltatio est alterius depressio*, quasi dicas: *Unius exaltatio præsupponit seu arguit alterius depressionem*. Ubi quidem optimam medelam affert Paraphrasis: *Actus quo quis exaltatur* (non in abstracto sed in concreto acceptus) *est idem ille actus, quo alter deprimitur*.

† 7. Cur enim in Copula nolim admittere ſenſum improprium,(quod in exemplo Prædicationis Cauſalis & Concomitativæ miror factum à quibusdam) ea evincit ratio, quod Copulæ totum eſſe eſt unire,non ſignificare. Ac proinde placeant ſibi, quibus Copula EST tropicè interdum valet SIGNIFICAT. Si enim vel maximè talis locutio in Parabolis vel ſomniis occurrat: *Chriſtus eſt Petra. Septem ariſtæ ſunt ſeptem anni:* Interim ſive Prædicatum, ſive Subjectum ſpectari debet potius quàm Copula. *Chriſtus eſt Petra*, ſubintellige *Spiritualis non naturalis*. *Septem ariſtæ ſunt ſeptem anni*,h.e. *Id, quod per ſeptem ariſtas innuitur, ſunt ſeptem anni.* Neque tamen ad ejusmodi interpretationem licet confugere, niſi aperta circumſtantia & occaſio nimium prona id ſuadere videatur.

XXII. Inuſitatæ Prædicationes ſunt, cum duo Diſparata de ſe invicem prædicantur.

† 1. Ejusmodi Prædicationes à Theologis obſervantur in loco de Chriſto,& de Cœnâ Domini,ſive ſint Biblicæ,ſive Eccleſiaſticæ. *Germen Davidis eſt Jehovah. Deus eſt homo, Homo eſt Deus. Panis eſt Corpus Chriſti. Vinum eſt Sanguis Chriſti.*

† 2. Sed inuſitatæ hæ Prædicationes confundi non debent cum Propoſitionibus exhibitivis. Aliter enim ſe habet Propoſitio Eccleſiaſtica, *Panis eſt Corpus Chriſti*,aliter hæc Biblica: *Hoc eſt*

Cor-

Corpus meum. Nam exhibitivæ Propoſitiones in Subjecto habent Complexum,& in prædicato nominant partem nobiliorem,in ſenſus non incurrentem. Ut ſi quis oſtenſo chartæ faſciculo dicat: *accipe centum taleros*,ubi certè plenus ſenſus eſt: *Id, quod accipis,eſt faſcitulus chartaceus continens 100.taleros.*

XXIII. Quod reliquum eſt, optimè ſuis Auditoribus conſuluerit Præceptor, ſi variis exemplis, ex omni ſententiarum & locutionum genere petitis ordinarios & extraordinarios prædicandi modos exerceat.

† Dabo exempla pauciora, quibus ſuccedere queant plura.

1. *Præſentia ſolis eſt dies?* R. eſt impropria,& quidem Cauſalis, quaſi dicas, *eſt cauſa diei.*

2. *Pietatis ſtudium eſt mundi ludibrium?* R.eſt impropria itidem cauſalis,quaſi dicas, *eſt materia ſeu objectum, circa quod verſatur mundi ludibrium.*

3. *Deus eſt omnipotens?* R.eſt identica. Nam quicquid eſt in Deo,id totus eſt Deus, licet à nobis, quæ noſtra imbecillitas eſt, inadæquatè concipiatur.

4. *Album eſt dulce?* R.eſt Prædicatio, quam aliqui vocant per accidens,aliqui connotativam. Maximam illuſtrationem dabit Paraphraſis, quæ locutionem omnino propriam exhibebit. *Id, quod eſt album, eſt dulce.*

5. *Theologus est Philosophus?* R. Eadem Prædicatio: *Homo, qui est Theologus, est Philosophus.*

6. *Deus moritur?* R. Est Phrasis Ecclesiastica, quoniam Scriptura dicit: *Principem vitæ h.e. Deum fuisse occisum:* at inusitata.

7. *Albedo est color?* R. Est Prædicatio in quid. Color enim Albedinis genus est. Si quis objiciat, Albedinem esse Accidens; respondetur, aliud esse Accidens Prædicamentale, cujus explicatio mox sequetur; aliud Accidens Prædicabile, quod inpræsens tangitur.

8. *Septem candelabra sunt septem Ecclesiæ?* R. Impropria locutio aut latet in Subjecto: *Id, quod per septem Candelabra innuitur, sunt septem Ecclesiæ;* vel in Prædicato: *Septem Candelabra sunt signa septem Ecclesiarum.*

CAPUT IV.

De Termino Prædicamentali & Transscendentali.

I.

Terminus Prædicamentalis est, qui locum invenit in aliquo Prædicamento.

II. Terminus Transscendentalis est, qui ob suam latitudinem certo Prædicamento includi nequit.

III. Videbimus initio de Prædicamentalibus. Et Prædicamentum quidem vocatur Clas-

Classis rerum, secundum sub & supra h. e. secundum genera & species dispositarum.

† Non obstat, Prædicamenta dici classes rerum, si vel maximè nunc agamus de terminis. Nam termini rerum seu conceptuum à rebus petitorum sunt signa: ac facile quis Prædicamentum diceret *classem terminorum s. notionum primarum, quibus applicari debent notiones secundæ, h.e. conceptus generum & specierum.*

IV. Prædicamenta numerantur decem, unum Substantiæ, novem Accidentium, Quantitatis, Qualitatis, Relationis, Actionis, Passionis, Ubi, Quando, Situs, Habitus: de quibus sigillatim ac distinctis capitibus agetur.

† 1. Numerus denarius, etsi non adeo accuratus, originem debet Pythagoræ, qui, quoniam in hoc numero posuerat omnem perfectionem, eundem à nobilissima hac Entium distinctione noluit excludere.

† 2. Interim non Entia modo, sed Entium respectus quoque vel modi ac denominationes locum hic inveniunt. Quid enim est e.g. *esse in tempore, esse incurvatum, esse vestitum &c.* Si spectes Subjectum, de quo talia per denominationem extrinsecam prædicantur.

V. Ex his Prædicamentis aliqua dicuntur Primaria, aliqua Secundaria.

VI. Primaria sunt, quæ peculiarem usum habent in disciplinis, adeoque exactiorem dispositionem requirunt: *velut Prædicamentum Substantiæ, Quantitatis, Qualitatis, Relationis, Actionis & Passionis.*

† Prædicamentum Substantiæ usum exerit in Physica; Quantitatis in Mathematicâ; Qualitatis itidem in Physicâ, nec non in disciplinis moralibus; Relationis ad moralia itidem pertinet; quorsum simul spectant Actiones & Passiones.

VII. Notandum porro, in his Prædicamentis aliqua collocari *directè*, aliqua *indirectè*, aliqua tandem *reductivè*.

VIII. Directè ponuntur, quæ velut per lineam rectam sibi subjiciuntur velut Genera & Species.

IX. Indirectè ponuntur, quæ per lineam collateralem eo solent referri: velut differentiæ, quæ non in casu recto, sed in obliquo solent de suis Subjectis prædicari.

X. Reductivè ad Prædicamentum pertinent Privationes, in quo propriè collocantur ipsæ Formæ.

* e.g. Ad quod Prædicamentum propriè pertinet *Visio*, ad illud reductivè spectat *Cæcitas*.

† Qui talia cognoscere voluerit accuratius, ante oculos habeat Scalam sive arborem prædicamentalem.

XI. Cæterum aliqua excluduntur è Prædicamentis, quæ continentur vulgari disticho:

Complexum, Consignificans, Fictum, Polysemon,
Vox Logicæ, Deus, Excedens, Privatio, Parsq;,

quod ita intelligi debet.

1. Complexum, h.e. Concretum, quod non est in uno Prædicamento, sed in multis. e.g. *Album*, quasi dicas *Subjectum vel Substantia alba*, & in Prædicamento Substantiæ & Qualitatis locum invenit.

2. Consignificans, h.e. terminus Syncategorematicus, qui, quoniam per se rem nullam significat, classem certè rerum augere non potest.

3. Fictum, h.e. Ens rationis, quod essentiam non habet, nisi in fingentis intellectu.

4. Polysemon, h.e. terminus multa significans, qualis est æquivocus, qui tum demum certis rerum classibus adjudicari potest, cum per decentem explicationem sublata est ambiguitas.

5. Vox Logicae, h.e. Notio Secunda, quæ non denotat novam rem, sed artificialem rei jam cognitæ conceptum. Et jam diximus, in Prædicamentis occurrere dispositionem Notionum primarum.

6. DEUS. An hic sit in Prædicamento, variè disputatur. Tetigimus aliqua, cum ageremus supra de Analogis, & de Individuo. Certè conceptus

communis ſtatui vix poteſt, qui Deo ſimul conveniat, & Creaturis: quoniam dependens & independens, finitum & infinitum, nimis remotam habent naturacum ſimilitudinem.

7. EXCEDENS, h. e. terminus transſcendentalis, de quo infra.

8. PRIVATIO: quæ videlicet non directè, ſed reductivè eo refertur.

9. PARS, quia non eſt completum quid, directè ad claſſem rerum in ſuâ naturâ completarum non refertur; ſed ſaltem indirectè.

XII. De Rebus Moralibus, ut & de Artefactis, ubi ea collocari debeant, vel ideo cogitandum eſt accuratius, quod Ariſtoteles Entia ſaltem naturalia ſuis claſſibus includere voluiſſe videtur. Sed de his in fine Prædicamentorum conjunctim licebit dicere, ut nec ordo turbetur, nec alii Entibus Moralibus parum amici, rem novam ſe legere conquerantur.

CAPUT V.

De Prædicamento Subſtantiæ.

I.

SUbſtantia eſt, quæ per ſe ſubſiſtit, & ſubſtat accidentibus.

II. Ac-

II. Accidens viciſſim eſt, quod alteri inhæret, adeoque exiſtit in alio.

† 1. Difficilis profectò eſt Subſtantiæ explicatio, cum ea ſenſibus percipi non poſſit: quicquid enim in ſenſus incurrit, eſt accidens. e. g. non video hominem, ſed hominis colorem & formam; non tango Subſtantiam, ſed duritiem, mollitiem, calorem &c.

† 2. Igitur cogitando ſaltem percipitur: quippe tot accidentia ſuſtineri non poſſent, ſi abeſſet commune Subjectum, cui velut fulcro ſeu fundamento inhærent. Et iſtud Subjectum, quod per ſe ſubſiſtit, nec opus habet, ut fulciatur in aliena exiſtentia, vocari ſolet Subſtantia.

† 3. Do exemplum ſatis craſſum: In conventu hominum non video pedes, ſed calceos ac tibi alia: nihilominus ab externis veſtimentis facile argumentor ad membrum, cui applicatur cultus iſte. Sic ſane Subſtantiæ veſtimenta ſunt accidentia, unde colligere licet, adeſſe Subjectum his veſtibus deſtinatum.

† 4. Quod ſi nunc ſcire velis, quid ſit Subſtantia, & quomodo ea diſtinguatur ab Exiſtentia? reſpondetur, exiſtentiam eſſe Subſtantiis & accidentibus communem, ac denotare præſentem & actualē eſſentiam; Subſiſtentiam vero Subſtantiis propriam vocari certum exiſtentiæ modum, quo quid non in alio, ſed velut in ſe ipſo ſuſtinetur: eidemque opponi inhærentiam in accidentibus obviam.

III. Subſtantia vel eſt Prima vel Secunda.

IV. Subſtantia prima eſt individuum, quod cognoſcenti primo occurrit, ſeu, ut ſupra loquebamur, quod parit notionem primam.

V. Subſtantia ſecunda eſt Univerſalis ea natura, quæ de multis Subſtantiis individualibus dici poteſt, & quæ demum accedit poſt notionem ſecundam.

† Inde natum axioma: *Subſtantia prima nec eſt in Subjecto*, (velut accidens) *nec dicitur de Subjecto*, (de inferiore) *Subſtantia ſecunda non eſt in Subjecto, ſed dicitur de Subjecto.*

VI. Subſtantia prima vel Singularis communiter vocatur Suppoſitum, cujus requiſitum eſt Incommunicabilitas.

VII. Quod ſi vero Suppoſitum hoc incommunicabile ſimul ſit rationale ſeu intelligens, vocatur Perſona.

† Perſonam paulo aliter ſumi in diſciplinis moralibus, quàm in Logicis & Metaphyſicis, infra patebit.

VIII. Subſtantia varias habet Proprietates.

IX. Prima eſt *ſubſtare accidentibus.* Sed hæc ab iis non agnoſcitur, qui Deum referunt ad Prædicamentum Subſtantiæ, quippe qui eſt Ens ſimpliciſſimum nulliſque accidenti-

bus

bus obnoxium. Nam reliqui Spiritus, etsi non habent accidentia corporalia & visibilia, potentias tamen & motus habent spirituales.

X. Altera est *non recipere Contrarium.* Omnis enim Substantiarum pugna venit ab Accidentibus. *Sic calida aqua repugnat frigidæ.*

XI. Tertia est, *non admittere magis & minus*, etsi respectu quantitatis aliqua est major vel minor. *Sic Elephas quoad subsistentiam nobilior non est formicâ.*

† 1. Sanè Substantiæ primæ magis sunt Substantiæ, quàm secundæ: sed canon loquitur de Substantiis in eodem ordine positis. Quod si occurrant Substantiæ nobiliores, velut homo, quem ratio cæteris bestiis multò facit præstantiorem: certè nobilitas non in substituendi modo, sed in perfectiore differentiâ collocatur.

XII. Arbor Prædicamentalis, ut vocant, ita se habet.

† Nam in uno exemplo satis est ostendi modum disponendi. Adeat Eustachium à S. Paulo, qui singulorum Prædicamentorum exactas classes velit cognoscere.

Sub-

Substantia.

Spiritus. — *Corpus.*

Corpus: *Inanimatum* — *Animatum*

Inanimatum: *Simplex*, *ut Elementa.* — *Mixtum*, *ut Lapides, Metalla &c.*

Animatum: *Non sentiens, ut Plantæ* — *Sensitivum*

Sensitivum: *Homo* — *Brutum*

Homo: *Petrus Paulus Carolus &c.*

Brutum: *Quadrupes, volatile, Reptile, Natatile &c.*

Individua singulorum.

† Sufficiat hæc ostendisse breviter, cum certè prolixiorem tabulam vix capiat Paginæ angustia: nam facile quis reliquas species ita suppleverit.

Lapis: *pretiosus* — *vulgaris*

pretiosus: *Adamas Rubinus Sapphirus &c.*

vulgaris: *Cœmentum Silex Pyrites &c.*

Planta: *Arbor*, *Frutex*, *Herba.*

Arbor: *Pirus Prunus &c.*

Frutex: *Myrtus Juniperus &c.*

Herba: *Ruta Salvia &c.*

CA-

Caput VI.
De Prædicamento Quantitatis.

I.

Quantitas est Accidens, per quod Substantia dicitur extensa.

II. Extensio propriè dicitur positio partis extra partem, & opponitur intensioni, quæ est positio partis intra partem.

e.g. Qui mensam facit longiorem, addendo novos asseres, aliquid ponit, non intra veteres asseres, sed extra eosdem ad latus. Sic dum augetur hominis statura, ossibus, cuti, cartilagini nova pars adjicitur subinde, non immergitur. Ex adverso cum aqua ad ignem fit calidior, ut nova semper caloris pars veteri addatur, illa ipsa aquæ portio, quæ primum caloris gradum assumsit, eadem quoque admittit secundum, sextum, octavum; nec majorem occupat locum aqua calida in gradu ultimo, quam in primo: nec etiam à se invicem distinguere licet has partes in se intime receptas, sicut ejusmodi adhuc durat distinctio, cum extenditur Quantitas.

III. Positio hæc partium extra partes infert positionem ad Locum: ut adeo extensio non absurde dicatur Aptitudo ad Locum.

IV. Quin-

IV. Quin etiam ea partium poſitio ſimul infert diviſibilitatem, ut Quantitas à quibusdam vocetur Accidens, per quod Subſtantia eſt diviſibilis.

V. Quantitas vel eſt Continua vel Diſcreta.

VI. Continua eſt, cujus partes communi aliquo termino copulantur, h.e. quæ ſic ponit partes extra partes, ut ſingulæ certo & conſtanti vinculo uniantur.

VII. Diſcreta eſt, cujus partes, non reali unione, ſed imputatione ſaltem & opinione hominum copulantur.

*1. Explico utrumque. Qui aſſerem diſſecat, tangit commune punctum, quod erat finis in parte priori, & initium in poſteriori. Sic qui manum ſeparat à brachio, illud punctum, quod finiebat manum, ſentit inchoare brachium.

*2. Sed qui decem taleros dividit, finem taleri quinti non dicit initium ſexti.

VIII. † Quantitas Continua ſecundum tres dimenſiones conſideratur, h. e. ſecundum LONGITUDINEM, LATITUDINEM & PROFUNDITATEM, ſ. Craſſitiem.

† An Longitudo, Latitudo & Profunditas, ſeu ut aliis vocabulis exprimimus, Linea, Superficies & Corpus, ſint Quantitatis ſpecies? intricata quæſtio eſt: nam quia Superficies Lineam, Corpus

Su-

Superficiem includit, differentiam omnino ſpecificam non admittent.

IX. Longitudo ſeu Linea eſt collectio multorum punctorum extra ſe invicem poſitorum, concepta ſine omni latitudine & profunditate.

* e.g. Milliare diſtantiam unius loci ab altero deſignat, neque ſimul determinat ipſam viæ latitudinem. Unde natum Proverbium: Milliaria non lata quidem eſſe, ſed nimis longa.

X. Latitudo alias dicta Superficies eſt collectio multarum longitudinum ſibi invicem ad latus poſitarum, concepta ſine craſſitie.

e.g. Si quis menſuret Campi ſeu horti planitiem, non ſimul quærit, quàm profundum ſit territorium.

XI. Profunditas ſ. Craſſities, alio nomine dictum Corpus, eſt collectio multarum Superficierum infra ſe invicem poſitarum.

* Corpus h.l. non intelligitur Phyſicum, quod conſiſtit ex materiâ & forma; ſed Mathematicum, quod in extenſione ad omnes dimenſiones poſitum eſt. Et quoniam Longitudo, Latitudo & Profunditas ita cognoſci ſolent, ut à materia ſenſibili, h. e. ab ipſo ſuo Subjecto penitus abſtrahantur: materia hujus Corporis alioquin appellatur Intelligibilis, e.g. ſic Corpus quadratum, rotundum, teres, angulare conſiderari

derari poteſt, non ſimul cognita materia, num ex ligno figuram Artifex efformaverit.

XII. Ad Quantitatem continuam referri ſolet Tempus & Locus.

XIII. Tempus convenientiam habet cum Linea: Quippe ut iſta eſt poſitio puncti ad punctum; ſic illud eſt duratio ſeu poſitio momenti ad momentum, vereque dici poteſt, momentum prioris horæ finem, eſſe poſterioris horæ initium.

† Sanè eſt aliqua diverſitas, quæ Lineam Tempori omnino ſimilem non facit. Nam Linea eſt permanens, ac omnes partes ſimul habet exiſtentes: Sed viciſſim Tempus eſt ſucceſſivum, parteſque habet, quæ ex ſuâ naturâ ſimul exiſtere nequeunt, ſed ſibi invicem ut prius & poſterius ſuccedunt.

XIV. Locus refertur ad Superficiem. Nam hic non intelligitur Locus internus, ſeu vacuum Spatium, quod à corpore repletur; ſed externus, h. e. Extrema Superficies Corporis vicini.

* Do exemplum: Si piſcis in aquâ redigeretur in nihilum, neque ſpatium ab eo repletum aliud corpus reciperet; tunc extremitas aquæ piſcem ambiens retineret figuram piſcis. Vel ſi placet figura in materia ſolidâ, ſic ſculptores cerâ vel gypſo faciem hominis ſolent exprimere.

Jam

*2. Jam facilis eſt applicatio. Quod Piſcis replet, Locus eſt internus: extrema ſuperficies aquæ piſcem accuratiſſimè circumſcribens, eſt Locus externus; quaſi dicas, extra Piſcis quantitatem poſitus.

† Quæ de Tempore & Loco diſputantur, ita ordinari par eſt, ne Prædicamentis Ubi & Quando ſua materia præripiatur.

XV. Quantitas diſcreta conſiſtit in Numero. Is enim ſuam multitudinem è multis unitatibus colligit, ut linea ſuam longitudinem è multis punctis. At terminus non adeſt communis, nec, quod ſupra dictum, antecedentis unitatis finem, conſequens unitas habet initium.

XVI. Numerus h. e. multitudo ex unitatibus collecta, eſt duplex: Numerus numerans h.e. abſtractus, *quo ſenſu dicimus, ter tria eſſe novem*, & numeratus h.e. concretus, *quo ſenſu dicimus talerum conſtare 24. groſſis.*

XVII. Ad diſcretam Quantitatem refertur Oratio, quæ certis & numeratis ſive Syllabis ſive vocabulis comprehenditur.

* Id maximè conſpicuum eſt in carminibus, ubi certos Syllabarum numeros oratio continet: manifeſto errore, ſi quis verſum ſex pedibus incedere ſolitum, quinarium faciat vel ſeptenarium.

† Aliqui Orationem comparant cum Linea: quod continuo fluxu verba, Rhetoricè inter se connexa, procedunt. Sed distinguendum inter Orationem scriptam, quæ est permanens; & pronunciatam, quæ est successiva, unamque Syllabam exprimit post aliam.

XVIII. Proprietates Quantitatis sunt 1. Non recipere Contrariū. *Nam hoc faciunt Qualitates, ut cum linea alba nigræ, superficies calida frigidæ contrariatur.* 2. Non recipere magis & minus. *Nam quod partes ponit extra partes, recipit majus & minus, ut longitudine duarum ulnarum major est alia quinque ulnarum.* 3. Substantias facere æquales & inæquales.

CAPUT VII.

De prædicamento Qualitatis.

I.

Qualitas est Forma Substantiæ accidentalis.

II. Et vero quid Forma sit vel Substantialis vel Accidentalis, jam è doctrina Prædicabilium patet: quippe quod Substantiam constituit ut differentia, Forma vocatur merito substantialis; quod consequitur ut Proprium, vel adest ut Accidens, formam facit, quæ in prædicando planè est accidentalis.

III. Quam-

III. Quamobrem aliter diceres, Qualitatis Prædicamentum continere Subſtantiarum Propria & Accidentia.

† Sola excipitur extenſio, quæ Subſtantiæ Proprium eſt veniens â materiâ : cætera enim veniunt à forma, vel recipiuntur reſpectu formæ, e. g. quod homo habet videndi potentiam, & proprium hoc ſecundi modi, forma facit ſeu anima, quæ Corpus ad ſimiles potentias informat. Quod homo eſt albus, id habet vel ab inclinatione interna formæ, vel ad minimum reſpectu membrorum, quæ ſic ſunt diſpoſita dirigente forma. Sed de his accuratius judicat Phyſica, cum agit de Generatione, corruptione, mutatione & augmentatione Corporum.

IV. Qualitatis Quatuor ſunt Species. 1. Habitus & Diſpoſitio. 2. Naturalis potentia & impotentia. 3. Pasſio & Patibilis Qualitas. 4. Forma & Figura.

† Sanè octo Species nominari videntur, ſed tum ſolvetur dubium, ubi occurret Canon, *Qualitatem recipere magis & minus.*

V. Habitus eſt Qualitas ſ. acquiſita potentia aliquid præſtandi, difficulter mobilis.

VI. Diſpoſitio eſt Qualitas ſ. acquiſita potentia, nondum adeo firmiter inhærens, ſeu ut clarius loquar, Diſpoſitio eſt via ad Habitum, vel Habitus imperfectus.

*1. Pertinent huc omnes Scientiæ, omnia artificia, quin & omnia exercitia, tum animi, tum corporis, si iisdem aliquid accedere possit per humanam industriam crebris actionibus occupatam.

*2. Inde habemus etiam in Corpore Habitus, velut Artem saltandi, pugilandi, equitandi; quæ licet aliquam simul animi notitiam requirant; interim corporis certam agilitatem, aliis hominibus non exercitatis negatam, comparari debere testantur.

*3. Est autem Habitus difficulter mobilis: nam si quis ad perfectam & absolutam rei tractationem pervenerit, longa etiam temporis intermissio non eripiet facultatem semel acquisitam: Ex adverso, si quis levia saltem conceperit initia, non minus omnem notitiam perire sentiet, quàm Arbor levibus innixa radicibus deficiente pluviâ vergit ad interitum. Ita multos novi studiosos, olim non ignavos, qui ad aliud vitæ genus progressi Latinæ Linguæ notitiam tantum non omnem videntur exuisse: non obscuro argumento, sibi defuisse habitum, adfuisse inchoatam dispositionem, futuram perfectiorem, si continua successit actio.

†1. Dantur etiam Habitus *infusi*, qui accedunt sine ulla Operatione; *quale in Apostolis erat Donum Linguarum*: sed cum ejusmodi dona planè sint extraordinaria, ac certo respectu, præter- vel supernaturalia, *velut donum medendi*

in

in Apostolis: non est, cur in classe Qualitatum ordinariarum & naturalium, alius adducatur Habitus, quàm qui est *acquisitus*.

† 2. Cæterũ istos Habitus, præsertim qui sunt intellectuales, aliqui peculiari disciplina tractant, quam nomine non inepto vocant Hexilogiam: ubi singulis disciplinis sua Objecta tam materialia, quàm formalia, sui fines, sui termini & circuli designantur. Qui tamen credunt, ejusmodi novis disciplinis entia multiplicari præter necessitatem, in singularum Artium tractatione vel præmittunt, vel, quod commodius, & quod nos in hac Logices adornatione observavimus, post finem subjiciunt doctrinam de Objecto & reliquis ad naturam & Constitutionem disciplinæ pertinentibus. Nisi quis Logicæ hoc officium præ cæteris destinare malit, quippe quæ sciendi modum indagat. Sed de his infra dicetur, ubi series ad Praxin bonæ methodi nos deduxerit.

VII. Naturalis potentia est Qualitas seu principium agendi non acquisitum, sed innatum e.g. *Potentia intelligendi in animo, potentia sentiendi in organis corporeis, Potentia concoquendi in ventriculo* : uno verbo: *Animalium, Herbarum, Lapidum, Mineralium, omniumque Substantiarum Virtutes*.

VIII. Naturalis impotentia h. l. non accipitur in sensu privativo pro absentia, sed in sensu positivo pro debili potentia. Ut enim

Diſpoſitio eſt Habitus nondum perfectus; ſic iſta impotentia eſt initium ad ulteriorem potentiam, e.g. *Potentia concoquendi in ventriculo infantis, cujus quidem robur non dum extentitur ad petaſones Weſtphalicos.* Vel eſt reliquus gradus priſtinæ potentiæ, *ut ſe habent omnes ægrotorum ac ſenum vires.*

IX. Paſſio & Patibilis Qualitas ita differunt: Patibilis Qualitas eſt, quæ à ſenſibus internis & externis percipitur, e.g. *Qualitas viſibilis ſeu color; Qualitas tangibilis ſeu Frigus, calor, humiditas, ſiccitas, mollities, durities &c.* imo *affectus interni, in appetitu ſenſitivo obvii, Odium, Ira, Lætitia* &c.

X. Paſſio eſt eadem ipſa Qualitas, ſenſibus internis vel externis occurrens, ſed minus durabilis, e.g. *Pallor in ægroto, quoniam durabilis eſt, refertur ad Qualitatem patibilem; Pallor in timido, minus durabilis, vocatur Paſſio.*

XI. Forma & Figura utrinque denotant diſpoſitionem ſ. certam ſtructuram Quantitatis ſ. partium extenſarum: eâ tamen differentia, quam exprimit hic verſiculus:

Formam viventis, picti dic eſſe Figuram.

*1. Res ita ſe habet: Externa Species rerum viventium vocatur forma, e.g. diverſitas facierum in hominibus, etſi oritur à Quantitate diver-

versimodè dispositâ; ita ut nasus hic longior, ibi brevior, ibi erectior, alibi depressior, ibi tenuis, alibi crassus, &c. imo singula lineamenta speciatim designata exhibeantur : Caput quoque bovinum vel ideo distet ab equino, quod utrobique longitudinis, latitudinis & profunditatis diversa occurrit dispositio : tamen ipsa hæc species fluit à formâ, non à materiâ. Nam quandocunque infans formatur in utero materno, tum anima statim disponit corpus ad singula membra quoad debitam structuram exprimenda. Sic non omittitur manus, in manu non deficiunt articuli &c.

*2. Figura est non viventis. e.g. Rotunditas in Lapide, Dispositio sexangularis aut quadrata in Ligno, & omnis ea Quantitas, quæ non consideratur nudè quoad extensionem, sed concretè, quoad specialem partium ordinationem.

XII. Qualitatis prima Proprietas est, *recipere Contrarium.*

*Ita sibi opponuntur Calor & Frigus, Albedo & Nigredo, Stultitia & Prudentia &c. Quarum Qualitatum respectu ipsæ Substantiæ, earundem Subjecta, vocantur sibi invicem contrariæ.

XIII. Altera Proprietas est *Admittere magis minus*, h.e. *posse intendi & remitti*, seu ut supra diximus, *partes recipere in partibus.*

*1. Sic aqua tepida potest fieri calida: Lux crepusculi potest progredi ad clarissimum meridiem

diem;Concionator parum disertus assurgere potest ad summam eloquentiæ laudem.

* 2.Intensio hæc impropriè dici solet Quantitas: unde enata distinctio inter *Quantitatem Virtutis* h.e. intensionem graduum, & *Quantitatem molis* h.e.extensionem partium.e.g. dicere possum,*in te major est eruditio, major pulchritudo* &c.jam quomodo aliquid est magnum, ita & quantum.

XIV.Ut Substantia per Quantitatem alteri fit æqualis vel inæqualis; ita per Qualitatem vel similis fit vel dissimilis.

† Exinde judicari potest,quomodo in forma & figurâ differant Quantitas & Qualitas.*Nam globus magnus parvo est similis ; Imago hominis parva magnæ est similis , si respondeant lineamenta ; sed non adest æqualitas.*

CAPUT VIII.

De Prædicamento Relationis.

I.

RElatio est, per quam aliquid refertur, seu respectum actualem habere dicitur ad aliud.

e.g.Paternitas respectum habet ad Filium. Vicinitas ad alterum Vicinum,ita ut pereunte Fi-

Filio Paternitas ipſa pereat, & hæc eſt cauſa, quod in omni relatione parata eſt conſequentia illatio. *Eſt Pater. E. habet filium. Eſt Sponſus E. habet Sponſam.*

II. Et vero in qualibet Relatione Prædicamentali quinque Requiſita veniunt conſideranda. *1. Subjectum. 2. Fundamentum remotum. 3. Fundamentum proximum ſ. ratio fundandi. 4. Relatio ipſa. 5. Terminus.*

† Sanè agendum fuiſſet initio de variis Relationum diviſionibus: ſed cum hæc ipſa theſis maximam doctrinæ lucem fœneretur, libuit inverſum tandem ordinem obſervare.

III. Subjectum Relationis eſt Subſtantia, cui tribuitur, ſeu de qua prædicatur Relatio.

IV. Fundamentum remotum eſt aliqua potentia ſeu Accidens abſolutum, quo mediante Relata prædicantur.

V. Fundamentum proximum eſt hujus potentiæ actuale exercitium.

VI. Relatio eſt ipſe reſpectus abſtracto Vocabulo expreſſus.

VII. Terminus eſt alterum Correlatum, in quo terminatur reſpectus.

* Fateor obſcuram hanc eſſe deſcriptionem: ſed ſpero affore lucem ab exemplis. E. g. Patris & filii reſpectus eſt Relatio. *Subjectum* eſt In-

dividuum Substantiale seu Homo, qui est Pater; *Fundamentum remotum* est potentia generandi, *Fundamentum proximum* actualis generatio; *Relatio* Paternitas; *Terminus* filius.

*2. Sic paries albus relatus ad alium parietem similis coloris, habet Relationem. *Subjectum* utrinque est paries. *Fundamentum remotum* est albedo. *Fundamentum proximum* actualis convenientia utriusque albedinis. *Relatio ipsa* est similitudo. *Terminus* alter paries.

*3. Sic Relatione Domini & Servi. Dominus s. homo est *Subjectum*. *Fundamentum remotum* est libertas s. jus, quod civis habet ad imperandum: *Fundamentum proximum* est actualis acquisitio hujus juris, sive per emptionem, sive per captivitatem, sive per pactum. *Relatio ipsa* est Dominium & ex altera parte servitus. *Terminus* est servus.

*4. Relatio Vicini ad Vicinum sic evolvitur. Persona cohabitans est *Subjectum*. *Fundamentum remotum* est jus habitandi in Civitate, *Fundamentum proximum* exercitium hujus juris, seu actualis cohabitatio. *Relatio* vicinitas. *Terminus* alter vicinus.

*5. Ita Sponsi respectus ad Sponsam vocatur Relatio: cujus *Subjectum* est Individuum Substantiale Sponsus. *Fundamentum remotum* est aptitudo ad recipiendum Sponsi characterem, quæ vel est physica, sexus virilis & justa ætas; vel moralis, non nimia propinquitas & generis

ris æqualitas. *Fundamentum proximum* est exercitium actuale hujus aptitudinis. Nam certè multi nanciscerentur sponsam, si lubitum esset offerre suam personam. *Relatio* est, ut abstracto vocabulo utamur, Sponseitas. *Terminus*, ad quem dirigitur Relatio, est Sponsa.

VIII. Nunc videbimus de variis Relationum divisionibus. Et primo quidem Relatio est vel *Rei* vel *Rationis*.

IX. Relatio Rei est, per quam se invicem respiciunt Notiones primæ. *Pater, filius; Dominus, Servus,*

X. Relatio Rationis est, per quam se invicem respiciunt Notiones secundæ. *Sic Genus respicit differentiam: Præmissæ Conclusionem.*

XI. Deinde Relatio vel est *Transscendentalis* vel *Prædicamentalis*.

XII. Transscendentalis est, quæ occurrit inter eos conceptus, qui docentur in Metaphysica, possuntque applicari omnibus Prædicamentis. *Talis est Relatio Causæ ad Causatum, Adjuncti ad Subjectum, Potentiæ ad Objectum, Partis ad Totum &c.*

XIII. Prædicamentalis est, cum aliquid refertur ad aliud, non tanquam ad Effectum, vel Finem, vel Subjectum, vel Objectum; sed purè tanquam ad Terminum.

*Terminus dicitur alterum Correlatum. Et sanè Paternitas relata ad Filiationem non includit generationem, adeoque conceptum causæ, sed nudam habitudinem utriusque Relati, ut dicere possim; *Posito Patre poni Filium*, *Cognito Patre cognosci Filium*, seu quod eodem recidit: *Neutrum sine altero existit, neutrum sine altero cognoscitur*. Vide quæ dicentur de Proprietatibus Relatorum.

XIV. Relatio Prædicamentalis iterum vel est Æquiparantiæ vel Disquiparantiæ.

XV. Æquiparantiæ Correlata habet iisdem Nominibus denotata. *Vicinus & Vicinus*, *Amicus & Amicus*.

XVI. Disquiparantiæ Nomina utrinque gerit diversa. *Pater Filius*, *Dominus Servus*, *Maritus Uxor*.

† Aliqui Æquiparantiam & Disquiparantiam simul collocant in diversa dignitate: unde enata distinctio Relatorum Majoris Comparationis, e. g. *cum consideratur Pater respectu filii*, *Princeps respectu Subditi*; vel minoris Comparationis, *cum filius refertur ad Patrem*, *Subditus ad Principem*.

XVII. Nova distinctio est Relationis *secundum dici* & *secundum esse*.

XVIII. Relatio secundum esse, non est alia, quam quæ modo dicta fuit vel Transscendentalis vel Prædicamentalis.

XIX. Re-

XIX. Relatio Secundum dici est eorum Entium, quæ collocantur in alio Prædicamento, & tamen occultam aliquam relationem implicant, e.g. *Scientia locum habet in Prædicamento Qualitatis, & habet tamen aliquem respectum ad scibile.*

† 1. Relata secundum esse, præsertim Prædicamentalia, requirunt utriusque Termini existentiam. e.g. *Pater non est, nisi qui actu habet filium.* Ex adverso Relata secundum dici, etiam altero termino non existente, conservantur. e.g. Potentia videndi manet salva etiam in tenebris, ubi nihil est actu visibile.

† 2. Interim si accuratè rem consideremus, ea Relatio non est nisi Transscendentalis. Nam si spectes duo exempla apud Logicos vexatissima: *Scientia refertur ad Scibile, Caput est Capitati Caput*, Alterum refertur *ut Potentia ad Objectum*, alterum *ut Pars ad Totum.*

XX. Relata variè tandem distinguuntur respectu Fundamenti. Aut enim est Substantia, ut in Identitate, qualis est Individuorū respectu ejusdem Speciei, quam supra dicebamus Similitudinem naturæ: Aut est Quantitas, ut in Æqualitate; aut Qualitas, ut in Similitudine; aut Actio vel Passio eorum Relatorum, quæ vel fundantur in motu Physico: *Pater generat, Filius generatur*, aut Morali, *Sponsus offert, Sponsa accipit.*

Quæ-

† Quæri poteſt: an etiam Diverſitas, Inæqualitas & Diſſimilitudo referri debeant ad Relationem? Nam in moralibus actio bona dicitur, quæ relata ad legem cum eadem convenit; Actio mala, quæ relata ad legem cum eâ pugnat. Sed diſtinguendum inter Relationem, *quæ eſt actus Intellectus referentis*, & eam, quæ dicitur *mutuus rerum reſpectus*. Priori ſenſu vocari poteſt non tam realis, quàm rationis: poſteriori ſenſu non eſt Relatio, ſed potius Relationis negatio.

XXI. Proprietates Relatorum ſunt: 1. *Poſito uno ponitur alterum*, ſeu quod idem exprimit, *Relata ſunt ſimul naturâ*. 2. *Cognito uno cognoſcitur alterum*. h.e. *Relata ſe mutuo definiunt*.

† 1. Sanè Relata non conſiderantur ſecundum eſſe abſolutum, ſeu ipſam naturam Subjectorum, ſed ſecundum eſſe reſpectivum. *Sic enim Abrahamus prior erat Iſaaco, quatenus erat homo, & quatenus tanquam ens abſolutum referebatur ad Prædicamentum Subſtantiæ. At reſpectu Paternitatis, quo momento Iſaac incipiebat eſſe Filius, eo is incipiebat eſſe Pater.*

† 2. Inde etiam Relata ſe definiunt ſaltem quoad eſſe reſpectivum: *Pater eſt, qui habet filium, Filius, qui habet Patrem.*

XXII. Aliqui hoc Prædicamentum inſcribere malunt DE RELATIS quàm DE RELATIONE.

† 1. Ipſa

†1. Ipsa enim Relatio an sit Ens distinctum, & (quod innuit Accidentis natura,) Substantiis inhærens, dispici omnino haud potest. Video Fundamentum, cujus adminiculo Intellectus unum referre potest ad aliud; distinctam Relationem, antequam accedat Intellectus, non video; nisi quis in doctrina Universalium naturæ similitudinem velit appellare rem ab Individuis diversam.

†2. Do exemplum: Vir profectus in Americam relicta Uxore in Europâ, fit Pater, mortuoque filiolo amittit hanc relationem. Quomodo fieri potuit, ut Patri adnasceretur Accidens inhærens, & denuo tolleretur per tantam locorum distantiam? Inde apparet adesse fundamentum, ut imputari queat Paternitas, non inesse Paternitatem, quæ Subjecto inhæreat.

†3. Accedit nova ratio. Multa enim sunt Relata, quorum ne fundamenta quidem in ordinariis Prædicamentis collocari possunt. e. g. Dominus fundamentum habet *jus imperandi quæsitum*, Servus *actualem obligationem ad recipiendum hoc imperium*. Jam dicat mihi quis, in quo Prædicamento vel sit jus, vel obligatio? non certè in Prædicamento Relationis, quia sic de novo ejus fundamento quæreretur, donec abiret Processus in infinitum; nec in Prædicamento Actionis vel Passionis: quoniam Actio non est in Prædicamento, cujus potentia non est Qualitas Prædicamentalis: quin etiam

jus

jus dominii non in actione perpetua, sed in imputatione facultatis consistit.

† 4. Sed quorsum tales Speculationes affero? Satis fuerit Præceptori tyronibus ostendere, quantum theses Capitis hujus priores exerceri, ac imprimis Relatorum quinque Requisita inter se dijudicari debeant.

CAPUT IX.

De Prædicamentis Actionis & Passionis.

I.

ACtio est, secundum quam dicimur agere, *ut calefacere:* Passio est, secundum quam dicimur pati, *ut calefieri.*

II. Accuratior hæc est descriptio: Actio est exercitium Potentiæ activæ: Passio est exercitium Potentiæ passivæ.

III. Et vero quæ sint Potentiæ activæ, jam patere maximam partem pebet è Prædicamento Qualitatis, quippe sunt.

1. Habitus, *sic qui componit versus, exercet Habitum Poëseos.*
2. Potentiæ naturales. *Sic qui ambulat exercet potentiam, quæ vocatur Locomotiva.*
3. Jura & Privilegia h. e. potentiæ morales. *Sic qui vendit Cerevisiam, exercet Jus suis ædibus concessum.*

IV. Sic

IV. Sic Potentiæ Paſſivæ vel ſunt naturales, *ut ſe habet potentia memoriæ quid mandandi, quam exercet, qui actu ediſcit, & quam exercere nequit Lapis vel cauaex*; vel morales, *ut ſe habet Obligatio ſervi, cum recipit præcepta & verbera.*

† 1. Sanè Actio & Paſſio unus ſunt motus, ac ſi ſpectes terminum *à quo*, vocatur Actio, ſi terminum *ad quem*, eſt Paſſio: ſed tamen quia diverſæ ſunt Potentiæ, quæ ſuum actum ſeu exercitium nanciſcuntur, non eſt, cur omnimodam admittamus confuſionem.

† 2. Interim obſervandum, Verbalia Nomina in Io plerumque habere ſignificationem activam & paſſivam. e. g. *Generatio* non ſolum denotat actum generandi, ſed etiam ipſum generandi effectum, *ut Materia beata prædicatur ab omnibus Generationibus.* Sic Confuſio non ſolum eſt actio confundentis, ſed plerumque id ſignificat, quod à confundente ſtatuitur ſeu in negotio relinquitur.

V. Actio variè dividitur, ut & Paſſio, quæ quoniam Actioni ſemper reſpondet, non diverſas diviſiones recipit.

VI. Primo dividitur reſpectu ipſius Potentiæ, unde proficiſcitur.

* Inde habemus Actiones artificiales, *ut diſputare, canere &c.* naturales, eaſque vel Corporis, *ut gravitare*, vel Animæ vegetativæ, *ut nutrire*, vel

sensitivæ, *ut sentire, movere, appetere &c.* vel rationalis, *ut intelligere, velle.*

VII. Deinde respectu Objecti, in quo recipitur, est vel *Immanens* vel *Transiens.*

VIII. Actio immanens est cujus Subjectum passivum est in ipso agente.

*Sic Intellectus cogitando agit, & recipiendo proprias cogitationes patitur.

IX. Actio transiens est, cujus Subjectum patiens non est in agente.

*Sic loquentis actio venit à linguâ, & receptio soni vel toni est in aure audientis.

X. Tandem respectu Effectus, ad quem dirigitur, vel est Substantialis, h.e. *Generatio & Corruptio*, vel Accidentalis, h.e. *Augmentatio*, *Diminutio*, *Alteratio*, *& motus Localis.*

XI. De Proprietatibus Actionis vel Passionis non est, cur multa proferantur; Sequuntur enim naturam suæ Potentiæ.

*h.e. Potentia debilis habet debilem Actionem; contraria contrariam: unde mirum non est, *& actiones recipere contraria, & intendi ac remitti.*

Caput X.

De Prædicamentis Ubi & Quando.

I.

UBi eſt denominatio Subſtantiæ, quatenus ea dicitur eſſe in Loc.

II. Et iſte quidem Locus vel ſumitur *abſolutè*, deſignato videlicet ipſo Subjecto, in quo reperitur Subſtantia.

e.g. eſt in foro, in templo, Amſtelodami, Pragæ &c.

III. Vel ſumitur *reſpectivè*, quatenus unum Locum comparamus cum altero.

* e.g. Supra, infra; ad dextram, ad ſiniſtram; Ante, Retro.

IV. Ipſe Locus abſolutus vel eſt Communis vel Proprius.

* Vide quæ ſupra diximus de Subjecto denominationis *Lib 3. Cap. 3 pag. 122*, quo ſenſu verum eſt, *Sum in foro, Sum Lipſiæ, Sum in Miſnia.*

V. Locus Proprius iterum admittit diſtinctiones reſpectu Entium, quæ ſunt in Loco. Nam Corpora ſunt in Loco *circumſcriptivè*, Spiritus *definitivè*, Deus *repletivè*.

VI. Circumſcriptivè in Loco eſt, qui totus eſt in toto loco, & cujus pars eſt in parte loci.

*Sic Homo eſt in Muſeo: ſed in quo ſpatio præcisè eſt ejus caput, in eo non eſt pes: ſed quælibet pars aliam quoque loci partem ſibi tribuit.

† Et circumſcriptio hæc venit à Loco externo, ſeu à Corpore vicino, *vid. ſupr. pag. 144. ſeq.*

VII. Definitivè in Loco eſt, qui totus eſt in toto loco, & totus ſimul in quavis parte loci.

*Spiritus enim, quia ſimplicem habet eſſentiam, nec in partes quantitativas & extenſas vel diviſibiles diſtribui poteſt; quantum certè loci ſpatium occupat, non occupat, niſi totus. Unde enata otioſa quorundam Scholaſticorum quæſtio, *num in cuſpide aciculæ collocari poſſint mille Angeli? num Angelus ſit in puncto loci? &c.*

† Definitivum vero dicitur, quia terminos non habet ab alio corpore coarctatos, *ut quemadmodum aqua vaſis ſive quadratam, ſive rotundam figuram aſſumit, ſic etiam cogatur in ſexangulo vel quadrato Muséo totidem Angulis expreſſam habere eſſentiam:* ſed quia terminos habet à ſe ipſo & à ſua natura definitos.

VIII. Repletivè in Loco eſt, qui ubique eſt totus h. e. qui infinitus eſt, Simpliciſſimus & Omnipræſens.

IX. Quan-

IX. QUANDO est denominatio Substantiæ, quatenus ea dicitur esse in certo tempore.

† 1. Nota est dinstinctio Temporis externi & interni. Nam externum tempus est mensura durationis rerum, quatenus ea capitur à motu cœli ac præcipuè Solis. e. g. quando nobis viventibus Sol à Cancro progressus est ad Capricornum, dicimur vixisse dimidium anni.

† 2. Internum tempus est certa duratio in Corporibus, quam dirigit ipsa natura s. temperamentum. *Sic fœtus animalium certis mensibus absolvuntur, certis horis redit edendi, bibendi, dormidi desiderium, certis diebus febricitantium redit paroxysmus.*

† 3. Quamobrem hoc Prædicamentum propriè est denominatio Substantiarum, quatenus comparantur cum cursu Solis.

X. Qui durationem Dei & Spirituum huc referre volunt, distinguunt Tempus h. e. durationem utrinq; finitam ab Ævo & Æternitate.

XI. Æternitas est duratio infinita, tum à parte *ante*, tum à parte *post*.

XII. Ævum est duratio infinita saltem à parte post, *quomodo nunc durant Angeli, aliquando Homines in vita æterna.*

† 1. Sanè Angeli respectu suarum actionum à quibusdam revocantur ad tempus: aliud enim nunc agit Angelus, qui tempore Danielis pugnavit adversus Principem in Persia.

† 2. Deus tamen, etsi coëxistit tempori; tamen non est in tempore; quoniam est omnino immutabilis, nec admittit in se vel prius, vel posterius.

CAPUT XI.

De Prædicamento Situs & Habitus.

I.

SItus est denominatio Substantiæ Corporeæ, quatenus ea suas partes ad varias loci partes disponit.

*Sic aliter se habet manus clausa, aliter aperta: alium locum occupat homo incurvatus, alium erectus.

† Inde hoc loco non accipitur Situs pro dispositione partium inter se: sicut in vultu oculi, nasus, labia, ordinarium suum habent situm: nam hic situs pertinet ad quartam Speciem Qualitatis; sed pro dispositione partium ad partes loci.

II. Situs hic vel est naturalis vel spontaneus. Naturalis apparet in Arboribus & Plantis, *quæ inspirante vento in dextram moventur & sinistram.* Spontaneus apparet tum in brutis, *quæ pro lubitu jacent, surgunt, eriguntur, incurvantur*, tum maximè in hominibus, *qui varia simul agnoscunt saltationum equitationum, digladiationum artificia, unde ad varium situm deflectitur corpus.*

III. Ha-

III. Habitus designat denominationem Substantiarum, quatenus illæ externum habitum s. Indumentum admittunt.

*e.g. *Homo togatus, sagatus, ocreatus: Equus ephippiis instructus, Asinus clitellatus, Arbor trophæis ornata &c.*

NB. Pauca hæc esse possunt nimia, si cogites, sermonem haberi de Prædicamentis secundariis.

VI. Cæterum absolutâ Prædicamentorum doctrina, scire fortassis aliqui cupient, quomodo se habeat Conditio Terminorum Transscendentalium? Sed è superioribus id saltem constabit, esse eos terminos, qui applicari possunt vel singulis, vel tamen plerisque Prædicamentis, certo indicio, latius patere, quam solent Prædicamenta.

*Sic Ens vocatur, quod existit: verumque est Substantiam, Quantitatem, Qualitatem admittere hunc terminum.

† Pertinet ea tractatio ad Metaphysicam: sed qui adspexerit hodiernæ Metaphysicæ faciem, præsertim ubi Theologiam naturalem & Pnevmaticam diversis disciplinis perlustramus: is non modo concesserit, eam esse Lexicon Philosophicum, ubi Termini evolvuntur omnibus disciplinis necessarii; sed etiam largietur facillimè, Logicam, quæ proponit modum sciendi, Lexicon hoc, velut expeditissimum Scientiarum instrumentum, omni jure suum vocare potuisse. Nec diversum meum agnoscet con-

silium, qui videbit infra explicari distinctionũ in disputationibus obviarum farraginem. Et vero novitati vel non sum deditus, qui semper id ago, ne Juvenes, ordinata methodo informádi, confusionem experiantur; vel si quid aliter tractari sit visum, subinde tameñ ad receptã doctrinam ita provoco, ut similitudinem ac convenientiam ipsi quoque tyrones intelligant.

Caput XII.

De Prædicamentis Moralibus.

I.

Quoniam in Superioribus rerum Classibus nulla se exhibuit, quæ Moralium Conceptuum Genera & Species designaret; neque tamen hoc seculo consultum est, Juvenes ad Practica hæc Studia dimittendos omni adminiculo destituere; cum præsertim Morales disciplinæ sua habeant Genera, suas Differentias, suas Affectiones, unde vel nova Prædicamenta construi, vel vetera per commodam Analogiam augeri facile queant: Operæ pretium duxi, manuductionem in Praxi utilissimam non negligere.

II. Et vero Moralia non habent essentiam ita internam, sicut naturalia, quæ nemine cogitante existunt; sed saltem servantur in hominum Opinione, sive Imputatione.

e.g. *Quid est agri possessor?* cui imputatur possessio. *Quid est Consul?* quem Cives agnoscunt pro Consule. Quamobrem Entia hæc moralia statim destruuntur, si expiraverit hominũ opinio.

III. Intelligitur autem Opinio non actualis: *quia Civibus sæpe aliud cogitantibus Consul tamen manet Consul;* sed habitualis, *dum aliquis semel constituit & promisit, se nunquam actualiter velle statuere contrarium.*

IV. Interim quoniam imputatæ illæ res, & ut verè loqui liceat, rerum illi modi ac denominationes, concipi solent ut Accidentia personis inhærentia; optimum fuerit, Moralia per commodam Analogiam referre ad Prædicamenta ordinaria.

† Jam aliqua, velut Præparationis gratiâ, fuisse monita superius, cum ageretur de Differentia, vid. *pag 120.*

V. Substantia moralis, quæ substat Accidentibus moralibus, dicitur Persona. h. e. Homo in societate civili habens certum Jus seu certum characterem.

† 1. Sanè Persona Metaphysicè significat Individuum intelligens: sed Oratoriè denotat larvam s. habitum à Comicis receptum, qui scilicet Regis, Episcopi, Militis, Rustici speciem exhibent. Unde Politicis etiam placuit, in sensu Oratorio hanc allegoriam facere suam: si quidem homines naturaliter sibi similes, in-

 thea-

theatro Reip. diversis juribus ac dignitatibus, h. e. differentiis velut circumvestiti, omnino evadunt dissimiles.

†2. Quamobrem dico, *Rex est Persona, Consiliarius est Persona. Consul est Persona &c.* neque tamen Persona sensum habere potest physicè & propriè Substantialem; *cum, qui desinat esse Rex vel Consul, non statim desinat esse Substantia, seu Persona Metaphysica.* Et qua fronte dixissent Oratores, *imponere Personam Regis, Episcopi, Consulis?* si ipse hic respectus denotaret solam substantiam.

†3. Quod si tamen aliquis adeo velit esse delicatus, ut nauseam testetur adversus hæc placita; id saltem rogo, velit huic definitioni, *Consul est Persona,* certum Prædicamentum designare. Adesse enim conceptum communem, argumento est, quod alii etiam hoc Genus admittunt in suis definitionibus. Neque tamen vel Substantiæ vel Relationis Arborem Prædicamentalem videre memini, quæ ad ejusmodi Personas extendatur.

VI. Jam Personarum variæ sunt Species: sunt enim vel Publicæ, *quæ versantur in Reip. officiis,* vel Privatæ, *quæ vivunt in suis familiis, solaque fruuntur libertate, quam vocant personalem seu privatam.*

VII. Porro sunt vel Politicæ, vel Ecclesiasticæ, & quascunque demum divisiones suppe-

peditant Politicorum Tabulæ, quoties de varietate hominum in Rep. viventium dicere ingrediuntur.

VIII. Notandum insuper, quoniam Moralia consistunt in Imputatione habituali, Personas non modo esse simplices, quas repræsentat unus homo; sed etiam inveniri compositas, h.e. integras Societates, quas in certis negotiis unam personam referre videmus.

*Sic Senatus litigans cum vicino Prædii possessore; sic Concilium Aristocraticum ferens Leges; Sic Mercatorum vel Opificum Societates emendo, vendendo, transigendo occupatæ velut unius personæ vim exercent.

† Quin & unus homo certis functionibus gaudens diversas refert Personas: unde per jocum appellari Virum memini, Animal octodecim Capitum, qui totidem Præbendis esset instructus.

IX. Et istæ quidem Personæ loco differentiarum specificarum agnoscunt certa Jura, unde per promptissimam Consequentiam derivari possunt reliqua Propria.

† Sic Cancellarius est Persona Aulica (*en differentiam genericam*) habens jus dirigendæ Cancellariæ. (*en differentiam Specificam.*) Consul est Persona Civitatis publica jus habens dirigendi Senatum &c.

X.

X. Jura autem ſeu Affectiones commodè reduci poſſunt ad Qualitatem. Ut enim ea in ſecunda ſuâ ſpecie nominat naturalem potentiam, h.e. fontem actionum phyſicarum; ſic non abſurdum erit eidem ad latus collocare potentiam moralem, h. e. fontem actionum civilium.

† In hoc igitur Prædicamento fuerit e.g. in Principe *jus bellandi, jus ferendi legem: jus venandi &c.* in Cancellario, *jus præſidendi referendi, ſubſcribendi &c.* in Superintendente, *jus viſitandi, jus convocandi Synodum particularẽ, jus admonendi &c.* nam ut in Phyſicis, ita & hoc loco Actiones inde fluunt: quin & potentia, quæ non poteſt deduci in actum, dicitur eſſe fruſtra.

XI. Neque deeſt Patibilis Qualitas. Si enim quæras, *quorſum referri debeant Nobilitas, Opulentia, aliaque dignitatum Politicarum fundamenta?* reſpondebo: quorſum ſpectat pulchritudo naturalis, eo referetur pulchritudo moralis.

† Rubedo & albedo faciem pulchram reddunt naturaliter: Nobilitas & Opulentia Perſonam faciunt formoſam moraliter.

XII. Quantitas moralis elucet in exiſtimatione, qua quis in Rep. major vel minor dicitur, prout plures vel pauciores, ut ita loquar, dignitatis ulnas conficit. Hæc enim ipſa Exiſtimatio ſ. dignitas Perſonas reddit

æqua-

æquales & inæquales, quod proprium eſt Quantitatis.

XIII. Locus moralis ſeu τὸ Ubi exprimitur vocabulo STATUS. Nam quando e. g. Bellum vel Pacem definio *eſſe Statum*, quid aliud dico, quam eſſe velut Locum, in quo conſtituatur Reſp.

XIV. Clarius eluceſcit hæc Speculatio, ſi obſerventur phraſes; *verſari aliquem in Statu Eccleſiaſtico, Politico, Scholaſtico, militari, ruſtico &c.* Nam quaſi locus deſignatur, in quo dignitatem ſuam Civilem repoſuerit, & in quo jura ſua ſoleat exercere.

XV. De Artefactis, quæ potius ex Praxi & Manuductione Opificum, quam è libris methodicis addiſcuntur, nihil attinet monere: quicquid ſenſerit Manzius *in Duodecim ſuis Prædicamentis*, qui peculiarem Claſſem Artefactis aſſignavit. Careat Prædicamento, qui carere poteſt definitione.

XVI. Breviter à me tractantur, quæ inclinant ad uſus Politicos. Qui enim moleſtiſſimis Speculationibus omnia velit involvere, aut præclaros Auditores non eſt habiturus, aut in fine eosdem habebit de jactura temporis & ingenii querulos. Ut adeo vel hic maximè intra terminos ſobriæ Philoſophiæ ſit

ſit manendum. Cum præſertim multi à notitia Prædicamentorum moralium maximè alieni, nec in docendâ Politicâ, nec in gerendis feliciter negotiis, ex hoc capite ſenſerint impedimentum.

CAP. XIII.
De Oppoſitis.

I.

VIdimus de fundamento Propoſitionum affirmativarum: nunc reſtant negativæ, quas eliciunt Oppoſita vel Diſparata.

II. Oppoſita ſunt, quæ diverſum ita ſignificant, ut ſe mutuo excludere videantur. *e.g. nigrum, album; videns, cæcus; Maritus, Uxor; Lapis, non Lapis.*

III. Diſparata vel diſtincta ſunt, quæ diverſum quidem ſignicant, ſed ſine pugna. *Homo, Lapis: Mercator, Miles.*

† Sanè diſparata reſolvi tandem poſſunt in aliquam Oppoſitionem, ſi dicas, *Homo, non Homo,* quorſum quoque pertinet *Lapis; Mercator, non Mercator,* quo refertur etiam *miles.* Sed hæc pugna nimis eſt implicita & remota: pene dixerim ex alieno ſenſu allata.

IV. Oppoſitorum quatuor ſunt Claſſes: quippe aliqua opponuntur, *1. Contrariè, 2. Privativè. 3. Relativè, 4. Contradictoriè.*

V. Quæ ſibi opponuntur Contrariè, ſunt duæ

duæ Qualitates, quarum altera alteram pellit è Subjecto. *e. g. Calor, Frigus; Humiditas, Siccitas; Albedo, Nigredo; Dulcedo, Amaritudo.*

VI. Privativè sibi opponuntur Habitus & ejus absentia. e. g. *Visio, Cæcitas.*

* Habitus h. l. non designat strictè potentiam acquisitam, sed latè potentiam quoque naturalẽ, quatenus ea est in Subjecto habili. *e. g. Visio seu potentia videndi competit animali tanquam Subjecto habili, ergo absentia visionis dicitur Privatio:* ex adverso Lapis ad sui perfectionem non opus habet visione, nec adeo est Subjectum aptum & habile: inde absentia visionis non est privativa, sed negativa, pertinetque ad oppositionem contradictoriam.

VII. Relativè sibi opponuntur, quæ superius cap. VIII. dicuntur se mutuo respicere.

Pater, Filius: Princeps, Subditus,

VIII. Contradictorie opposita sunt, quæ ab altera parte voci præfixum habent NON. *Homo, non Homo: Lapis, non Lapis.*

* 1. Oppositio hæc est firmissima, quippe non datur tertium, nec quicquam excogitari potest, quod alteri membro nequeat accenseri.

* 2. Interim confundi non debet Oppositio Enunciationum, quam supra consideravimus, & altera Terminorum, quæ hujus est loci.

IX. Est etiam Contradictio Terminorum implicita, quando aliquid ut posterius adjicitur, unde prius evertitur. Quæ vocari solet,

let, *Contradictio in adjecto. e.g. Ferrum ligneum, Sapientia insaniens.*

X. Postquam de Oppositis & Disparatis actum est; Logici, Terminos in quolibet Prædicamento obvios illustraturi, varias instituunt Quæstiones. *1. Quot modis aliquid dicatur Prius? 2. Quod modis Simul? 3. Quot modis Moveri? 4. Quot Habere?*

XI. Sed si quis ad varias vocum significationes hic velit respicere, propius ad scopum pervenerit, si æquivocas terminorum acceptiones, seu Distinctiones, ut vocant, conjunctim perlustret, quatenus in limitandis resolvendisque Syllogismorum Propositionibus utilitatem suam declarant. Sive enim in illis distinctionibus perpetua latet contradictio; sive ad minimum exhibentur disparata; nulla erit causa, cur in hoc capite locum non inveniant.

XII. Sequamur itaque ordinem, qualemcunque nobis obtulerit Alphabeti ductus: ea tamen lege, ut è plurimis excerpere liceat extantiores, quas aut in Praxi, & præsertim in disputando, præ cæteris intellexi utilissimas, aut quas ad reliquarum notitiam ultro indagandam cognovi sufficientes. Ea tamen lege, ne quis subtiliora hæc inculcari debere credat etiam tyronibus, in ipso adhuc Logicæ vestibulo constitutis.

CA-

Caput XIV. De Distinctionibus Logicis.

I.

ALiud est Divisio, aliud vicissim Distinctio.

II. Divisio est Rei unius, in diversas partes seu conceptus, separatio. Et istius artificia tum exponentur, ubi de Praxi sumus dicturi.

III. Distinctio est ipsa rerum sive conceptuum diversitas: vel si Logicè velis describere: Est duorum vel plurium vocabulorum comprehensio, quibus designantur Res disparatæ, sive earundem Conceptus.

† Inde clarum est è Divisione provenire Distinctionem.

IV. Est autem Distinctio vel Realis, vel Instrumentalis.

V. Realis pertinet ad disciplinas, prout quæque suum objectum declarandum, adeoque certis distinctionibus ab omni obscuritate & ambiguitate liberandum, suscepit.

† Sic Politica distinguit *Libertatem Civilem & Personalem*, *Magistratum Majorem & Minorem*, *Principem potestate & titulo talem &c.*

Sic Theologus *Phrases Biblicas & Ecclesiasticas, Peccata regnantia & infirmitatis, Libertatem naturæ gratiæ & gloriæ &c.* distinguit. Sic alii alia docent, quæ quidem in disputationibus insignem habent usum, neque tamen docentur à Logico, nisi is pro objecto habere debet Res omnes specialissimè considerandas.

VI. Distinctiones Instrumentales sunt, quæ omnium Disciplinarum quæstionibus queunt adhiberi.

† e.g. Hæc distinctio, *latè, strictè*, locum invenit apud Theologos, qui Theologiam accipiunt latè pro universis fidei articulis, strictè pro sola doctrina de Deo, &c. apud Politicos, qui Principem accipiunt latè, pro omni eo, qui habet Majestatem, strictè, pro eo, qui Regibus est inferior, Comitibus superior: apud JCtos, ubi Judex strictè acceptus est, qui habet Jurisdictionem, latè etiam is, qui fit Arbiter Compromissarius, &c.

VII. Has igitur Distinctiones, in cursu disciplinæ nostræ instrumentalis sumus aggressuri, ne industria, disciplinis realibus sive Principalibus consecranda, eruditis vocabulis destituatur, quoties vel limitatio, vel æquivoci termini explicatio requiritur.

AB-

I.

ABSOLUTE, COMPARATE.

Abſolutè ſe habet, quod conſummatum eſt, ita ut nihil poſſit addi.

Sic abſolutè doctus vocatur, qui omni ex parte, ſemper, ubique & ſine exceptione ad aliquem reſpectum, talis eſt.

Comparatè accipitur, quod ſaltem aliquo reſpectu tale eſt.

Ita doctiſſimum dicimus vel ſemidoctum, qui comparatus cum altero minus docto talis apparet.

Ita Deus abſolutè bonus eſt, qui ſemper & ubique bonitatem ſuam teſtatur, nec ullâ indiget comparatione, ut talis dici queat: viciſſim Homo bonus dicitur in reſpectu ad deteriores, quibus eſt melior. *Ariſtides eſt bonus, ſed comparatus cum Piſiſtrato, &c.*

Ita abſolutè ſummus in Rep. eſt Princeps, quia quocunque reſpicias, ſemper talis exiſtit: ſed comparatè ſummus eſt Conſul, reſpectu Senatus vel Civitatis, cujus eſt Caput.

II.

ABSOLUTE, HYPOTHETICE.

Non multum abit à priori diſtinctione. Nam per Hypotheſin nihil intelligitur aliud, quam certa conditio, cujus reſpectu, vel ſecundum quam res talis eſt.

Sic Princeps non vult bellum abſolutè, h.e. ſi nullus eum moveat reſpectus; ſed hypotheticè,

posità videlicet hac conditione, si aliter servari & defendi nequeat Resp.

Sic Lingua Japonica Theologo non est necessaria absolutè, quasi eandem scire omnes, sine certo respectu, tenerentur Studiosi; sed hypotheticè, posito, velle aliquem egredi ad convertendas illas gentes.

III.
ABSOLUTE, RESPECTIVE.

Iterum coincidit cum priori: siquidem omnis Comparatio involvit Respectum, ut eodem sensu diceres: *Homo est bonus respectivè, Consul est summus respectivè.*

Sic in distinctione Accidentium Prædicamentalium aliqua dicuntur absoluta, videlicet Quantitas & Qualitas, quæ scilicet non explicantur in comparatione ad aliud, sed in se absolvunt suam essentiam: reliqua sunt respectiva. e. g. *Actio est exercitium potentiæ Activæ, ergo ejus potentiæ respectu explicatur. Situs intelligi nequit, nisi cognoscatur comparatio s. respectus Corporis ad Locum.*

Et hæc est ratio, cur supra *p. 177.* ad Qualitatem retuli omnia Accidentia, præter Extensionem: nimirum nobiliora & absoluta, relictis ignobilioribus & respectivis suo loco.

Sic in Relatione Pater dicitur prior Filio, secundum esse absolutum, quatenus est homo, & in se consideratur; dicitur simul, secundum esse respectivum, quatenus incipit esse Pater, &

consi-

considerari debet in comparatione ad Filium.

Huc referas Politicorum distinctionem, qua Principis potestatem vel *absolutam* vocant vel *restrictam*. Nam restricta, h.e. certis exceptionibus limitata, quid est nisi respectiva? Ex adverso absoluta est, quæ ab omni respectu limitato absolvitur.

IV.

ABSTRACTIVE, NEGATIVE.

Abstrahere est unum sine altero cognoscere: Negare est unum ab altero removere. Inde abstrahi per Intellectum possunt, quæ realiter nunquam removentur. Ac ortum Axioma: *Abstrahentium non est negatio, sive mendacium.*

e.g. Si quis Principem laudaret propter Pietatem, quam inspiceret separatim, eo ipso non negaret esse clementem vel temperantem. Si Professorem quis diceret eloquentem, non negaret esse versatum in disputando.

V.

ACTU POTENTIA.

Actu esse dicitur, quod jam reverâ datur & existit: Potentiâ est, quod non existit, potest tamen existere.

e.g. Primogenitus Regis Filius non est Rex actu, sed potentiâ. Qui scribitur in testamento hæres, non est Dominus bonorum actu, sed potentia.

Ipsa vero Potentia est vel remota vel proxima. Proxima immediatè potest deduci in actum. e.g. *Primogenitus statim potest fieri Rex*. Remota mediatè ad actum respicit. *Sic secundogenitus tum fieri potest Rex, si media intercedat mors fratris primogeniti.*

Ita Puer bonæ Indolis potentiâ est Doctor, sed nimis remotè.

VI.

ACTU PRIMO vel SECUNDO.

Actus idem sonat ac perfectio. Inde hæc distinctio ad eas spectat potentias, quæ per exercitium suum deduci debent ad ulteriorem & consummatam perfectionem.

e.g. Prima perfectio s. Primus Actus est habere potentiam videndi: sed exercere hanc potentiam altera est perfectio.

Sic Professor cœnans vel dormiens disputandi habet perfectionem actu primo; stans in cathedrâ & resolvens Adversariorum objectiones, actu secundo.

VII.

ACTU SIGNATO vel EXERCITO.

Actus signatus est, quando res in suâ natura consideratur: Actus exercitus, cùm res in suo usu applicatur.

Ita

Ita Theologus Fidem salvificam tractat in actu signato, Christianus credens, in exercito.

Ita Logica docens versatur circa actum signatum, quasi dicas, perfecta est in signando; utens ostendit actum exercitum, ac est perfecta in exercendo.

VIII.

ADÆQUATE, INADÆQUATE.

Desumpta est hæc denominatio à Mathematicis. Lineæ enim ejusdem longitudinis se mutuo respiciunt adæquatè; quæ diversam habent longitudinem, inadæquatè.

Applicatur igitur Metaphora hæc·

1. respectu Objecti.

Nam adæquatum disciplinæ objectum idem est ac totale, quod adæquat integræ disciplinæ amplitudinem.

Sic Syllogismus est objectum Logicæ, sed non adæquatum. Concionari est boni Ecclesiaste officium, sed inadequatum.

2. respectu Causæ.

Causa enim adæquata est, quæ sola effectum producit, ac tantas vires habet, quæ effectui æqualiter respondeant.

Causa inadæquata est, quæ quidem ad effectum producendum aliquid contribuit, sed eundem sola non absolvit.

e.g. *Si duo equi trahant currum, uterque equus tractionis causa est inadæquata.*

3. Respectu Distinctionis & Divisionis.

Divisio Totius in partes adæquata dicitur, quæ omnes partes enumerat. *Sic si hominis corpus distinxeris in tres ventres, Caput, Pectus & Abdomen, partes non adæquabuntur corpori, quod simul exhibet brachia & pedes.*

Distinctio Partium inter se adæquata dicitur, ubi membrum quodvis à se diversum est. Inadæquata vicissim, ubi unum membrum in altero includitur, adeoque se habent ut latius & strictius, h.e. ut inadæquata.

e.g. *Sic inter hominem & brutum est distinctio adæquata, inter hominem & animal inadæquata.*

Physica & Politica distinguuntur adæquatè Philosophia practica & Politica, inadæquate.

IX.

COLLECTIVE. DISTRIBUTIVE.

Vide hanc distinctionem supra explicatam pag. 22.

X.

COMPLETE, INCOMPLETE.

Completum est, quod omnia habet ad suam naturam requisita; Incompletum, cui aliquid deest.

Sic si dicas, non opus esse Medicina, cum ea jam tradatur in Physica: respondebitur, Medicinam

nam in Physicâ tractari saltem incomplete, quoad principia generalia, non completè, quoad conclusiones etiam speciales.

XI.

IN COMPOSITO SENSU vel DIVISO.

Idem ac si dixeris, vel in Abstracto, vel in Concreto: sensus enim Compositus totum Concretum designat, cujus partem sibi relinquit Divisus.

e.g. Musicum ædificare, verum est, in sensu composito, quatenus in Musico simul est ædificandi notitia: falsum tamen est in sensu diviso, si à conceptu Musici omnia separentur, quæ præcisè ad artem canendi non pertinent.

Sic supra *p. 46. seq.* occurrebat Syllogismus Modalis, cujus hæc erat Conclusio: *Necesse est Notarium movere manum*, cui certè locutioni simul accedere potest illustratio, si dicas, *necesse est in sensu composito, quatenus actu scribit: cum scriptio nequeat suscipi sine motu: non necesse est in sensu diviso, quatenus Notarius, non simul additâ scriptione, cognoscitur.*

XII.

CONFUSE, DETERMINATE.

Valet hæc distinctio in modo cognoscendi. Quando enim simul percipiuntur circumstantiæ speciales, cognitio est determinata, quando generalia saltem innotuerunt, est confusa.

Inde Conceptus generibus dicitur confusus, quoniam non includit conceptum differentiæ, quæ speciem demum determinat.

Alii sic describunt: Confusè sumitur vox, quæ resolvitur per Particulam disjunctivam AUT; determinatè, quæ admittit particulam demonstrativam HOC.

e.g. Si confusè cognoverim *occisum esse viatorem*, tunc intellectus ita vagabitur, *aut in via publica, aut in sylva, aut prope cauponem &c.* Si accesserit notitia distinctior, tum determinari poterit locus, *occisus est ad hanc ipsam quercum, quæ occurrit sub ingressum sylvæ.*

Ita si quis habeat decem equos, mihi donet unum, sensus est confusus, *vel hunc, vel illum, vel istum:* quod si dicat, *dono tibi equum, qui solus est niger in stabulo*, sensus erit determinatus.

XIII.

DIRECTE, INDIRECTE.

Hæc distinctio iterum sapit Mathematicam: directè enim proceditur per lineam rectam, indirectè per obliquam seu reflexam.

e.g. qui globo tormentario tangitur, dicitur petitus directè; quem globus in murum directus in regressu tangit, læditur indirectè.

Sic qui contemnit Magistratum, contemnit Deum. Sed Magistratui infertur contemptus directè, Deo, qui Magistratum instituit, indirectè.

Sic in disciplinis ea traduntur directè, quæ propriè faciunt ad cognitionem objecti; indirectè, quæ velut obliquâ saltem occasione eo reducuntur. Ut Ethica Summum Bonum ostensura, directè agit de virtutibus; indirectè de vitiis, quæ non tam faciunt ad constitutionem S.B. quam ad cautelam, de isto non admittendo.

Ita limitatur Canon satis tritus: *Qui vult Antecedens, vult etiam Consequens: Qui concedit Præmissas, concedit simul Conclusionem.*

e.g. qui vult furari directè, ut in futurum quasi per lineam rectam feratur, is vult suspendium indirectè, h.e. vult aliquid, quod alia postmodum linea ducit ad patibulum.

Sic quibusdam tribuitur hæc locutio, *Deum esse causam peccati*. Licet enim illis ea non placeat directè, ut in scriptis expressè legatur: placere tamen videtur indirectè, quoniam talia statuunt, è quibus sponte fluit hæc conclusio.

XIV.

DIVERSO vel EODEM RESPECTU.

Generalis hæc est distinctio, & pene dixerim, sacra disputantium anchora. Nam sanè ubi est distinctio, ibi non potest abesse diversus respectus. Quamobrem usurpari non debet generaliter, nisi accedat applicatio specialis, h. e. nova aliqa & minus confusa distinctio.

Rex

Rex eſt Summus & non Summus. Summus reſpectu ſui regni, non Summus reſpectu aliorum Regum, quibus eſt æqualis, vel reſpectu Dei, quo eſt inferior.

Ruſticus poſſidens mille taleros & dives eſt, & pauper. Dives reſpectu mendicorum, pauper reſpectu eorum, qui facultates ſuas non numerant, ſed ponderant.

XV.

STATUS ESSENTIÆ vel EXISTENTIÆ.

Status Eſſentiæ eſt, quando res conſideratur ſecundum naturam ac debitam ſuam perfectionem. Status Exiſtentiæ eſt, quando eadem res ita conſideratur, ut nunc exiſtit, qualemcunque ſimul trahat imperfectionem.

Hinc Status Eſſentiæ alio nomine vocatur perfectus & Idealis, h. e. in Idea cogitantis expreſſus: Status exiſtentiæ dicitur imperfectus & poſſibilis.

Sic Medicus, cum de Sanitate cogitat, eandem quoad omnia membra ac temperamenta ſibi fingit perfectiſſimam: Sed cum occurrit ægrotus, cui variæ conditiones eam perfectionem denegant, contentus eſt eandem ſervare taliter qualiter.

Ita Præceptores aliter loquuntur de Eruditione, cum præſcribunt diſcendi methodum, adeoque

Eruditionem in eſſentia; aliter eandem deprehendunt in Auditoribus, h.e. in exiſtentia.

XVI.

ESSENTIALITER, ACCIDENTALITER.

Eſſentialiter ea ſe habent, quæ rem ipſam conſtituunt, nec ab eâ poſſunt abeſſe, ſed ſuo potius diſceſſu rem deſtruunt. Accidentaliter ſe habent, quæ nihil contribuunt ad rei conſtitutionem, & abeſſe ut plurimum poſſunt ſine rei deſtructione.

Exempla peti poſſunt è Prædicabilibus. Sed accuratius proceditur in rigore Logico ſive Phyſico, quàm in licentia Politicâ.

e.g. Concionator habet hanc differentiam, *jus ad miniſtrandi Verbum & Sacramenta:* quæ ſane eſt eſſentialis, ut eadem remotâ, homo deſinat eſſe Concionator: ſed proprium inde fluens *Jus ſive obligatio concionandi diebus Dominicis*, non eſt eſſentiale, quoniam de Concionatore perfecte poſſum cogitare, non cognita ſimul obligatione hac. Interim Politicè rectè dicimus eſſentiales has eſſe Conciones, quippe quæ ſtatim fuerunt determinatæ, cum exhiberetur Vocatio: accidentales vero ſunt Conciones ſive Nuptiales ſive Funebres, quarum occaſio, ſi per annum non emergat, nihilominus eſſentialia functionis Eccleſiaſticæ dicuntur obſervari.

Ita

Ita pecunia Salario nostro destinata, merito dicitur essentialis, velut quæ nequit abesse: reditus per incertam fortunam obvenientes, stylo etiam inter nos recepto, vocantur accidentales.

XVII.

ESSENTIALITER, INTEGRALITER.

Essentialiter se habet, ut supra dictum, quod rei essentiam constituit. Integraliter, quod rei integritatem constituit, h.e. quod ad externam perfectionem & accidentalem rei necessariam tamen, elegantiam aliquid contribuit.

e. g. Homo altera manu mutilus perfectus est quoad essentiam: habet enim materiam, h.e. Corpus, & formam, h.e. animam: at perfectus non est integraliter, quia Corporis debita integritas aliquo laborat defectu.

Sic in Nuptiis Consensus & Copulatio concurrunt essentialiter. Dos Convivium Nuptiale, ac quicquid est solennitatum velut necessarium, integraliter.

XVIII.

ESSENTIALITER, PARTICIPATIVE.

Essentialiter, hoc sensu, de illo dicitur, qui habet essentiam à se; Participativè, qui habet essentiam ab alio.

Ita Rex puniendi potestatem habet à se, h. e. à propriâ Majestate: Judex oppidanus participativè h.e. à concessione Regis.

Sanè Politici libentius dicunt, *Independenter, dependenter*.

XIX.

EXTENSIVE, INTENSIVE.

Quid sit Extensio & Intensio, jam patet è dictis *pag.141*.

Sic si Gigantem rusticum velis comparare cum Doctore; quem forte minor statura plebejis reddit minus venerabilem, illum dixeris majorem extensivè, hunc intensivè.

Sic Concio duarum horarum, sed habita ab inepto, extensivè superat aliam, quam Chrysostomus habuit semihorulæ spatio; sed non intensivè.

XX.

FORMALITER, MATERIALITER.

Forma est id, cujus accessu res evadit completa & perfecta, unde supra comparabatur differentiæ.

Materia est illud subjectum, quod formam recipit, ac ante ejus accessum non est perfectum: unde comparari in Prædicabilibus solet Generi.

Sic igitur Syllogismus materialiter acceptus est propositio ejusq; medius terminus s. ætiologia,

ex

ex qua videlicet Materiâ construitur Syllogismus. Formaliter consideratus est Oratio è duabus Præmissis & conclusione constans, quæ dispositio ad ipsam ejus consummationem requiritur.

Sic in Politicâ Resp. materialiter sumpta, denotat multitudinem hominum: formaliter, ordinem Magistratuum & subditorum, qui accedens magnæ societati, perfectam reddit formam.

Sic qui possidet argentum crudum, pecuniam habet materialiter, qui signatum, formaliter.

XXI.

FORMALITER, CONCOMITANTER.

Forma denotat perfectionem & complementum rei: quamobrem ea denominatio se habebit *formaliter*, cui nihil de est ad plenam & propriam acceptionem; *Concomitanter*, quæ denominationem nanciscitur (ut distinctionibus aliis hanc distinctionem illustrare liceat) *impropriè*, *indirectè*, *secundario & per accidens*. Vide quæ dicta sunt *de Prædicationibus concomitativis pag. 129*.

e.g. In officio quod ab uno saltem teneri potest, qui intendit promotionem unius, simul intendere dicitur repulsam alterius: nimirum promotio intenditur *formaliter*, *propriè*, *directè*, *primariò & per se*; repulsa intenditur *concomitanter*, *impropriè*, *indirectè*, *secundario*, *& per accidens*.

Sic

Sic quis Gallinæ supponit ova, formaliter intendit pullos, concomitanter corruptionem ovi.

Fere convenit Diſtinctio Formaliter & Per Consequentiam, cujus exempla vide num. XXIX.

XXII.

FORMALITER, EMINENTER.

Diſtinctio hæc inventa eſt illuſtrando Canoni: *Quod quid non habet, alteri dare non poteſt.* Formaliter enim habet rem, penes quem ea eſt ſecundum naturam ſuam & definitionem; Eminenter, qui habet quid Majus, in quo Minus alterum continetur.

e. g. Imperator dum confert Gradum Doctoris, non eſt Doctor formaliter, ut eidem expreſſè tribui queat definitio Doctoris: bene tamen eminenter, cum reſpectu Majeſtatis ac ſublimis ſuæ dignitatis omnes inferiores dignitates in ſe complecti videatur.

Sic quando calor Solis è materia putrida producit ranam, h. e. vivam Subſtantiam; Sol in ſe non habet vitam formaliter, ſed eminenter, h. e. potentiam agendi adeo nobilem, quæ ſimul in ſe continet vim generandi.

Spectat huc Canon: *Qui poteſt majus, poteſt etiam minus;* quem tamen alibi novimus illuſtratum.

XXIII.
FORMALITER, FUNDAMENTALITER, ſ. RADICALITER.

Idem quod num. XIX. *Formaliter & Materialiter.*

Concluſio cum medio termino Syllogiſmus eſt fundamentaliter, h. e. fundamentum, cui poſtmodum inſtructura Propoſitionum accedit forma.

Sic ſupra *pag.126.* Similitudinem naturarum in Individuis dicebamus non *formalem & completam*, ſed *materialem*, *fundamentalem & incompletam.*

XXIV.
FORMALITER, IDENTICE.

Idem quod *Abſtractè & Concretè*: uſumque invenit hæc diſtinctio, quoties eadem res in diverſos conceptus dividitur; ubi in Conceptu objectivo eſt identitas ſeu convenientia, in Conceptu formali diverſitas, ut quælibet particula ſuam habeat formalitatem.

e.g. Archimareſchallus Imperii & Elector Saxoniæ non ſunt idem *formaliter*. Nam forma ſ. differentia Archimareſchalli eſt jus dirigendi publicam Imperii Curiam: quod deſignatur, dum præfert gladium, & poſtea in Convivio baculum; Forma Electoris eſt jus eligendi Cæſarem. Sed *identicè*, h.e. à parte rei

rei conveniunt; nam ille ipſe Princeps, qui eſt Archimareſchallus, etiam eſt Elector Saxoniæ.

Cæterum Politicus diceret libentius, ea differre non in concreto & à parte rei, ſed in abſtracto, à parte cognoſcentis.

XXV.
FORMALITER, OBJECTIVE.

Quoniam Objectum dici conſuevit Materia, ſicut novimus Corium dici Sutoris Materiam, circa quàm verſatur; perinde eſt, ac ſi dixeris, *Formaliter*, *Materialiter*.

Nobilem vero hujus diſtinctionis applicationem vid. *pag. 104.* ubi Conceptus dicitur vel *formalis*, vel *Objectivus*.

Ita ſi quis dubitet, *num Herbarum in Hieme ſit ſcientia, cum eo tempore non exiſtant?* reſponderi communiter ſolet, non exiſtere *formaliter*, h.e. reverâ non poſſe demonſtrari, quæ aptitudo exiſtentiæ forma ſive proprietas eſt: *vid. p. 124.* Exiſtere tamen *objectivè* h.e. per modum objecti cogniti in Intellectu. Quod ſi detur inſtantia, *ſic Scientiam verſari circa Entia rationis?* reſpondetur; Ens rationis, quod reali opponitur, *objectivè tantùm* eſſe in Intellectu, h.e. non habere alium Conceptum objectivũ, niſi qualem ſibi finxit Intellectus. Sed Objecta diſciplinarum ita eſſe objectum Intellectus, ut præſupponant aliquam exiſtentiam, adeoque conceptum objectivum extra Intellectum. Quicquid

quid enim nunquam extitit, ejus nullam ſcientiam formare poteſt Intellectus.

XXVI. FORMALITER, REDUCTIVE.

Formaliter ad rem pertinet, quod propriè & principaliter eo ſpectat; Reductivè, quod per aliquam ſimilitudinem vel analogiam.

Sic Res ad Prædicamenta pertinent *formaliter*, Privationes *reductivè*, cum interdum velut adhærens aliquod Accidens conſiderentur.

Sic privilegia pupillis conceſſa ad iſtos ſpectant *formaliter*; ad Eccleſiam vel Xenodochium, quibus itidem dari ſolent Curatores, *reductivè*.

XXVII. FORMALITER, VIRTUALITER.

Diſtinctio hæc locum habet in cauſis. Quæ enim Cauſa propriè & verè attingit effectum, ut formalem ſuam operationem ei contribuat, agere dicitur formaliter: viciſſim quæ jubendo vel cogendo aliam cauſam ad agendum impellit, agere dicitur virtualiter.

e.g. Princeps in Rep. ubique non eſt formaliter: bene tamen virtualiter, h.e. potentia & Jurisdictione, quam injunxit Minoribus Magiſtratibus.

Repete, quæ *num. XXI.* dicebantur talia *Formaliter* & *Eminenter*. Nam Imperator, ſi Doctor non

eſt

est formaliter, bene tamen est virtualiter, h.e. virtutem ac potentiam habet tantam, quanta requiritur ad creandum Doctorem.

Locum etiam habet in naturalibus. e. g. Motus duo ligna fricando sæpe collisa incendens non habet in se calorem vel ignem formaliter, bene tamen virtualiter. Aër in fistulo tonum excitans, sonum non habet in se formaliter, sed virtualiter.

XXVIII.

GENERICE, SPECIFICE.

Distinctionem hanc ignorare non potest, qui jam è doctrina Prædicabilium intellexit, quid vocetur Genus & Species. Hoc tamen notari meretur à Rhetoribus, imo & JCtis, Genus appellari, quod à Logicis vocatur species; & vero speciem, quod Logicis est Individuum.

e. g. Qui Commensalibus cantharos propinat in specie, singula eorundem Individua creditur designasse.

Sic qui Rusticos dixerit homines nequam, excusare se poterit, se locutum in genere, non in specie, h. e. certam Rustici personam à se non fuisse notatam.

XXIX.

IMMEDIATE, MEDIATE.

Termini in ſe ſunt clari, nam ſi quis vocetur ad functionem publicam, vocatus dicitur & à Deo & à Patrono, à Deo mediatè, à Patrono immediatè.

Vide quæ ſupra *num V.* diximus de Potentia remota & proxima.

XXX.

IMPLICITE, EXPLICITE.

Explicitè id ſe habet, quod expreſsè, & clarè ponitur: Implicitè, quod licet expreſsè non ponatur, tamen per optimam Conſequentiam ſubintelligitur.

Sic in Decalogo quintum Præceptum explicitè prohibet actum & voluntatem lædendi; ſed implicitè ſimul ponit actum & voluntatem amandi, adjuvandi, defendendi.

Sic in pacto inter Servum & Dominum explicitè ponitur obligatio ad præſtanda ſervitia domeſtica, implicitè obligatio ad patienda verbera, ſi forte neglectum fuerit officium.

Aliis verbis diceres *Formaliter & reductivè ſ. conſequenter.*

XXXI.

INTENTIONALITER, REALITER.

Realiter accipitur aliquid, prout ſe habet à parte rei, & nemine cogitante.

Intentionaliter, prout vel à ſenſu, vel ab intellectu agnoſcitur. Intentio enim idem ſignificat ac cognitio: unde Notio prima & ſecunda quibusdam Logicis audit Intentio prima & ſecunda.

e.g. Colores in Iride non adſunt realiter, quaſi Nubes eſſent coloratæ, ſed intentionaliter, quoniam oculis tales apparent.

Sic verum Nobilem dicere queas realiter talem; Impoſtorem, qui ementitam ſuam Nobilitatem jactat intentionaliter talem.

XXXII.

INTRINSECE, EXTRINSECE.

Diſtinctio hæc idem interdum valet, ac *Eſſentialiter* & *Accidentaliter*. Num. XV.

Sic Honeſtas Ethica dicitur interna ſ. Eſſentialis, quoniam ſemper ita ſe habet, nec mutari poteſt. Honeſtas Politica ſ. Conſuetudinaria dicitur externa, ſeu accidentalis, quæ fundatur in Opinione & Conſuetudine Hominum, adeoque mutari ac abeſſe facile poteſt: e. g. inhoneſtum eſt Matris exequias comitari in rubro pallio, non in ſe, quaſi violetur Præceptum

Dei, ſed per accidens, quoniam opinio hominum colorem hunc ab exequiis proſcripſit.

Communiter tamen Intrinſecè ſe habet, quod eſt Immanens, Extrinſecè, quod eſt Tranſiens.

Sic Cogitatio operatur intrinſecè, Locutio extrinſecè, *vid. ſupr. pag 162.*

Sic Cauſa Materialis & Formalis, quoniam in Effectu manent, vocantur internæ: Efficiens & Finalis, quoniam Operationem Effectui tribuunt quidem, ſed eundem non ingrediuntur, vocantur externæ.

Sic Leges Politicorum cogunt extrinſecè, ne contrarium committatur in vita civili: Leges Dei obligant intrinſecè, ne quid contrarietur in Conſcientia.

XXXIII.

LATE, STRICTE.

Vexatiſſima hæc eſt diſtinctio apud minorum gentium diſputatores: nec ignotus amicis meis, qui omnes objectiones ita reſolvebat, ut verſis vicibus vibraret ſuum *latè & ſtrictè*, poſtmodum *explicitè & implicitè.*

Sed Fundamentum petere licet è Doctrina Analogorum, ubi unum vocabulum alteri competere dicitur primario, alteri ſecundario. Cum igitur occurrit acceptio primaria, ea eſt ſtricta & anguſtioribus limitibus cir-

circumscripta: cum adest acceptio simul secundaria, ea est lata & amplioribus terminis apta.

Sic Virtus primariò, propriè & strictè denotat habitum observandi mediocritatem in humanis actionibus; secundariò, impropriè & latè, qualitatem quamlibet laudabilem, *ut virtutem Oratoris, Disputatoris*; vel efficacem, *ut virtutem Herbarum*, &c.

XXXIV.

LOGICE, PHYSICE.

Intelligi distinctio potest, si repetatur, quid supra *p* 104. dictum fuerit *Notio prima & secunda*. Quando enim res secundum suam naturam consideratur, ea Notio est prima, & primariam sedem habet in Physica: Quando secundum varios animi conceptus, primaria doctrina pertinet ad Logicam.

Aliter diceres, rem considerari *vel quoad modum essendi*, h.e. physicè, *vel quoad modum prædicandi*, h.e. Logicè.

Hinc *pag.* 123. Corruptio vocabatur *Physica*, quando res desinit existere, *Logica*, quando res incipit assumere prædicationem contradictoriam.

Celebrata est distinctio partium essentialium, quando enim quid dividitur in Materiam & for-

mam, divisio vocatur *Physica* : quando in Genus & Differentiam, divisio est *Logica*.

XXXV.

MORALITER, PHYSICE.

Moraliter accipitur, quod ponit respectum ad Leges, consuetudines, hominumque imputationes de quibus agit Philosophia moralis.

Physicè accipitur quod ponit respectum ad conditionem & existentiam naturalem, quem explicat Doctrina Physica.

e.g. Physicè s. naturaliter mortuus est, cujus anima desinit existere in corpore. Moraliter s. civiliter mortuus est, cui imputatur conditio mortui, h.e. cum quo proceditur, ac si esset mortuus, dum non admittitur ad conventus honestos, ad rerum possessiones, ac alia beneficia hominibus viventibus concessa.

Sic Diabolus malus non est physicè quoad naturam & essentiam: habet enim perfectionem Spiritui debitam; sed malus est moraliter, quoniam ejus actiones, comparatæ cum Lege morali tanquam bonitatis norma, eidem sunt contrariæ.

Posses huc referre Distinctionem *num. XXX* nam quæ Moraliter imputantur, ea non insunt *realiter*, sed *intentionaliter*.

e.g. Mare non admittit dominium *realiter ac physicè*, quia non potest occupari, certisque limitibus

bus circumſcribi, ut prædium terreſtre; admittit tamen intentionaliter & moraliter, quoniam aliquis eam poſſeſſionem ſibi tribuere, atque etiam ex hominum conſenſu jus navigandi, piſcandi &c. acquirere poteſt.

Inde Cauſa alia dicitur Phyſica, quæ ſua operatione attingit effectum; alia Moralis, quæ concurrit ſuadendo, jubendo, non impediendo, ita ut eidem effectus imputari poſſit.

XXXVI.

NATURALITER, PRÆTER NATURAM, CONTRA NATURAM.

Dabo exemplum. *Naturaliter* mulier parit filium: *Præter naturam*, h.e. ex caſu & præter intentionem naturæ generantis, parit monſtrum: *contra naturam* Virgo parit.

XXXVII.

NATURALITER, LIBERE.

Diſtinctio locum habet in cauſis, ea enim, quæ ſubjacet imperio voluntatis, vocatur libera; ſive libertas extendatur ad contradictoria, *h.e. poſſe ambulare, & poſſe non ambulare*; ſive ad contraria, *poſſe ambulare, poſſe equitare, poſſe vehiculo uti*. Viciſſim, quæ imperium voluntatis non admittit, & poſitis omnibus agendi requiſitis neceſſario agit, *velut*

velut ventriculus cibum concoquens, vocari ſolet naturalis, quaſi dicas, quæ non voluntatis, ſed naturæ impetum ſequatur.

XXXVIII.

NOMINALITER, PARTICIPIALITER.

Repeti hoc loco poſſunt, quæ diximus de Statu & Ampliatione *pag. 15*. Nam quæ accipiuntur Nominaliter, nullam includunt temporis differentiam: quæ Participialiter, more in participiis verborum recepto, alicujus ſunt temporis.

e. g. Ens participialiter acceptum idem eſt ac exiſtens, quia expreſsè deſignat tempus præſens: Viciſſim Ens nominaliter ſumptum id denotat, quod habet vel habuit vel habere aliquando poteſt Eſſentiam: quippe certum tempus exiſtentiæ non determinatur.

XXXIX.

NOMINALITER, ADVERBIALITER.

Etiam hæc diſtinctio ſapit Grammaticam: & Nominalis quidem acceptio deſignat ipſam rem, Adverbialis rei modum, ſeu reſpectum ad circumſtantias.

Sic aliud eſt facere bonum, aliud facere benè. Ut etiam in proverbio DEUS dicatur gaudere non nominibus, ſed adverbiis. e. g. *Bonum* opus eſt

fre-

frequentare templum. Sed si hoc quis faciat eo tempore, quo expediendæ sunt functiones publicæ, vel in eum finem, ut spectetur vestitus, opus istud *minus bene* suscipitur.

XL.

OBJECTIVE, SUBJECTIVE.

Pertinet hæc distinctio ad declarandam naturam disciplinarum. Nam Objectum Disciplinæ est ea res, circa quam versatur. Subjectum est intellectus, cui tanquam Substantiæ inhæret acquisitus Habitus.

Hinc obscuritas objectiva dicitur, cum res adeo est abstrusa, ut ingenium vel nobilissimum eo nequeat penetrare: Subjectiva, cum ipsius ingenii tanta est tarditas, ut res in se clarissimas indagare non possit.

Sic Scandalum, quod appellatur datum, commodè diceretur objectivum, quia jam in objecto Scandalum occurrit; quod dicitur acceptum, vocaretur Subjectivum, quia homo cognoscens rem in se ab omni scandalo alienam, apud animum suum Scandali conceptum efformat. Quasi dicas Scandalum in ipso Subjecto enatum.

XLI.

PER SE, PER ACCIDENS.

Distinctio hæc illustrari potest è doctrina Prædicabilium: Propria enim insunt *per se*: cætera

tera vero, quæ abesse & adesse possunt sine Subjecti interitu, insunt *per accidens*, vide quæ diximus ad distinctionem num. XX.

e.g. Paterfamilias intendit suam utilitatem & servi sustentationem. Suam utilitatem *per se primario & directè*, Servi sustentationem per accidens, secundario & indirectè.

Sic Metaphysici vocant *unum per se*, quod vel plane est simplex, vel ita compositum, ut una materia & una forma nexu essentiali conjungatur, *Unum* vero per *accidens*, quod è multis essentiis componitur, beneficio externi & accidentalis cujusdam vinculi, *velut ædificium è Lignis & Lapidibus constructum.*

Sic etiam habent *Causam per se*, quæ directè & propriè officium Causæ exercet. *Et causam per accidens*, quæ in operando aliquam habet contingentiam.

Et ea contingentia vel est nudæ Prædicationis, ut cum Architectus per accidens simul est Musicus, adeoque valet prædicatio: Musicus ædificat seu est causa ædificii.

Vel accedit ipsi operationi, cum deest intentio, vel actio attingens effectum. e.g. *Qui aperit valvas fenestræ, eo animo, ut illustrari cupiat Museum, is respectu intentionis vera est causa, cui imputari debet effectus; sed respectu illuminationis nihil operatur, quippe quæ procedit à Sole, ac adeo cum intentione hac saltem conjungitur per accidens.* Vicissim *qui hominem à tergo stantem nesciens percutit, causa vera est per se, respectu effectus,*

effectus sed respectu intentionis, cui ex insperato immittitur hic casus, est causa per accidens.

Diceres per accidens vel in sensu Logico, vel in sensu Physico.

XLII.

POSITIVE, NEGATIVE.

Magna & celebrata hujus distinctionis est utilitas. Et *positivè* quidem sumitur aliquid, cùm denominationis fundamentum est reale & positivum; *Negativè*, cujus fundamentum est absentia s. negatio.

e.g. Positivè bonus est, qui virtutem exercet, qui justus, temperans, modestus est: Negativè bonus, qui nihil mali committit, adeoque bonitatis fundamentum habet absentiam vitiorum.

Sic in Politica Pacificantes & Fœderati conciliant amicitiam. Pacificantium amicitia est negativa, habens hoc fundamentum; *nolumus invicem nobis nocere*; Fœderatorum est positiva, *volumus præstare auxilia.*

XLIII.

PRIMARIO, SECUNDARIO.

Idem quod *directè, indirectè: per se, per accidens: formaliter, concomitanter.* Vide exempla in Analogis *pag. 108. seq.*

XLIV.

XLIV.

PRINCIPALITER, INSTRUMENTALITER.

Applicatur ea diſtinctio Cauſis Efficientibus. Nam Cauſa Principalis eſt, quæ agit virtute propria, Inſtrumentalis, quæ dirigitur à virtute aliena.

Sic Judex Maleficum occidit principaliter, agit enim ex ſua virtute, quam dicimus jus vitæ & necis; Carnifex occidit inſtrumentaliter, cui videlicet à judice hæc licentia conceditur.

Nam poſtquam Ariſtoteles ſervum dixit inſtrumentum Domini, apparet, eſſe etiam inſtrumenta rationalia, ac adeo non exiguum hujus vocis uſum conſpici in moralibus.

XLV.

PRIUS NATURA, TEMPORE.

Quid ſit prius tempore, haud difficulter cognoſcitur, ſi puerum unius anni priorem dicas infante ſeptem dierum. Sed Prius naturâ aliquanto ſubtiliorem requirit notitiam.

Quando enim concretum aliquod reſolvitur in diverſa Abſtracta, quæritur, quod Abſtractum altero ſit Prius? h. e. Si unum Abſtractum poni vel produci deberet poſt alterum, quodnam priori loco eſſet conſtituendum

dum. Ubi militat Regula: *Quicquid alterius esse videtur causa, id naturâ est prius.*

e. g. Sol nunquam est sine radiis, sed quia Sol radiorum est causa, certè radiis, si non tempore, tamen naturâ est prior.

Ita Propria, quoniam fluunt à differentiis, naturâ dicuntur posteriora.

Vide quæ supra diximus de Proprietate s. Ordine Doctrinæ, *pag.* 2.

XLVI.

REALITER, per RATIONEM.

Reale est, quod non dependet ab intellectu hominis, sed datur nemine cogitante. Et sanè non res solùm, sed etiam rerum modi & denominationes dicuntur reales. Imo sunt, qui Negationes appellare sustinent reales, quoniam e. g. nemine cogitante verum est, *Hominem non esse lapidem.*

Per Rationem esse dicitur, quod dependet à cogitatione hominis, eaque desinente, simul desinit. Et hoc est, quod alioqui vocatur Ens rationis.

e. g. qui cogitat aureum montem in mediis sive Alpibus, sive Pyrenæis: nudum cogitat Ens rationis, quod in ejus animo tamdiu existit, quàm durat ista cogitatio.

XLVII.
RATIONIS RATIOCINANTIS, & RATIOCINATÆ.

Pertinet hæc diſtinctio ad Entia rationis. Quandocunque enim Intellectus aliquid in ſe format, iſtud vel nullum habet fundamentum in re, ac inde vocatur Ens rationis ratiocinantis, h.e. quod non eſt, niſi actu & in præſenti ratio ſe exerceat; aut habet fundamentum in re, velut Notiones ſecundæ, ac tum vocatur Ens rationis ratiocinatæ, h.e. poſtquam ratio ratiocinata eſt circa notionem primam, tum demum in intellectu hoc ipſum ens emergit.

XLVIII.
REDUPLICATIVE, SPECIFICATIVE.

Quantum hæc diſtinctio valeat in Propoſitionibus exponibilibus, *vid ſupr pag 55. ſeq.* Et Reduplicativus quidem ſenſus eſt, quando Subjectum repeti poteſt addita particula *quatenus* &c. ac adeo ipſa cauſa exprimitur, cur Prædicamentum inſit Subjecto.

Specificativus Senſus eſt, quando Subjectum repetitur addita particula relativa, *qui*.

e. g. *Poëta ſcribit verſus:* ſenſum habet reduplicativum: quia dicere licet, *Poëta quatenus Poëta ſ. Poëta ut ſic & ſecundum ſuam naturam conſideratus ſcribit verſus.* Sed *Theologus ſcribit verſus,*

verſus, Senſum habet Specificativum, quia ſaltem ſic explicatur: *Is, qui eſt Theologus ſ. is, qui ſpecificam hanc in ſe notam habet, ut vocetur Theologus, ſcribit verſus.*

NB.

I. Collectus igitur eſt Diſtinctionum faſciculus, non omnium quidem, quas qui voluerit ſub unum conſpectum referre, forſitan integro Lexico habiturus eſſet opus; ſed adeo tamen ſufficientem, ut de cæteris fieri queat judicium. e.g. Omiſſa eſt diſtinctio *Simpliciter, ſecundum quid:* Nam ſi quis meminerit, quomodo differant *Abſolutè, Reſpectivè*, exiguo ſanè labore cogitaverit, *ſecundum quid* idem notare, ac *ſecundum reſpectum ad aliquid.*

II. Sunt etiam certæ formulæ apud diſputantes receptæ, quæ communiter ſolent accenſeri diſtinctionibus. e.g. CÆTERIS PARIBUS, quæ limitatio adhibetur in Comparatione Minoris ad Majus. *Bonus Præceptor præferendus eſt Bono Oeconomo*, ſi cætera ſint paria, h.e. *Si æquè ſit pius, æquè modeſtus, ac parem adhibeat diligentiam, quam ſolet Oeconomus.* UT SIC, quæ reſtrictio adhibetur in exprimendo ſenſu reduplicativo. e.g. *Princeps ut ſic, eſt Princeps in ipſa ſua naturâ conſideratus, & in illa forma, per quam Princeps eſt.*

 Hinc

† Hinc diſputantes in ejusmodi formulis ſæpe difficilem alterius membri inventionem experiuntur. Sic quidam reſpondebat: diſtinguo inter *Cauſam ut ſic*, *& Cauſammmm*- quærente adverſârio, quam protuliſſet diſtinctionem? ſubiratus repetebat ſuam *Cauſam ut ſic & Cauſammmm*- Quid Opponens? is tanquam re bene geſta clauſulam addebat diſputationi, *Diſtinguis*, ait, *inter Cauſam ut ſic, & Cauſammmm-. Contentus ſum ſolidisſimâ hac reſponſione.*

Sed formulas ſingulas afferre non libet, quoniam ſicubi à nobis applicantur, ipſa exempli perſpicuitas ſenſum declarabit. Non enim ex eorum numero eſſe volo Auditores meos, qui pulchrum putant ſingula argumenta tribus verbis reſolvêre.

III. Cæterum ut jam *pag. 94. ſeq.* Fallaciarum exempla attulimus, quæ nimirum apud tyrones conducunt exercendis Syllogiſmorum formis; ita nunc à re non eſſet alienum argumenta colligere, quibus applicari queant diſtinctiones modo expoſitæ. Sed obſtant nonnulla, quæ tum removeri poterunt commodius, ubi Ordo nos vocaverit ad Praxin Diſputatoriam.

DOCTRI-

DOCTRINÆ LOGICÆ PARS ALTERA CONTINENS EJUSDEM PRAXIN.

PRÆPARATIO.

I.

QUi Propoſitionum Syllogiſmorum & Terminorum Simplicium naturam perſpexerunt, plerumque in modo ſciendi relictam ſentiunt difficultatem, niſi debita manuductio eosdem ad ſolidiorem Praxin dirigat.

II. Iſta vero Praxis quatuor occaſionibus commendatur. 1. Cum Res cognoſci debet. 2. cum iſta Cognitio aliis debet communicari. 3. cum ejusmodi Communicatio, facta per alium, ſedula interpretatione debet intelligi. 4. cum Adverſariorum ſententia beneficio diſputationis debet examinari.

III. Ad Rei Cognitionem ſpectat Definitio, Diviſio, & Demonſtratio.

IV. Ad Facultatem Communicandi ſeu docendi refertur, quicquid de Ordine & Methodo ſolet proponi.

V. Intellectum alienæ doctrinæ ſublevat Artificium Interpretationis.

VI. Ultimum denique examen aperitur in exercitio diſputandi, ſive iſtud occupetur in ſimplici reſponſione ad argumentum propoſitum, ſive in continuo diſcurſu variis inſtantiis & reſponſionibus ventilando.

VII. Sin-

VII. Singula suis libris & capitibus perspicuam & verè practicam invenient illustrationem. Ac spero sane, faciliorem multo fore structuram Orationis Rhetoricæ, si, quantum ubivis Logica contribuat, fuerit observatum. Ut taceam reliquos usus in ipso progressu explicandos.

PARTIS II. LIBER PRIMUS, De ACQUIRENDA RERUM NOTITIA.

CAPUT I. De Definitione.

I.

DEfinitio est Oratio explicans naturam rei.

† Equidem aliqui definitionem faciunt nominalem, qualis ea est: *Eclipsis Lunæ est ejus defectus s. deliquium:* Sed cum in illa nihil occurrat, nisi interpretatio per Synonymiam vel Paraphrasin, colligi facilè potest, ejusmodi definitiones referri debere ad Librum de Interpretatione.

II. Eſt autem iſta Definitio vel primaria vel ſecundaria.

III. Primaria rem explicat, adductis partibus, quæ intrinſecè eandem conſtituunt.

IV. Secundaria, quam aliàs vocamus Deſcriptionem, rem explicat per externa quædam adjacentia.

V. Intrinſecè res conſtituitur, ſi *Logicè* velimus loqui, per Genus & Differentiam; Si *Phyſicè*, per materiam & formam.

† 1. Sic hominem definire poſſumus *Animal rationale*, ut &, *Compoſitum aliquod è materiâ & formâ*, h. e. corpore & anima.

† 2. Neque id, quod in Logicâ dicitur Genus, reſpondet parti, quam Phyſica vocat materiam: neque Differentia prorſus revocatur ad formam: nam à ſola materia homo non eſt animal, nec rationale planè excludit materiam. Inde Scholaſtici dicunt, partes Phyſicas diſtingui realiter, partes Logicas ſaltem per rationem.

VI. Quamobrem qui velit in definiendo eſſe perfectus, de inveniendis differentiis cogitet, quas aliter eruimus in Subſtantiis, aliter in Accidentibus, aliter in moralibus & artefactis.

VII. Subſtantiarum differentiæ non cognoſcuntur, niſi quod dicere licet, eſſe radices actionum à Subſtantiis proficiſcentium. Inde

de primariam velut definitionem adhuc efficiet proprium quarti modi, quod in vicem differentiæ exprimitur.

IIX. Plerumque tamen differentiæ defectum ſupplet definitio ſecundaria, quam vel deſumimus à Proprio ſecundi modi, vel ab Accidente.

† Proprium enim Qualitas eſt, adeoque extra Subſtantiam ponitur: Accidens vero plane abeſſe poteſt à Subſtantia, claro argumento, non eſſe internum quid.

IX. Huc pertinent Cauſæ externæ, Efficiens & Finalis, quæ deſcriptionem ſæpius adjuvant.

† Percurramus aliquas definitiones, quibus utuntur Phyſici. *Planta eſt corpus animatum vegetans* (Genus cum differentiâ genericâ) *nutriendi generandique facultate præditum.* (differentia petita à proprio ſecundi modi.)

Lapis eſt Corpus perfectè Mixtum (Genus) *durum,* (Proprium ſecundi modi) *ex ſicca terreſtri exhalatione, unctuoſitate quadam aquosâ permixtum,* (differentia à materia) *per temporis diuturnitatem* (Accidens) *vi caloris & frigoris atque virtute minerali conglutinatum.* (Cauſa efficiens.)

Metallum eſt Corpus perfectè mixtum, ex ſulphure & argento vivo mixtis & temperatis (Materia) *in terræ venis natum* (Subjectum) *virtute externa ſiderum & interna ignium ſubterraneo-*

rum (Efficiens) *aptum liquescere* (Proprium secundi modi.)

Exhalatio est Corpus imperfectè mixtum vi caloris (Efficiens) *ex aquâ vel terrâ* (Materia) *elevatum* (Forma accidentalis.)

Terra est Elementum summè siccum, excellenter frigidum & simpliciter grave (Propria sive quarti, sive secundi modi.)

Stella est Corpus Cœli densius (Genus cum differentiâ accidentali,) *lucidum, globosum, mobile* (Accidens) *ad inferiorum salutem* (Finis) *à Deo conditum* (Efficiens.)

X. Accidentium differentiæ vario itidem modo solent erui, prout illa vel sunt Quantitates, vel Qualitates. Nam accidentia respectiva non moramur.

XI. Quantitas differentiam capit à modo extensionis.

† Apparet hoc è definitionibus, quales habet Euclides. *Plana superficies est, quæ ex æquo suas interjacet lineas.* Subintelligitur Genus *Extensio secundum latitudinem*: differentia æquam interjacentiam, h. e. extensionis æqualem modum exprimit.

Planus angulus est linearum in plano se mutuo tangentium, & non in directum jacentium, alterius ad alterum inclinatio. Genus est *linearum inclinatio*, seu, ut observetur arbor Prædicamentalis, *Superficies à lineis ad se inclinantibus efformata*:

mata: modus inclinationis, naturam linearum describens, absolvit differentiam.

Circulus est figura plana, sub una lineâ comprehensa, quæ peripheria appellatur, ad quam ab uno puncto eorum, quæ intra figuram sunt posita, cadentes omnes rectæ lineæ inter se sunt æquales. Genus est *figura plana* seu Superficies, *quod unâ lineâ dicitur comprehendi*, est differentia extensionis modum denotans, quod *omnes lineæ à centro ad peripheriam sunt æquales*, clarior extensionis ordo designatur.

NB. Quantitatis paucæ dantur species, quæ non simul ruere videantur in quartam speciem Qualitatis. Nam Circulus etiam Generis loco habet figuram. Sed facilius definiveris Quantitatis Individuum. e. g. Linea, quæ ducitur seu concipitur à templo ad portam, diceretur *Extensio longitudinis* (Genus) *per tot vel tot ulnas sive orgyas* (extensionis modus) *ducta à templo ad portam* (terminus à quo & ad quem.)

XII. Qualitates differentiam accipiunt à quatuor Caussis, plerumque ab Objectis, Subjectis & Effectis.

† 1. Habitus differentiam capiunt ab Objecto. Hinc Logica definitur *ars, quæ versatur circa modum sciendi.* Physica *Scientia Corporis naturalis, quatenus est naturale.*

† 2. Potentiæ naturales Objecti, Subjecti & Effecti s. Finis mentionem postulant. e. g. *Potentia loquendi est facultas in lingua & gutture residens* (Sub-

(Subjectum) *cujus auxilio sonum articulatum edimus* (Effectum) *ad exprimendos animi conceptus* (Finis & Objectum.)

† 3. Patibiles Qualitates vel ab effectu definiuntur: *Albedo est Color disgregans visum*, vel à Subjecto & Objecto: *Ira est motus appetitus sensitivi* (Subjectum) *qui fertur in cupiditatem vindictæ* (Objectum.)

XIII. Rerum moralium differentiæ, quales sint, jam patet è doctrina Prædicamentorum moralium *pag. 171.* & sane Personas definire solemus per Jura velut per differentias. Ipsa Jura ut & Res juribus subjectæ definiuntur per quatuor Causas.

† e. g. Privilegium JCtis est *Jus* (Genus) *à superiore Magistratu* (Efficiens) *circa res licitas* (Materia s. Objectum) *favoris & utilitatis gratiâ* (Finis) *contra Jus commune concessum.* (Forma.)

Dos iisdem est *Patrimonium vel Substantia rerum* (Genus: moraliter enim res possessa pertinet ad Substantiam) *nomine Uxoris* (Efficiens) *in maritum* (Subjectum) *translatarum* (Forma) *ad sustinenda matrimonii onera.* (Finis.)

XIV. Interim inepta est Superstitio, si quis in omni Definitione necessariam putet quatuor Causarum mentionem: sæpe enim aliqua Causa sic est clara, ut repetitione non indigeat.

†1. Sic

† 1. Sic in Dotis definitione non opus erat Causam Efficientem remotam, h. e. Leges, nominare. Nam quicquid in Jure occurrit, causam efficientem agnoscit Leges.

† 2. Sic Pignus definitur *Res* (Genus) *quæ Creditori* (Objectum) *obligatur* (Forma) *in rei creditæ securitatem.* (Finis.) Neque tamen adest mentio Efficientis proximæ, h. e. *Debitoris.* Ultro enim vi Relatorum, se mutuo inferentium, subintelligitur.

† 3. Sic Inventarium definitur *Repertorium* (quasi dicas scripturam vel indicem) *omnium bonorum defuncti, mortis tempore existentium* (Materia s. Objectum) *in præsentia legitimarum personarum ritè confectum.* (Forma.) Neque tamen exprimitur Causa Efficiens proxima, h. e. *Hæres*, qui Inventarium fieri curat: neque etiam exprimitur Finis, *Securitas Hæredis & Creditorum.*

XV. Artefacta differentiæ loco externam dispositionem & finem agnoscunt.

e. g. *Mensa est suppellex domestica in latam planitiem sic disposita, ut reponi eo possint negotiis extemporaneis necessaria.*

XVI. Nunc videbimus, è quibus regulis judicari debeat vel perfectio, vel defectus definitionum.

XVII. Primo necesse est, ut *Definitio sit notior quam Definitum.* Nam Definitio afferre debet Scientiam definiti.

Adver-

† 1. Adversus hanc regulam peccatur primo, si definitum ingrediatur definitionem, adeoque idem declaretur per idem.

e. g. Si Qualitatem definias, *unde Substantia dicitur Qualis:* an qui nescit Qualitatem, ultro intellexerit, quid vocetur Quale.

† 2. Peccatur deinde, si definitio verbis obscurioribus concipiatur. e.g. Aristoteles Formam definivit Entelechiam. Sed quis sensum vocabuli percipit? nisi forte Hermolaus Barbarus Philosophus Italus seculo 15. Diabolum interrogans de sensu vocabuli, primus ab eo intellexit, Latinè appellari posse Perfecti habeam.

XIIX. Deinde *Definitio sit reciproca cum Definito.* h. e. Salva veritate possit fieri Conversio, ac è Subjecto Prædicatum. Nisi enim hoc succedit, definitio aliis etiam rebus competit.

e. g. Si hominem definias *animal bipes, implume,* non valet Conversio, cum Gallus etiam Gallinaceus queat deplumari.

Cæterum intelligenda integra definitio. Sæpe enim è variis accidentibus inter se connexis construitur differentia, quæ in sensu diviso non admittunt Reciprocationem, bene tamen in composito. e.g. Si Absinthium dicas *amarum,* convenit cum Ruta, si *pallidè virens*, convenit cum Lappa, si *minutis foliis variè sectum*, convenit cum Artemisia, si *crescens ad loca deserta,* convenit cum Urtica, si *conducens ventriculo,*

con-

convenit cum Calamo aromatico. Sed ſi conjungas ſingula: *Eſt Herba pallide viridis, minutis foliis variè ſecta, creſcens communiter ad loca deſerta, amara, conducens ventriculo:* forte non adeo repugnabit Converſio.

Aliter effertur Canon: *Definitio nec ſit latior, nec anguſtior Definito.*

XIX. Porro *Definitio conſtruatur verbis propriis & perſpicuis.* Præſertim abſint Metaphoræ â communi uſu recedentes.

† 1. e.g. Ineptè definiretur hominis ſani temperamentum, *Muſica, cujus omnes toni conſentiunt*, ſeu *Organum, cujus nulla fiſtula diſſonat, nulla clavis fluctuat, nullus canalis hiat.* Sanè ornamentum apparet Rhetoricum, non doctrina Philoſophica, faciens ad ſcientiam.

† 2. Excipere tamen ſolemus eas Metaphoras, quæ per uſum confirmatæ ſunt, velut Cauſa dicitur, *quæ influit in Effectum.*

XX. Quæritur, *an Definitiones negativæ debeant tolerari?* Nam certè rei naturam non explicat, qui ſaltem monſtrat, quid res non ſit. Sed diſtinguitur primo inter definitionem *didacticam*, quæ occupatur in cognitione ſolius theſeos, adeoque debet eſſe affirmativa: & *Polemicam*, quæ ſimul excludere debet alterius Sententiam.

Ita

Ita in definitione Fidei ſalvificæ Theologi noſtri ſimul dicunt, *non eſſe nudam notitiam.*

Deinde excuſationem invenit Intellectus noſtri imbecillitas, ſicubi per viam negationis ad alicujus rei, à ſenſibus remotæ, notitiam qualitercunque progrediamur.

Sic Spiritum vocamus *Subſtantiam ſimplicem*, h.e. quæ negat Compoſitionem *immaterialem*, quæ reſpuit materiam.

XXI. Quæritur porro, an in definitione locum inveniat particula disjunctiva? e. g. an valeat hæc: *Peccatum eſt vel omisſio vel commisſio, quâ ſive Amor Dei ſive proximi violatur?* Sed reſpondetur, aliam eſſe definitionem *Specierum Infimarum*, quæ potius requirunt particulas copulativas, quàm disjunctivas; aliam *Specierum Subalternarum*, quæ ſic optimè deſcribuntur, ſi tacita eorundem ſubdiviſio ſimul innuatur.

† Sic Judicium dicitur *Actus Intellectus unum alteri tribuentis, vel ab altero removentis.*

Libertas eſt vis agendi vel non agendi quicquid libet.

Locatio, Conductio eſt contractus de uſu rei, aut operâ perſonæ pro certa mercede pecuniariâ præſtanda.

XXII. Ultimo notandum adverſus aliquorum ſuperſtitionem, qui definitiones non niſi terminis abſtractis, vel ad minimum expres-

presſâ generis mentione, volunt abſolvi, *Satis claram eſſe definitionem, quæ naturam definiti ſufficienter explicat.*

† Sic ubi communiter dicimus: *Propoſitio affirmativa eſt, cum Prædicatum dicitur ineſſe Subjecto: Negativa, cum Prædicatum removetur à Subjecto:* aliqui ſic reformidant particulam *Cum*, ut ab Opilione credas conſpectum Lupum: quippe dici volunt: *Propoſitio Affirmativa eſt Oratio, quæ Prædicatum dicit ineſſe Subjecto*, vel *eſt Subjecti & Prædicati Copulatio*. Sed levis fuerit jactura eruditionis, ſi retineatur modus definiendi vulgaris.

CAPUT II.

De Diviſione.

I.

DIviſio eſt Oratio, qua totum in ſuas partes diſtribuitur, ſeu, qua exprimitur, quotuplex ſit res.

II. Quamobrem qui voluerit varietatem Diviſionis intelligere, quærat Lexicon Philoſophicum, in quo explicetur, quot modis accipi ſoleat Totum. Alia enim diviſio *Totius Eſſentialis*, alia *Totius Integralis*, alia *Totius Univerſalis*.

III. Diviſio Totius Eſſentialis eſt, cum unam partem facit Materia, alteram Forma.

† Ita dividimus omnes definitiones in Genus & Differentiam.

IV. Divisio Totius Integralis est, cum dividuntur Partes Corporis, sive Homogeneæ & similares. *Cutis in suas particulas, Sanguis in suas guttas*; sive Heterogeneæ & dissimilares; *Homo in caput, pectus, abdomen. &c.*

† Referri huc videtur Divisio Totius Potestativi, cum unum aliquod distribuitur in certas potentias. e. g. *Anima rationalis dividitur in Facultatem intelligendi, volendi, reminiscendi* &c. *Majestas in Politicis dividitur in Potestatem belli, pacis, fœderum, legum, judiciorum, tributorum &c.* Integrales enim partes communiter sunt quantitativæ: sed Totum hoc potestativum partes suas refert ad Qualitatem.

V. Divisio Totius Universalis est, cum Conceptus superior dividitur in sua inferiora. *Brutum vel est volatile, vel quadrupes, vel natatile, vel reptile.*

VI. Ad Divisionem Totius Universalis referri solent Divisiones Concretorum, h. e. Rerum ab Accidentibus distinctarum.

VII. Fieri hoc potest tripliciter.

1. Cum Substantiæ accidentaliter sunt diversæ.

Homo est vel nobilis vel ignobilis. Arbor vel fertilis vel sterilis. Vinum vel est clarum vel turbidum.

2. Cum

2. Cum Accidentia dividuntur reſpectu Subjectorum.

Album aut eſt nix, aut ſaccharum, aut farina, aut lilium, aut charta, &c.

3. Cum Accidentia aliis Accidentibus dividuntur.

Album vel eſt dulce (in ſaccharo) *vel acidum*, (in lacte ſeroſo) *vel inſipidum* (in charta.)

VIII. Sic etiam Totius Univerſalis diviſio eſt, cum partes ſeparantur per diverſos reſpectus. Quot enim modis ſuperiori capite diximus conſtitui poſſe differentias; tot etiam fontes ſunt diviſionum à differentiis petitarum.

† Inde habemus diviſiones à Cauſis, ab Effectis &c. qua in re accuratus eſt Mollenbecius JCtus Rintelenſis, qui diviſiones ſuas Juridicas ad ea ſubinde fundamenta revocat. e. g. Pactum *ratione Objecti & Finis* eſt publicum & privatum; *ratione Formæ* nudum & veſtitum; *à diverſitate Cauſæ Efficientis* expreſſum & tacitum; *ratione Effectus* perſonale & reale &c.

IX. Optimum hic eſſe noſſe Regulas, quibus dirigi ſolet bona Diviſio.

X. Primo requiritur, *Ut ſingula diviſionis membra conjunctim ſumpta ſint adæquata Toti diviſo.*

† H. e. nulla pars debet omitti, nulla debet esse superflua: siquidem divisio aliquid contribuere debet ad Totius accuratam notitiam.

Sic absurda fuerit Regalium divisio in Jura belli & judiciorum: si enim adæquatam divisionem examinare velis adhibitâ Conversione, *Qc. nec est Jus belli nec Jus judiciorum, id non est Regale*, apparet è Regalium numero excludi *Jura Tributorum, Magistratuum, Monetarum &c.*

Vel si placet exemplum facilius, ineptè divideres Hominem *in Eruditum, Aulicum & Militem.* Quia varios adhuc novimus Status, unde Personarum emergit divisio.

XI. Deinde *Membra dividentia se mutuo excludant* seu *à se invicem dissentiant.*

† 1. Sic ridiculè dividerentur Cives *in Mercatores, Opifices, Agricolas & Fabros:* nam Fabri ab opificibus non dissentiunt.

† 2. Equidem *non opus est*, ut excludant se invicem tanquam *Repugnantia*, sufficit tanquam *Disparata:* imo non opus est, adesse dissensum realem, si adsit tantum aliqua diversitas rationis & conceptuum. *Sic Genus diversum est à differentia non re, quo respectu habet identitatem, sed ratione.*

† 3. Sæpe aliqua se mutuo includunt materialiter, quæ tamen dissident formaliter. e. g. Si dividas Funus in id, *quod deducitur à Schola integra*, & id, *quod deducitur à Scholâ dimidia*: Sane materialiter sub integrâ etiam continetur dimidia;

dimidia; ſed tamen alia utrobique eſt ſolennitas, alia opinio, quæ ſufficit ad mutuam differentiam. Sic Comitia *Univerſalia* ab omnibus Statibus, *Particularia* à quibusdam Statibus acta, formaliter differunt.

† 4. Et alia diſcrepant ut *Excedens* & *Exceſſum*. Quod plura habet, *excedit*, quod pauciora, *exceditur*.

XII. Tertio, ***in diviſione abſtinendum à partibus nimium multis.***

† Alias enim loco Scientiæ introduceretur Confuſio. Quamobrem ſi quis ſentiat, ſe velut obrui rerum dividendarum multitudine, cogitet potius de Subdiviſionibus, h. e. de Membrorum diviſorum novâ diviſione, e. g. Si quis Perſonas in Rep. eſſe videat *Cancellarios*, *Conſiliarios*, *Eccleſiaſtas*, *Duces belli*, *Præceptores*, *Conſules*, *Senatores*, *Mercatores*, *Sartores*, *Sutores*, *Ruſticos &c.* ineptam diſtinctionem faceret ſingulorum enumeratio. Sed medelam afferrent diſtinctiones ſibi invicem ſubalternatæ h. m.

Perſonæ in Rep. viventes *aut ſerviunt Principi*, aut *ſunt Privati*. Qui ſerviunt Principi, *vel ejus Perſonam obſervant*, ut Aulici, *vel Statum*, ut Officiales. Aulici *vel aluntur ad ſplendorem*, ut Nobiles, Satellites; *vel ad uſum*, ut Cubicularii Coqui, Cellarii; *vel ad voluptatem*, ut Venatores, Muſici. Officiales vel occupantur *in negotiis Eccleſiaſticis*, quo referuntur Scholaſtici,

vel Politicis, quo pertinent Magiſtratus minores, *vel Militaribus*. Privati vel vivunt è *Commercio*, vel è *certis naturæ beneficiis* velut Agricultura, Piſcatura &c. *vel ex operibus manuariis &c.*

XIII. Neque tamen ad eam Superſtitionem revocari debet Diviſio, quaſi non niſi duobus Membris queat abſolvi.

† 1. Qui Dichotomiam urgent, ſimiles mihi videntur Novellarum Scriptoribus, qui velut cum Deo tranſegerunt, ne plura vel pauciora hebdomadatim patiatur contingere, quàm ſcribi poſſit quatuor vel quinque foliis: Ita enim omnium rerum naturam exigunt talem, quæ apta ſit ſecari in duo membra, ac interdum ad ineptas prolabuntur Subdiviſiones. e.g. Si videant, in Academia eſſe *Auditorium Theologicum, Juridicum, Medicum & Philoſophicnm*: ne quaternis membris delicatum offendant Auditorem, ſic dicunt: *Auditoria aut deſignata ſunt Facultatibus Superioribus, aut Philoſophiæ*: Quæ Facultates ſuperiores tractare vident, *aut excolunt Theologiam, aut vitam Civilem*. Quæ vitam Civilem, *aut verſantur circa felicitatem Politicam*, ut Juris Conſulti, *aut circa felicitatem Corporis*, ut Medici.

† 2. Sanè ſi Diviſiones inſerviunt rebus cognoſcendis: Res non debent applicari Inſtrumento, ſed Inſtrumentum Rebus. Nam quis doceret brevius & evidentius, an qui diceret, JCtos ha-

habere *Leges Justinianeas*, *Imperii publicas*, *Provinciales & Statutarias?* an qui magno apparatu declamaret: *JCtorum Leges aut sunt antiquæ aut novæ. Antiquas accepimus à Justiniano, Novas aut vidimus latas extra Patriam, in Comitiis publicis, aut in Patria, ita quidem ut vel obligent universam Provinciam, dicanturque Provinciales, vel saltem respiciant certam Civitatem, dicanturque Statutariæ.*

XIV. Aliqui cautionem hanc adjiciunt, *ne Membra dividentia evertant naturam Divisi.*

†1. Sic Aurigæ credunt, Blasphemias esse vel *licitas vel illicitas*, ac licitas habent pro Interjectionibus excitandorum equorum causâ retinendis: sed eo ipso quo quid esse licitum, non esset Blasphemia, quæ quanta quanta est, illicita est.

†2. Sic Mendacium aliqui vocant *illicitum*, *h. e. malitiosum*, & *licitum*, *h. e. officiosum*. Sed qui deprehendunt Mendacium in sua naturâ malum non posse fieri licitum, libentius mutato vocabulo Solertiam vocant, si quis ex officio loquatur contra animum.

†3. Sanè quoties hoc contingit, intercedit Abusio vocabuli, accepti in sensu maximè improprio & alieno. Jam ubi quærimus modum sciendi, abusio hæc obscuritatis & ignorantiæ Magistra parum tolerari debet.

XV. Quæritur, an utrumq; Divisionis Membrum exprimi debeat termino positivo? R.

 Optan-

Optandum equidem, si perfecta intendatur Scientia; cum positiva firmius doceant, quam negativa. Sed rerum ea sæpe est conditio, ut libenter simus contenti altero termino negativo.

e.g. Corpus est *vel animatum vel inanimatum*, Animatum *vel sensibile vel insensibile*, Sensibile *vel rationale vel irrationale*. Scimus autem sub terminis hisce negativis latere positivas differentias, quarum tamen vocabula non sunt in promptu.

CAP. III.

De Demonstratione.

I.

DEmonstratio est, cum certa, evidens & necessaria causa affertur, cur Prædicatum, seu, ut hic vocatur, Affectio insit Subjecto.

II. Aliter diceres, cum Syllogismi Conclusio certum, evidentem & necessarium habet medium terminum.

e.g. *Quodcunque vulnus transit cor, est lethale.*
Vulnus à Joabo impactum, Absoloni transiit cor. E
Vulnus à Joabo impactum Absoloni fuit lethale.

III. Et hic vero medius terminus vel procedit *directè* vel *indirectè*. Directè, s. ostensivè

vè,cum oſtendit cauſam, cur Prædicatum dicatur de Subjecto.

Qc promovet ſalutem publicam, is eſt honorandus.
Princeps promovet ſalutem publicam. E.
Princeps eſt honorandus.

Indirectè ſeu per deductionem ad abſurdum, cum oſtenditur manifeſta abſurditas, quæ ſequeretur è negatione Propoſitionis demonſtrandæ.

Ex quo ſequitur, ordinationem Dei contemnendam, id minus eſt approbandum.
Atqui è doctrina, quæ negat, honorandos eſſe Principes, id ſequitur.
Ea doctrina minus eſt approbanda, & per conſequens, *Princeps eſt honorandus.*

IV. Directa Probatio iterum procedit vel à Priori, vel à Poſteriori.

V. Probatio à Priori, quæ inter Demonſtrationes eſt nobiliſſima, dicit Cauſam, cujus Effectus tanquam Prædicatum ineſt Subjecto.

e.g. *Qc. habet Deos alienos, diſplicet Deo.*
Adulator Aulicus fiduciam collocans in Patronis habet Deos alienos. E.
Talis Adulator diſplicet Deo.
Nam diſplicentia Dei oritur ab illo peccato, ut Effectus à Cauſâ.

VI. Probatio à Posteriori loco Medii termini ponit Effectum, cujus Causa ut Prædicatum inest Subjecto.

e.g. *Qc. damnatur, displicet Deo.*
Apostata damnatur. E.
Apostata displicet Deo.
nam ipsa damnatio effectus est amissæ apud Deum gratiæ.

VII. Cæterum ipsa Medii termini vis latet in Majori Propositione, quæ communi vocabulo dicitur Principium: quasi dicas initium certitudinis, quam sibi postmodum arrogat Conclusio.

IIX. Ea vero Principia vel sunt absolutè prima, ut à priori nequeant demonstrari; vel ab his primis orta.

† Sic in Philosophia Practica Primum Principium est: *Qc Optimum est, id maximè debet amari.*
Postquam innotuit è variis effectis, *Deum esse optimum,* sequitur Principium: *Deus est amandus.*
Quia porro patet, Proximum meum æquè à Deo affici beneficiis; Ratio dictitat: *Qc. amatur à Personâ amandâ, is ipse est amandus:* Unde venit Principium: *Proximus est amandus.*
Inde fluit novum Principium, quod apud multos Juris naturæ Scriptores dicitur primum: *Cole Societatem,* s. *Qc. facit ad honestam Deoq; placen-*

centem Societatem, id est honestum. & *Qc, adversatur Societati, id est inhonestum.*

Jam pronum patet iter ad reliqua Principia: *Cole Pacem: Serva Promissum, Suum cuique tribue.* Nam sine istis Societas parum futura esset constans.

IX. Sed distinguantur Principia interna, quæ rem ipsam tangunt, ab externis, quæ saltem credendi aliquam Auctoritatem tribuunt.

† 1. Sic primum Theologi Principium est: *Qc. Sacra Scriptura dicit, verum est*, sed externum, & cum ipsa demum Scripturâ ortum.

Internum Principium si spectare libeat, videamus, quomodo Christus adversus Sadducæos probaverit Resurrectionem mortuorum. Habebat enim infallibile Principium. *Deus vivit.* Exinde fluebat. *Qc. Dei est, illud etiam vivit.* Jam subsumebat è Scriptura, quam ne Sadducæi quidem negarent, *Deum esse Abrahami Deum, etiam Abrahamo extincto*, Sic emergebat Conclusio: *Abrahamum quoque post mortem vivere.*

† 2. Sic JCti Principium externum habent: *Qc cum Legibus convenit, justum est.* Quia tamen illi ipsi *rationem Legis* etiam requirunt, apparet, eosdem spectare simul ad Principia interna.

e.g. Si quæras, *cur minorennibus dentur Tutores?* rectè quidem respondebitur: *quoniam sic voluit* Le-

Legislator. Sed accuratior futura est hæc responsio: *quoniam supplendus est locus Parentis, cui incumbebat educatio*: quippe interest Reip. bonos beneque educatos habere cives.

X. Ut propius accedamus ad Demonstrationis Praxin, notari merentur Regulæ.

XI. Primo enim *in Principiis non datur Progressus in infinitum*, h.e. acquiescendum aliquando in Principio omnibus noto, quod aliam probationem non postulat.

† 1. Hinc etiam, ut pronunciant Philosophi, *adversus negantem Principia non est disputandum*: e.g. Quicquid doceas de bonitate virtutis, persuadendi vim non es habiturus, si neget alter, *Voluntatem hominis ferri in bonum*, seu, *Optimum esse eligendum*. Neque probari potest primum hoc Principium, nisi provoces ad singulorum Voluntatem.

† 2. Principiis aliquo respectu adnumerantur *Hypotheses*, quæ ceteris demonstrationibus fundamenti loco substernuntur. e.g. *qui demonstrationes Astronomicas suscipit, etsi de motu sive Solis sive Terræ evidentissimam non habet certitudinem, novit tamen, aliquid pro certo esse præsupponendum: adeoque in progressu demonstrationis suam Hypothesin non patitur vocari in dubium.*

XII. In Applicatione Principiorum *demonstrari nihil debet per causam remotam, sed, quantum fieri licet, per proximam.*

† 1. e.g.

† e.g. Si quis *Virtutem* dicat *aliis hominibus utilem*, frigidè sic demonstraret: *Qc. habet Summum Bonum, id hominibus aliis est utile:* nam certa Prædicati & Subjecti connexio nondum pateret. At clatior esset argumentatio, capta à Consequente Summi Boni: *Cujus rei necessarium consequens s. Adjunctum est Amicitia, id hominibus est utile.*

† 2. Sanè ridemus Hortulanum, qui jussus exponere, cur Plantæ in Plenilunio translatæ duplicatam induerent magnitudinem? cur surculi Cerasorum felicius germinarent in stipitibus Cerasorum dulcium quam acidorum: & quæ dubia moveri poterant alia: simplici responsione contentus, *Naturam ita ferre* dicebat. Cum non de causa hac generali, sed speciali potius institueretur quæstio. Sed ô quantam hujus Hortulani imitationem deprehendimus in vitâ communi!

XIII. Porro *non debet fieri transitus ad aliud Genus.* h.e. *Principium non debet applicari diverso & alieno Subjecto.*

† 1. Adversus hunc Canonem peccavit Pythagoras, qui statuit decem Prædicamenta, quoniam in Cœlo crederet esse decem Circulos, adeoque formaret hoc argumentum.

Qc. numerus in divisione Cœli est perfectissimus, is etiam erit perfectissimus in divisione rerum sublunarium.

Atqui numerus denarius &c. E.

† 2. Sic

†2. Sic qui *à necessitate Judicis visibilis in Politia, argumentantur ad Caput visibile in Ecclesia,* quid agunt aliud, quam quod Principium in se bonum & verum alieno Subjecto accommodant.

XIV. Optimum Demonstrationis instrumentum est Definitio.

†1. Nam Definitio differentiam complectens simul innuit Adjuncta, quæ velut proprietates fluunt à differentia.

e.g. Si demonstrare debeas de Principe *Jus legitimandi Spurios.* A differentia sic argumentari licet: *Qc. habet summam Reip. potestatem, is velut proprium consequens habebit potestatem Legislatoriam. Porro Qc. habet potestatem Legislatoriam in genere, habebit etiam quoad Spurios legitimandos in specie.*

†2. Inde quæ disciplinæ vel ab Objecto, vel è Fine præcipuam desumunt definitionem, ex iisdem fontibus nobilissimas depromunt demonstrationes

XV. Reliquas demonstrationum difficultates volens prætereo. Video enim Commentatores maluisse scrutari, quid sibi voluerit Aristoteles, quam quid Eruditio inter homines practicè adhibenda requirat. Deinde id curiosi seculi fastidium sæpe excitavit, quod in Demonstratione nobilissima allegarentur exempla & pauca & merè speculativa;

lativa; ex adverſo autem excluderentur Moralia, quæ nobiliſſimam vitæ ſtudiorumque partem ſolent abſolvere.

XVI. Sanè Ariſtoteles exemplis ut plurimum utitur Mathematicis, à qua diſciplina cum abeſſent priores Scholaſtici, mirum non eſt, ab iis exemplis fuiſſe diſceſſum. Interim Ariſtoteles eo ipſo noluit in diſciplinas Mathematicas transfundere demonſtrationis Monopolium: quin potius officium boni Præceptoris obſervaturus, nihil arripiebat, niſi quod ſenſibus eſſet expoſitum, vel Juventuti jam traditum: quippe Mathematicam Græcorum pueri tum ſibi vindicabant, quo tempore noſtrates Elementis Grammaticis tantum non immoriuntur.

XVII. Demonſtrationi opponitur Probabilitas, ſ. Probatio è Principiis Topicis, quæ non habent omnimodam certitudinem.

XVIII. Singularum Probationum Fontes & evidentium & Probabilium collectos habemus in Locis, ut vocant, Topicis, quos nunc aggredimur.

CA-

CAPUT IV.
De Locis Topicis.

I.

LOci Topici ſunt Sedes argumentorum maximè probabilium, quibus affertur ratio, cur Prædicatum aliquod inſit, vel ineſſe credatur Subjecto.

II. Enumerationem Locorum præſtare poteſt hæc Tabula.

LOCI TOPICI vel curant Rei Nomen, vel REM IPSAM, cujus reſpectu Loci ſunt

- *INTERNI,*
 - *Definitionis,*
 - *Deſcriptionis.*
- *CONJUNCTI,*
 - *Generis & Speciei,*
 - *Totius & Partium,*
 - *Cauſarum*
 - *Efficientis, Materialis, Formalis, Finalis,*
 - *Effectorum,*
 - *Circumſtantiarum,*
 - *Adjunctorum.*
- *EXTERNI ſ. DISJUNCTI,*
 - *Comparatorum,*
 - *Oppoſitorum,*
 - *Exemplorum,*
 - *Teſtimoniorum.*

III. Cæterum tria ſunt, quæ circa hos Locos merentur notari. 1. Explicatio ipſorum terminorum. e. g. *quid ſignificet Notatio, quid Totum, Pars, Cauſa &c.* additis ſubinde exemplis. 2. Canones ſ. Principia ſingulis Locis propria, additis limitationibus, ne probatio, ſcientiæ, vel opinionis loco, ſuppeditet errorem. 3. Applicatio ſeu Artificium diſponendi.

IV. Explicationem & Canones nunc ſpectabimus, ubi ſumus ſolliciti de acquirendâ Rerum notitia. Diſpoſitionem reſervabimus Libro ſequenti, ſive ea ſit purè Logica, ſive ſimul Rhetorica.

V. Nam certe Loci Topici eam ob cauſam dicuntur *Communes*, quoniam inſignem uſum Rhetorica cum Logica habet communem: Quippe illa non contenta probari aliquid, ſimul ad Amplificationum, Alluſionum & Argutiarum reliquos fontes reſpicit, adeoque latiorem Topicæ fructum experitur. Sed in præſens nobis cum ſimplici Veritate, rerumque certitudine maximum eſt negotium.

VI. Nunc ſinguli Loci ſuum habeant Capitulum.

CAPUT V.
De Loco Notationis.

I.

LOcus Notationis verſatur circa Interpretationem & Alluſionem Nominis, adeoq; ex ipſa verborum vi promit argumenta.

II. Notatio autem duplicem habet reſpectum: vel enim refertur ad Nomen, quod ſignificat, vel ad rem ſignificatam.

† Notatio relata ad nomen vocatur Etymologia. *Rex eſt* Nomen, *vocabulum Regere* Notatio. Relata ad Rem ſeu Notatum non differt à Nomine. *Rex eſt* Nomen, *Jus regendi* Res *hoc nomine deſignata*.

III. Dubia & incerta ſunt argumenta, quæ inde capiuntur, niſi formandis limitationibus præmittantur diſtinctiones.

IV. Nomen vel eſt proprium, *Carolus*, *Baldus &c.* vel Appellativum, *Rex*, *JCtus &c.*

V. Nomen Proprium venit vel ex impoſitione certa, vel per accidens. Quod per accidens imponitur, nihil probat.

Vocatur Johannes. E. eſt gratioſus.
Dicitur Alexander. E. eſt Magnus.

Quod

Quod fundamenti loco agnoſcit Impoſitionem ſive Dei, ſive prudentiorum hominum, in tantum probat, in quantum valet Locus ab Auctoritate ſive Teſtimonio.

Deus eum voluit vocari Jeſum, E. *ſalvabit populum.*

Deus juſſit nominari Johannem, E. *erit gratioſus.*

Saxones ipſi dederunt Cognomen Bellicoſi, Placidi, Sapientis. E. *probabile eſt, eum Bello, Pacis ſtudio, Sapientia fuiſſe clarum.*

Imo ſi è Nomine proprio ſemper judicari nequit de Natura Nominati; licet tamen argumentari ad intentionem imponentis.

Pater nominavit Fridericum. E. *eundem voluit eſſe pacificum, vel* (ſi Cauſa Politica nominis impoſitionem ſuadeat) *voluit eundem Avo Friderico & nunc eſſe commendatũ, & aliquando ſimilem.*

VI. Nomen appellativum vel propriè accipitur, vel impropriè ſ. æquivocè. Inde Notatio nihil probat, niſi conſtet de ſenſu proprio.

e. g. Artifices ſtylo noſtro à ſuis diſcipulis vocantur Principes. Sed argumentari non licet: *eſt Princeps.* E. *habet Principatum*, E. *ſuperior eſt Comitibus.*

VII. Nomen propriè acceptum vel ſenſum habet Grammaticum, vel Politicum.

Sensus Grammaticus spectat veritatem, seu Nominis & derivationis convenientiam. *Rex est qui regit, Episcopus qui superintendit.*

Sensus Politicus s. Consuetudinarius spectat vel Jus, *Rex est. E. habet jus regendi. Episcopus est. E. habet Jus superintendendi.* vel usum, *vocatur doctissimus. E. est ex eorum numero, qui in societate Civili hunc gerunt titulum.*

VIII. In sensu Grammatico veram Notationem confundere non licet cum Allusione.

Sic *Mulier* per lusum dicitur à *mollitie:* nec tamen valet argumentum: Est mulier, E. sectatur mollitiem. Est mollis, E. est mulier.

IX. Ast Notatio & Allusio vel est *adæquata*, ut non nisi hanc Rem significet, vel *inadæquata*, ut vel aliis rebus, vel non omnibus ad hunc Conceptum pertinentibus conveniat.

Hebræi Mulierem dicunt ab Oblivione. Sed nec omnis persona obliviosa est mulier, nec omnis mulier memoriæ defectu laborat.

Sic JCti *Testamentum* vocant velut *testationem mentis*. Sed donatio etiam, promissio, Pactum &c. sunt testationes mentis, neque tamen sunt testamenta.

X. Jam intelligitur veritas Canonum,

1. Cui convenit Notatio, ei convenit Nomen.

Limita 1. ad ſenſum Grammaticum, non Politicum.

Regit populum. E. à Grammatico poteſt vocari Rex, ſi vel maximè titulus non agnoſcatur à Politicis.

Hinc fluunt titulorum alluſiones, perſonis à vita communi remotis frequentatiſſimæ. Qui eminet inter Philologos, dicitur *Eminentiſſimus*, qui excellit in artificio conſtruendi, *Excellentiſſimus*, qui clari nominis inter pueros, *Illuſtriſſimus*; qui Reverentiâ diſcipulorum formidabilis, *Reverendiſſimus*, qui neminem in ſolvendis Sophiſmatis habet ſuperiorem, *Potentiſſimus*, Nam ſanè abſurditatem non videt Grammatica, quam ex uſu & conſuetudine judicare ſolet Politica.

Limita 2. Cui convenit Notatio adæquata.

Saltat. E. eſt ſaltator. Scribit, E. vocari poteſt Scriba.

2. Cui non convenit Notatio, ei non convenit Nomen.

e.g. *Senatus hoc non conſtituit, E. non eſt Senatus Conſultum. Non eſt Teſtatio mentis, E. non eſt teſtamentum.*

Sed Limita, ad ſenſum Grammaticum. Politicè enim docti vocantur, qui nec doctorem habuerunt, nec habent doctrinam; Chriſtiani audiant homines Ethnicis deteriores; Epiſcopi, qui ne ſemel quidem adſpexerunt Eccleſiam.

3. Cui convenit Nomen, ei convenit Res Nomine deſignata.

Limita 1. cui convenit Nomen proprium ex impositione vera: *Adamus Dei instinctu mulierem dixit Evam*, E. *ista est Mater viventium. Johannes Baptista vocatur alter Elias*. E. *magnus est Propheta.*

Limita 2. cui convenit Nomen appellativum in sensu primario. Sic non licet argumentari apud Pontificios; *Est Episcopus Hebronensis, Alexandrinus, Quinque Ecclesiensis &c.* E. *habet Ecclesiam sua inspectione dirigendam.* Nam Episcopi saltem sunt titulares, non reales & propriè dicti.

4. ***Cui non convenit Nomen, ei non convenit Res Nomine designata.***

e.g. non vocatur Animal, E. non habet animam sensitivam.

Exceptionem facit Politica, cujus hoc est axioma: *Quis curat nomen, si adsit res?* Augustus Romæ Princeps, Cromvvelus Angliæ Protector, Regis nomen non admittebant; ast exercitium regiæ potestatis erat absolutissimum.

5. ***Quando Nomini honesto respondet res, adest materia laudis; cum non respondet, habemus argumentum vituperii.***

Colit Christum. E. *est bonus Christianus. Non colit Christum.* E. *non est bonus Christianus. Docet Auditores.* E. *laudabilis est Doctor. Non docet.* E. *est vituperabilis.*

CA-

CAPUT VI.

De Loco Definitionis & Descriptionis.

I.

DEfinitionis naturam, sive ea sit primaria, sive secundaria seu Descriptio, jam perlustravimus *Cap. I.* sufficiat igitur aggredi & limitare Canones.

II. Definitio sic solet applicari.

1. ***Cui convenit definitio, eidem quoque convenit definitum***

e.g. *Qui alterius bona vi rapit, dici potest Fur:* siquidem ei competit Furis definitio: *est, qui rem alienam fraudulenter contrectat invito domino.*

Febris dicitur morbus sonticus: quippe admittit definitionem: *est morbus, qui cuique rei agendæ impedimento est litiganti.*

Adulator est Idololatra: nam *fiduciam primariam in aliquo collocat, qui non est Deus.*

2. ***Cui non convenit Definitio, eidem nec conveniet Definitum.***

e.g. *Qui rem suam alibi inventam aufert, non est Fur.*
Crapula non est morbus sonticus.
Civilitas morum non est Idololatria.

Nam iisdem non competunt Definitiones modo allegatæ.

Aſt intelligitur definitum in ſenſu proprio. e.g. ſtolidi amatores conqueruntur puellæ furto ſive Cor ſive Cogitationes fuiſſe ablatas: neque tamen vel invito domino factum eſt quicquam, vel manus aliqua Cordi fuit illata: deſignabunt igitur furem in ſenſu minus proprio.

3. *Qc. affirmatur vel negatur de definitione, id etiam affirmatur vel negatur de definito.*

e.g. *Qc. rei agendæ impedimento eſt, id excuſat in judicio. E. Morbus ſonticus excuſat in judicio.*

Utile eſt noſſe modum ſciendi. E. utile eſt noſſe Logicam, quæ in definitione exprimit Modum ſciendi.

Modus ſciendi non facit diſciplinam principalem. E. nec Logica erit diſciplina principalis.

Limita autem, id intelligi de definitione non formaliter, ſed materialiter accepta.

Nam abſurdum eſſet: *Definitio exprimit Genus & Differentiam. E. Idem exprimit definitum. Definitio explicat definitum. E. definitum explicat ſeipſum.*

4. *Poſito vel remoto Definito, ponitur vel removetur Definitio.*

e.g. *Dixi eſſe nuptias. E. dixi eſſe honeſtam mariti & fœminæ conjunctionem.*

Dixi Fortem. E. dixi mediocritatis obſervantem in ſubeundis periculis.

III. Deſcriptio quæ Proprium quarti Modi continet, vel quæ reſpectu Accidentium conjun-

junctim acceptorum est cum Descripto convertibilis, pari passu ambulat cum Definitione si spectes Canonum Veritatem. Reliquæ descriptiones imperfectæ & inadæquatæ ad probationem non sufficiunt.

Sic non valet: *est furor brevis. E. est ira. Est animal implume bipes. E. est homo.*

Caput VII.

De Loco Generis & Speciei.

I.

Quid sit Genus & Species, jam vidimus in doctrina Prædicabilium, quam evolvi nunc velim, non scribendo repeti.

II. Id saltem denuo fuit notandum, Genus hoc loco dici omnem Conceptum latiorem, Speciem vero Conceptum angustiorem: quo sensu JCti Individua dicunt Species. *vid. pag. 197.*

III. Rhetores Sermonem latiorem s. generalem vocant *Thesin*, dum aliquid indeterminatè ponitur; Sermonem angustiorem *Hypothesin*, dum ultra generalem conceptum Subjectum aliquod speciale supponitur.

VI. Videamus primo Canones de Genere.

1. *Qc. convenit Generi, convenit etiam Speciei.*

JCti sic exprimunt regulam: *Semper specialia generalibus insunt.* e.g. *Omnis disciplina crebris actionibus acquiritur.* E. *tales actiones etiam postulat Logica.*

Omnia dulcia mihi destinantur in testamento. E. *etiam ad me pertinent Uvæ.*

Sed in hoc, sicut in omnibus, acceptio materialis distinguatur à formali. Generi *formaliter tali* convenit, ut sit conceptus superior, habeatque sub se multas Species: Sed hoc non convenit Speciei. Intelligitur proinde Genus *materialiter*, seu res sub Genere comprehensa.

2. *Qc. non convenit Generi, non convenit Speciei.*

e.g. *Lapis non vivit*, E. *nec silex. Cives non imperant.* E. *nec Mercatores.*

3. *Posito Genere ponitur Species.*

Limita *non determinatè*, quasi dicere possis, *adest Contractus realis.* E. *adest Mutuum. Laudavit Virtutem.* E. *expressè laudavit Temperantiam; sed indeterminatè*, & *disjunctivè*, ut dicere liceat adhibitâ particula disjunctivâ. *Adest Contractus realis.* E. *adest vel Mutuum, vel Commodatum, vel Depositum, vel Pignus. Laudavit virtutem Cardinalem.* E. *vel Prudentiam, vel Fortitudinem, vel Temperantiam, vel Justitiam.*

4. *Remoto Genere removetur Species.*

e.g. Domini non est Metallum. E. nec aurum. Alienatio rei est prohibita. E. nec licet dare pignus.

V. De

V. De Specie notandum.

1. *Positâ Specie ponitur Genus.*

Adest Febris. E. *adest Morbus.* *In horto est Pirus.* E. *in eo est Arbor.*

Sed Limita. Genus ponitur *non universaliter*, sed *particulariter*. Sic enim valet conclusio: *Adest Febris.* E. *adest Quidam Morbus.*

2. *Qc. de Una Specie dicitur, id etiam dicitur de Genere.*

Limita iterum, *dicitur particulariter*, e.g. *Ira comparatur furori.* E. *Q. Affectus comparatur furori.* *Epilepsia est incurabilis.* E. *Q. Morbus est incurabilis.*

3. *Remotis omnibus Speciebus, removetur Genus.*

Sic rectè concludo; *Conjugium nec est Baptismus, nec Eucharistia.* E. *non est Sacramentum.*

Non autem valet, remota una Specie, removeri Genus. *Juravit se non rapuisse*, E. *absolvitur ab actione furti.* *Non est Mercator*, E. *non est Civis.*

Sane JCti sic argumentantur: *Pupillus non potest vendere*, E. *non potest alienare.* Sed argumenti vis non venit ex eo, quasi Specie sublatâ tollatur in universum Genus: quin potius ampliatur sensus, quia quæ ratio militat in una specie, simul militare videtur in reliquis Speciebus; & quia vendere nequit pupillus, ideo nec donare potest, nec permutare.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Loco Totius & Partium.

I.

NAturam Totius jam dedimus explicatam *pag.* 225. cum ageremus de Divisione. Quamobrem aggredimur Canones.

II. De Toto habentur Canones.

1. Posito Toto, ponuntur Partes.

Magistratus est Custos legis divinæ. E. tam primæ quàm secundæ tabulæ.

Limita 1. Posito Toto *absolutè perfecto. Hoc est ædificium perfectum. E. habebit Cellam, Hypocaustum, Cameram.*

Limita 2. ponuntur Partes *principales*, non *contingentes* & *minus principales*. Sic non valet: *Est ædificium. E. inest Cella vel Fornax.*

2. Remoto Toto, removentur Partes.

Subintellige secundum *esse respectivum*, quatenus sunt partes, non secundum *esse absolutum*, quatenus divisim existunt. *Sic destructo ædificio, remanere adhuc potest* Paries: quem tamen nemo amplius dixerit Partem ædificii.

3. De quo prædicatur Totum, de eo prædicatur qualibet ejus Pars.

Habet talerum. E. habet decem grossos.

Sed

Sed limita. De quo prædicatur Totum *affirmativè*. Nam non valet: *Nondum ſolvit talerum. E. non ſolvit decem groſſos.*

Referunt huc aliqui *Totum Virtutis ſ. poteſtativum*, allegantque Canonem: *Qui poteſt Majus, poteſt etiam Minus*. Scilicet cum hac limitatione: *Si Minus in Majori contineatur, ut pars in toto*. Sic valet: *Poteſt ſcribere Orationes. E. poteſt legere*. Sed non valet: *Poteſt diſputare. E. poteſt contexere pileos ſtramineos.*

4. *Qc. prædicatur de Toto, prædicatur etiam de Partibus.*

Si tota emptio poteſt reſcindi, reſcindi etiam poteſt aliqua ejus conditio.

Homo eſt in Muſeo. E. ejus pes & manus eſt in Muſeo.

Sed extendi non debet ad prædicationem negativam: Siquidem non valet. *Non debet talerum. E. non debet decem groſſos.*

Maximè vero hoc valet in Toto Homogeneo: *Potus eſt amarus, E. ſingulæ ejus guttæ ſunt amaræ. Vinum inebriat, E. ſingulæ ejus guttæ aliquid conferunt ad ebrietatem. Totus cantharus uno impetu exhauſtus nocet ſanitati, E. in illo hauſtu omnes guttæ aliquid contribuunt ad hoc nocumentum.* Ita enim Partes ſumendæ reſpectu Totius, cum alias in ſenſu diviſo non valeret: *Unica gutta nocet Sanitati.* Niſi velis arripere exceptionem limitativam: *Qc. prædicatur de Toto ut Ens eſt, non præcisè ut Totum eſt, id prædicatur de Partibus.* Nam ſi plenus Cantharus

nocet,

nocet, non nocet quatenus vinum est, sed quatenus totum s. nimium est.

III. Videbimus nunc Canones de Partibus.

1. De quo omnes Partes affirmantur aut negantur, de eo necesse est affirmari vel negari Totum.

Lapis nec habet corpus organicum, nec animam rationalem, E. non est homo.

Adsunt viginti quatuor grossi. E. adest talerus.

Sed limita, *De quo partes dicuntur ut partes formaliter tales.* Nam non valet: *adsunt Ligna, Lapides, Ferramenta &c. E. adest ædificium:* nam adsunt ut materia, unde partes aliquando poterunt constitui.

2. *Qc. prædicatur de Parte, idem prædicatur de Toto.*

Limita 1. *Prædicatur de Parte proximè & propriè, id prædicatur de Toto remotè & denominativè.* Sic dicere possum: *Oculus habet visionem.* E. *Corpus habet visionem.*

Limita 2. prædicatur de Toto *inadæquatè* e. g. Hominis aliqua pars est mortalis. E. Homo habet in se quoddam, quod est mortale; seu dici potest mortalis.

Limita 3. Qc. prædicatur *de parte principali*, e. g. Non valet: Fenestra versus Culinam est fœda. E. universum Ædificium est fœdum.

3. Remota unâ Parte, removetur Totum.

Valet hoc tum in partibus essentialibus: *discessit anima.* E. *non amplius est homo. Amisit jus diri-*

gendi Senatum, E. *non est Consul*; tum in partibus integralibus: *destructum est tectum*, E. *non est Domus*, subintellige *tota*.

Sed valet exceptio: nisi parti substituatur æquivalens. *Sic Civitas post centum annos adeoque extinctis prioribus Civibus, adhuc manet eadem. Sic Fluvius mutatis quotidie aquis, non evadit alius.*

4. ***Pars abundans non vitiat Totum.***

JCti dicunt: *Superflua non nocent.* Claro indicio, non extendi Canonem debere ad Physica, ubi certè *superfluus Cibus, superflua medicina* nocent: vel ad *doctrinalia*, ubi regulæ bonæ Methodi superflua damnant; sed remanere intra cancellos beneficiorum civilium, ubi *per inutile non vitiatur utile*. Sic decem testes non vitiabunt testamentum; nec fiet minus validum, si adhibeantur solennitates parum necessariæ.]

Caput IX.

De Loco Causarum.

I.

SÆpe monuimus, Causas esse vel externas, vel internas. Externas esse Efficientem & Finalem. Internas Materialem & Formalem. Dabimus igitur operam, ut singulæ Causæ suos indipiscantur Canones.

II. Causa Efficiens est, à quâ res est, seu à quâ pendet prima actio & effectus.

III. Sed

III. Sed limitandis Canonibus neceſſariæ ſunt Distinctiones, alioquin à Metaphyſicis declaratæ.

IV. Cauſa primò eſt vel *Naturalis*, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis neceſſario agit, vel *Libera*, quæ poſitis his requiſitis poteſt non agere.

Ignis admotus ligno neceſſario comburit. Homo famelicus admotus cibo poteſt adhuc abſtinere.

V. Deinde vel eſt *Phyſica*, quæ ſua actione attingit Effectum: vel *Moralis*, cui imputatur Effectus.

Qui verberat alterum, cauſa eſt Phyſica: ſed qui juſſit, rogavit, non impedivit, cum debuiſſet impedire, Cauſa eſt moralis, cui ſanè etiam in judicio imputatur injuria verberando accepta.

VI. Porro vel eſt *Principalis*, quæ agit virtute propria, vel *Inſtrumentalis*, quæ dirigitur à virtute aliena.

Princeps eſt regiminis Cauſa Principalis: Minor Magiſtratus à Principe dependens eſt Cauſa Inſtrumentalis. Scriniarius eſt Cauſa Principalis; Serra Inſtrumentalis.

VII. Tandem Cauſa vel eſt *Univoca*, quæ producit Effectum ſimilis Speciei, vel *Æquivoca*, quæ producit Effectum diverſæ Speciei.

Princeps generans Principem eſt Cauſa Univoca: conſtituens Coquum ſ. Cellarium, eſt Cauſa Æquivoca.

IIX. Quid

IIX. Quid intelligi debeat per reliquos terminos, dum causa dicitur *Proxima vel Remota, Totalis vel Partialis, Subordinata vel non Subordinata*, vel è sensu nudorum vocabulorum patet.

IX. Quamobrem perlustrabimus Canones,

1. *Posita Causa ponitur Effectus.*

Limita. Positâ Causa *quâ tali, h. e. jam operante*, ponitur Effectus *proximus*. Posito Architectum jam incipere operam, ponitur etiam prima aliqua ædificii pars, non statim universum ædificium, quod est effectus remotus.

Posito, Oratorem declamare, ponitur effectus proximus, elegans Oratio, non effectus remotus Persuasio.

2. *Negata Causa, negatur Effectus.*

Limita. Negata Causa *quoad operationem*: rectè enim concluditur: *Musicus nihil agit*. E. *nulla auditur cantio. Judex non occupavit tribunal*. E. *nihil judicabitur*.

Aliqui Canonem sic exprimunt: *Remotâ causa, removetur effectus*. Sed isti quidem non respiciunt ipsam *Causam Efficientem*: quippe mortuo Architecto non perit ædificium; sed *Causam conservantem*, cujus perpetua operatio requiritur: *Remoto Sole, removetur Dies. Remotis Organo follibus, removetur fistularum sonus.*

3. *Qualis Causa talis Effectus.*

Aliqui ſic dicunt: *Qc. prædicatur de Cauſa, prædicatur etiam de Effectu.* e.g. Matrimonium eſt illegitimum. E. liberi ſunt illegitimi.

Sed limita 1. Qualis Cauſa *univoca*, *non æquivoca.* Sic non procedit: *Miniſtri cauſa eſt Princeps ejusdem Promotor. E. Miniſter eſt Princeps.*

Limita 2. Talis Effectus *quoad eſſentiam, non quoad accidentia.* Sic non valet: *Pater eſt Doctor*, E. *Filius eſt talis. Pater eſt Fur & ſuſpendio dignus.* E. *talis eſt Filius. Pater eſt ſenex*, E. *ſenex eſt Filius.*

Limita 3. Qualis Cauſa *non formaliter ineſſe Cauſæ*, ſed materialiter. Sic falſo concluditur: *Pater eſt generans.* E. *Filius eſt generans.*

4. *Cujus Cauſa bona vel mala eſt, id ipſum quoque bonum eſt vel malum.*

Canon iſte monſtrat, poſſe etiam aliquod Cauſæ, accidens prædicari de Effectu. Et ſane valet argumentatio: *Virtus eſt bona.* E. *ejus Conſequens ſeu Effectus Amicitia eſt bona.* Vel ut Chriſtus concludit: *Arbor eſt bona.* E. *fructus ſunt boni.*

Sed limita: *id bonum eſt per ſe.* Nam vitis bona bonum producit vinum, quod tamen fieri malum poteſt *per accidens*, ſi quis inclinet ad abuſum.

Sic: *Cujus Præceptor orthodoxus eſt, is, in quantum à Præceptore habet doctrinam, ſimul erit orthodoxus*, niſi per accidens relictis dogmatibus eruditione ſua velit abuti.

Sic argumentari possumus: *Affectus in se non esse malos, & Iram, Odium, Tristitiam aliquando habere suam bonitatem*, quoniam appetitus à Deo & naturâ implantatus non est malus. At utinam abesset abusus.

5. *Idem semper facit idem.*

Limita 1. *Idem quatenus idem*, h.e. eodem modo & iisdem Circumstantiis consideratum, unde non valet. *Ventriculus Caroli Juvenis bene concoxit.* E. *Senis bene concoquet*,

Limita 2. *Idem, si sit causa naturalis s. necessaria, non, si fuerit libera.* Sic ignis admotus ligno semper comburit. Sed Coquus ingrediens culinam non semper accendit focum.

6. *Causæ Causæ est etiam Causa Causati.*

Sensus est: *Si Causæ alicujus Effectus novum habet Effectum; posterior hic Effectus adscribitur etiam Causæ priori*, e.g. si dedisti occasionem ad Colloquium, ex colloquio natum fuit adulterium, tu quoque eris causa adulterii.

Sed limita; est Causa Causati, *si in operando adhuc vel physicè vel moraliter dependeat causa posterior à priori.*

e.g. Filius à Patre missus ad incendendum horreum, est causa incendii: quia tamen Filius moraliter in operando dependet à Patre, Pater simul est causati s. incendii hujus causa.

Variè autem aliqua Causa moralis cooperatur, vel *ad exercitium actus*, vel *ad specificationem actus.*

e.g. Maritus, vocatis Convivis, ſi Uxorem ſimpliciter jubeat apparere cœnam, influit ſaltem in exercitium actus. h. e. Cauſa eſt, ut Uxor de cœna cogitet: ſi vero ſimul præſcribat fercula, modumque præparandi determinet, influit in ſpecificationem, h.e. accuratè ſpecificat, quid Uxor de cibis debeat cogitare.

Inde non ſequitur: *Filius à Patre mittitur ad diſcendas literas.* E. *Pater eſt cauſa pulchri carminis à Filio conſcripti.* Nam Pater cauſa quidem eſt diligentiæ in genere, non diligentiæ, quatenus in ſpecie certis exemplis applicatur. Sic Patronus Eccleſiæ cauſa eſt Concionis, quam habet conſtitutus ab eo Paſtor, reſpectu *exercitii*, non reſpectu *ſpecificationis*, quaſi ad illius operationem Concionis ſive concinnitas, ſive abſurditas, ſimul referri debeat.

X. Cauſa Finalis eſt, propter quam res eſt. Habetque in limitandis canonibus has diſtinctiones.

XI. Primo Finis vel eſt *Cui* vel *Cujus*. Finis *Cui* eſt Subjectum, cui Finis introducitur; Finis *Cujus* eſt ipſum Adjunctum, cujus gratia introductio hæc vel expetitur vel ſuſcipitur.

e.g. In Pacificatione Finis *Cui* eſt Reſpublica, cui hæc felicitas introducitur: Finis *Cujus* ipſa Pax, quæ acquiritur.

XII. Deinde Finis vel eſt Ultimus vel Intermedius. Ultimus, in quo planè acquieſcit

actio:

actio: Intermedius, quo acquisito adhuc opus est ulteriore actione.

Qui impetravit vehiculum, obtinuit finem, sed non ultimum: quia porro cogitandum est de itinere, cui promovendo procuratum fuit vehiculum.

XIII. Finis etiam est vel internus vel externus. Finis internus est in potestate agentis, seu ut clarius loquar, est ipse effectus: Finis externus est usus effectum consequens, quem agens non habet in potestate.

Architecti finis internus est ædificium: finis externus habitatio, quam nec obtinet nec præstat Architectus.

XIV. Sequantur nunc Canones.

1. O. Finis est bonum quid.

h.e. appetitur sub ratione boni: sive illud bonum sit *verum* sive *apparens*.

Hinc nemo appetit peccatum, nisi in eo credat, delitescere aliquam dulcedinem.

2. Finis est melior Mediis ad finem.

Aliter sic exprimitur: *Propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale.* h.e. Propter Eruditionem diligentia est laudabilis, E. Eruditio magis erit laudabilis.

Sed limita: Finis *respectu nostri appetitus est* melior. Nam e. g. Paterfamilias finem habet *florem*

rei domesticæ: huic impetrando velut medium seu instrumentum adhibet *servum.* Et tamen servus tanquam homo, futurus sane est nobilior divitiis. Quamobrem Divitiæ sunt meliores, si respicias appetitum ipsius Patrisfamilias, qui libentius cupit florere familiam, quàm bene vivere servum.

3. *Qui vult Finem, vult etiam Media.*

Limita Subjectum. Qui vult Finem *efficaciter.* Nam aliqui habent voluntatem *inefficacem,* quam vocamus *simplicis Complacentiæ,* ut libenter quidem admitterent aliquod bonum, si velut assa columba per ventos veniret. e.g. Omnibus placet Eruditio, sed quatenus optanda est efficaciter, tanquam bonum variis laboribus acquirendum, paucorum sanè apparet voluntas.

Limita Prædicatum 1. vult Media *licita & ordinaria,* non *illicita & extraordinaria.*

e.g. *Vult divitias:* sed non sequitur: E. *vult furtum vel latrocinium.*

Limita 2. Vult media non *copulativè* sed *disjunctivè.* e.g. Non valet: *vult proficisci Lipsiam,* E. *vult equum, vehiculum, bonos cursoris calceos.* Sed *aut vult equum, aut alia itineris absolvendi media.*

4. *Unius rei plures possunt esse Fines.*

h. e. in sensu particulari, *Datur aliqua res, cujus possunt esse plures fines.* e. g. Studiosus publicè disputat *1. Ut præstet eruditionis specimen,*

men. *2. Ut dedicare aliquid Patronis queat.* *3. Ut Parentes reddat in erogandis sumptibus paratiores.*

Sed Limita 1. Prædicatum. *Unius rei plures possunt esse fines externi, non interni.* Architectus ædificans finem internum non habet alium, quam absolutam habitationem: Sed fines externi possunt esse multiplices, possunt ibidem *peragi res sacræ, recipi peregrini, asservari merces &c.* Sic memini me puero condiscipulum in fistula, quam Flautam vocamus, custodire calamos scriptorios, Præceptorique occasionem dare, ut ostenderet, quam multi fines ejusdem rei esse possent.

Limita 2. Subjectum. *Unius rei à multis suscepta possunt esse multi fines.* Certè enim hoc etiam loco obtinet Canon: *Duo cum faciunt idem non est idem.* e.g. Una res est *militatum abire:* sed cum alius intendat *gloriam*, alius *opes*, alius *vindictam*, diversi sunt fines.

5. Acquisito Fine, cessat actio.

Limita, cessat actio *ad finem efficiendum destinata*, non *quæ pertinet ad finis fruitionem.* Absoluto ædificio, nemo amplius ædificat: bene tamen viget actus habitandi.

(†)

CAPUT X.

De Locis Causarum internarum Materiæ & Formæ.

I.

MAteria tripliciter consideratur: vel enim dicitur EX QUA, vel IN QUA, vel CIRCA QUAM.

II. Materia EX QUA est id, ex quo aliquid fit, sive *permanenter*, ut ex Auro poculum, sive *transeundo*, ut è farina fit panis, ex ovo pullus; vel *proximè*, ut è lino fit filum, vel *remotè*, ut è lino fit charta.

III. Materia IN QUA alio nomine vocatur SUBJECTUM.

Hoc sensu Logicæ materia dici potest Intellectus; Majestatis materia Princeps; Scripturæ materia charta.

Et vero in Actionibus immanentibus Causa Efficiens & Subjectum coincidunt, si vel maximè diversos adhuc respectus admittant.

e.g. Emptionis Causa Efficiens est Emptor, quatenus actionem hanc suscipit: & idem Emptor est Subjectum, quatenus obligationem inde natam recipit.

IV. Materia CIRCA QUAM alio nomine vocatur OBJECTUM.

Sic

Sic Modus ſciendi Logicæ eſt materia, Corpus naturale Phyſicæ &c.

V. Nunc ordinari poſſunt Canones. Et primo quidem quos habemus de Materia Ex Qua.

1. Poſita Materia fieri poteſt Effectus.

Non fit; ſed adeſt aptitudo, ut fiat. *Ferrum adeſt.* E. *poteſt fieri gladius ferreus: adſunt Lapides.* E. *poteſt fieri Murus.*

Ex hoc fundamento punire poteſt, qui perſonis ignotis vel ſuſpectis vendidit venenum: nam ſcire debebat, poſita hac materia, ſequi poſſe effectum, h.e. hominis interitum, ſed ut clarius loquar: ex hac materia miſceri potuiſſe potum lethiferum.

2. Sublata Materia non poteſt fieri Effectus.

Bibliotheca in Teſtamento legata periit incendio. E. *præſtari non poteſt ab hæredibus.*

Sed limita ad materiam *eſſentialem*, non *accidentalem*. Sic verè concludo: *Abeſt farina.* E. *non poteſt coqui panis.* Nam materia non ſuppetit alia coquendo pani. Minus autem rectè ſe habet Concluſio. *Abeſt aurum.* E. *non poteſt fieri poculum*: quia poculum ſaltem eſt aureum per accidens, fierique poteſt ex argento, cupro, ſtanno &c.

3. Sublata Materia tollitur Compoſitum.

Aliqui dicunt: *Sublata materia tollitur forma.* Diſtinguuntque inter formam materialem, & im-

immaterialem, qualis eſt Anima hominis quæ quidem ſublato Corpore non tollitur. Sed tollitur Anima, non quoad eſſe abſolutum, quatenus eſt Spiritus; bene tamen quoad eſſe reſpectivum: certè enim deſinit eſſe Corporis forma.

Et vero Canon tam intelligitur de Materiâ *adæquata*, quæ ad Compoſitum unicè concurrit, velut *Aurum ad poculum*, quam de *inadæquata*, quæ Materiam habet ſociam. Sic rectè argumentor: *Ablato Calice non eſt Cœna Domini*; ſi vel maximè adhuc reliqua ſit altera pars.

Excipitur ſaltem Materia *minus principalis*, quo ſenſu argumentari non poſſumus: *Amiſit ligulas veſtimenti*. E. *ipſum veſtimentum*.

Pro amiſſa etiam Materia habetur, quæ eſt Inhabilis. e.g. *Qui vendit rem ſacram, nihil vendidiſſe creditur:* quia *Inhabilitas materiæ impedit effectum.*

4. *Qc. tribuitur Materiæ, id etiam tribuitur Materiato.*

Alii ſic dicunt: *Qualis Materia, tale materiatum.* e.g. *Farina fœtet*. E. *minus bene olebit panis*. *Aurum eſt adulterinum*. E. *poculum non erit legitimum*. *Vitrum eſt fragile*. E. *vas ex illo confectum itidem eſt fragile*.

Sed Limita 1. Qc. tribuitur Materiæ *adæquatæ*. Sic dicere non licet: *Hordeum eſt ſiccum*. E. *Cerevisia eſt ſicca*. Nam Cereviſiæ materia ſimul eſt Aqua.

Limita 2. Qc. tribuitur Materiæ *in quantum Materia eſt, & Compoſito ſeſe communicat.* Sic non licet argumentari: *Ovum eſt rotundum.* E. *pullus eſt rotundus. Semen eſt nigrum*, E. *Planta inde ſuccreſcens eſt nigra.* Sed legitimè procedo: *Ovum eſt humidum.* E. *pullus habet humiditatem. Semen eſt corruptibile.* E. *etiam Planta.* Nam Materia in Compoſito hanc Qualitatem non amittit.

VI. Quod attinet Materiam In Qua ſeu Subjectum, quoniam huic reſpondet Adjunctum, Canones optimè reſervabuntur ad Locum Adjunctorum.

VII. De Materia Circa Quam, ſeu, ut loquimur, de Objecto, notentur ſequentia.

1. *Habitus & Potentiæ ſpecificantur per ſua Objecta.*

Limita 1. per Objecta non materialia, ſed formalia. e.g. Logica non ſpecificatur *per intellectum informandum*, quod eſt Objectum materiale; ſed per Intellectum *quatenus informari debet ad modum ſciendi*, quod eſt Objectum formale.

Limita 2. per Objecta non *realiter*, ſed *intentionaliter* accepta. Nam e.g. *Sutoriam artem non ingreditur Corium, ſed neceſſarius reſpectus ad Corium. Medicinam non conſtituit Ægrotus quatenus eſt ſanandus, ſed reſpectus ad ægrotum.*

2. *Quale Objectum, talis Potentia.*

Potentia h.l. ſumitur in ea latitudine, ut Habitus ſimul comprehendat. Imo quæ dicuntur de Poten-

Potentia, commode applicantur ad ipſos Actus, cum Actus ſint motus potentiarum. Jam rectè argumentor: *Modus ſciendi eſt laudabilis*, E. *Habitus Logicæ eſt laudabilis*.

Sed Limita 1. Quale eſt *Objectum formale*. Sic non ſequitur: *Video lucem obſcuram & imperfectam*. E. *viſio mea eſt imperfecta*. Nam Lux, *quatenus eſt viſibilis*, eſt Objectum formale viſionis: dicere vero non licet: *Lux quatenus viſibilis, eſt imperfecta*. Sed *Lux*, *quatenus deſunt aliqui gradus*, *vel quatenus longè abeſt Lucis cauſa*, *eſt imperfecta*. Quæ formalitas non pertinet ad viſionem.

Sic non ſequitur: *Adſpicit Adulteram*. E. *viſio eſt mala*. Nam viſio verſatur circa Adulteram quatenus eſt viſibilis, non quatenus illicito modo deſiderabilis. Niſi velis addere diſtinctionem: viſio non eſt mala *in operatione phyſicâ*: ſed *in applicatione morali*.

Limita 2. Quale eſt Objectum *per ſe & in actu ſignato*, non quale eſt *per accidens & in actu exercito*, talis eſt potentia. Aliter diceres: Quale eſt Objectum *Tractationis*, non quale eſt *Operationis*.

Rectè concludo: *Tractare Thema bonum eſt*, E. *Oratoria, quæ docet modum tractandi, bona erit*.

Sed infirma hæc eſſet argumentatio. *Tractare Thema Hæreticum, malum eſt*. E. *Oratoria eſt mala*. Nam Thematis ſpecialem tractationem Oratoria per ſe non dirigit, ſed per accidens. Niſi velis ſic reſpondere: *Quale eſt Objectum ſpecia-*

ſpeciale, tale eſt ſpeciale exercitium potentiæ. Sic verum eſſet, Oratorem in themate minus probo occupatum verſari in exercitio minus probo; ſeu potentiam in ſe bonam applicuiſſe ad rem malam.

3. *Deſtructo Objecto deſtruitur Potentia.*

Si non eſt Unicornu, nec etiam erit Zoologiæ ſpecialis Pars, quæ circa illud animal verſetur.

Limita vero: Deſtructo Objecto *Logicè* non *Phyſicè.* Nam deſtructio Logica eſt, cum introducitur Contradictorium. Sic non valet: *In hieme deſtruitur Roſa.* E. *deſtruitur ea Philoſophia pars, quæ diſſerit de natura Roſæ.* Nam non deſtruitur Logicè, ut nunc de ipſius naturâ debeamus credere contradictoria.

Sic non ſequitur: *Princeps non habet Metallifodinas,* E. *non habet jus Metallorum*: nam nondum evincitur Contradictorium, ac adhuc remanet reſpectus ad metalla, ſi qua tandem in Rep. exoriantur.

Hoc tamen verum eſt: Deſtructo Objecto Potentiæ practicæ, non ſpeculativæ, removeri Potentiæ *actuale exercitium.*

Reliqua de Objecto, cum accipitur materialiter, commode colligi poſſunt è ſuperioribus, quæ dicta ſunt de Materia Ex QUA.

IIX. Veniendum nunc ad Formam, quæ hoc loco ſpectari quidem maximè debet, ut eſt *interna & eſſentialis.* Interim quia Formarum

marum essentialium, præsertim in physicis, nulla fere nobis innotescit, non est cur negligamus formas *externas & accidentales*, quæ aliquam specificationem Materiæ videntur afferre.

IX. Et sanè parum differunt externæ hæ Formæ ab Adjunctis, quorum peculiaris Locus infra dabitur. Interim aliter consideratur Adjunctum, quatenus adhibetur *ad declarationem Essentiæ*, ac adeo Locum Formæ occupat, aliter quatenus consideratur ut Formæ Consequens.

X. Enumerabimus Canones.

1. Forma dat esse Rei.

Quasi dicas: *Posita Forma, ponitur Compositum.* In Corpore ponitur anima, E. ponitur integer homo.

Ratio est, quia Forma id præstat materiæ, quod differentia Generi. Indeterminatam igitur Materiæ naturam determinat, &, quemadmodum loqui solemus, specificat.

Si objicias, quod supra diximus: *Potentias specificari ab Objecto.* E. *non à Forma.* R. Specificationem *non ab ipso Objecto, sed à respectu & tendentia in Objectum* intelligi, quæ nihil aliud est, quam ipsissima Forma. Unde mirum non est, Objecto formali competere Canones alioquin Formæ proprias. *Quale Objectum, talis Potentia. Destructo Objecto, destruitur Potentia.*

2. Posita

2. Posita Forma ponuntur Affectiones.

Quasi dicas: *Posita differentiâ ponuntur Propria, e.g. Positâ animâ rationali, ponitur potentia argumentandi, comparandi, admirandi &c. Positâ Emptione seu Consensu utriusque partis, ponitur jus rem suam sibi vindicandi.*

Hunc & præcedentem Canonem aliqui sic conjungunt: *Forma dat Esse, Distingui, & Operari.*

3. Forma quanto nobilior, tanto nobilius Compositum.

Si hominis forma est Anima rationalis, nobilior certè fuerit Bestiâ.

Sanè *Magis & Minus non variant Speciem*, h. e. Distinctio graduum non facit diversam essentiam. Sicut Calor trium graduum non aliam habet definitionem, quam Calor octo graduum; Interim *magis & minus variet nobilitatem ac præstantiam.*

Quod si etiam Forma sit Substantialis, vel ejus conditionis, ut magis & minus non recipiat; dari tamen potest respectus ad aliquid, unde colligitur diversa Nobilitas.

e.g. *Duo Oratores invicem planè similes diversam habent nobilitatem, si alter jubeatur tractare negotia Principum, alter controversias Rusticorum.* Illum enim commodat nobilius objectum.

Eruditio prorsus æqualis, in Plebejo est argentum, in Nobili aurum, in Principe gemma. Nam diversa est Subjecti nobilitas.

Homo est nobilior Bestiâ, quoniam habet nobiliorem finem.

4. De-

4. Deficiente Forma tollitur Compositum.

Aliter diceres: *Deficiente Formâ deficit Effectus.* Nam certè Effectus à Composito non differt.

Sic si quis in testamento pecuniam legaverit filio: nascatur vero monstrum, in quo deficere videatur homiuis forma; nec adesse creditur homo, nec effectum habet ultima voluntas.

Apud JCtos habentur formalia Processuum, quæ si minus observentur, ipse Processus declaratur nullus.

Sed limita: tollitur Compositum *quatenus tale.* Notus enim Canon: *Mutata Forma datur aliud Corpus*, quasi dicas: Mutato Ovo datur pullus, & hinc idem non est præstare poculum aureum, & aurum poculi liquefactum, quippe forma etiam accidentali mutatâ, Compositum si non sublatum, certè mutatum aliaque forma affectum fuit.

CAP. XI.

De Loco Effectorum.

I.

ETsi Effecta cum latè accipiuntur, idem valere possunt ac Causata: rectius tamen restringi solent ad Causam Efficientem.

II. Sæpe Effecta confunduntur cum Fine. Quicquid enim *in Intentione* est Finis, *in Executione* est Effectus.

c. g.

e.g. Finis qui Scriniarium movet, ut asseribus dispositis laborem suscipiat, est Forma mensæ, quam introducere vult asseribus. Sed quod Effectum est aliud, quam ipsa ea forma?

Sanè habemus Effecta, quæ referri ad Finem nequeunt. e.g. *Nimia familiaritas parit contemptum. Nimia luxuria accelerat paupertatem. Negligentia Filiorum promovet Parentis mortem.*

Sed distingue inter Effectum *propriè dictum*, cujus intentionem habet Agens, & *impropriè talem*, quod rectius vocaretur Consequens. Sic facilis erit dubii resolutio.

III. Tangemus Canones.

1. Posito Effectu ponitur Causa.

Limita. Ponitur *vel in præsenti*, *vel in præterito*, seu ut alii loquuntur, *necesse est Causam aliquando adfuisse.*

Poculum aureum adest. E. aliquando fuit Aurifaber, qui istud conficeret.

2. Negato Effectu negatur Causa.

Limita 1. negatur Causa *in actu secundo*, non *in actu primo*, quasi dicas, *non adest Causa quæ operatur*, e.g. *nullum datur poculum*, E. *nullus adest Aurifaber, qui poculum actu facit.*

Limita 2. *nisi Causa impediatur ab alio*. Sic *in Furno Babylonico negabatur Effectus. h. e. Combustio: neque tamen negabatur Causa. h. e. Ignis:* quippe Deus *extraordinario concursu jubebat* Ignem non urere. *Sic ubi Magnes allio tinga-*

tur, non attrahit ferrum: nec tamen ex absentia effectus concludere possumus ad absentiam Causæ.

3. Qualis Effectus, talis Causa.

Limita 1. *Qualis Effectus univocus.*

Limita 2. *Qualis Effectus quatenus est Effectus.* Si enim argumenteris; *Filius est Consul. E. Pater est Consul,* responderem: Filium quatenus est Consul, non esse Effectum Patris.

Limita 3. Talis est Causa (etiam æquivoca) vel *formaliter*, vel *eminenter. vid. pag. 139.* Eadem limitatione intelligitur Canon haud dissimilis: *Quicquid est in Effectu, præexistit in Causa.*

Neque differt iste Canon: *Nullus Effectus virtutem Causæ excedit,* h.e. Effectus potest esse sua Causâ deterior, sed non præstantior: siquidem *Quod quid non habet, alteri dare non potest.*

CAPUT XII.
De Loco Circumstantiarum.

I.

CIrcumstantia dicitur, quæ velut extra Substantiam rei existit, ac tamen aliquo modo eandem attingit.

II. Parum verò refert, an ejusmodi Circumstantia attingat rem ipsam, sive ejus causam, seu denique ejus effectum.

e.g.

e.g. Si ſpectes Julii Cæſaris cædem, contigit in Curia, *Circumſtantia Loci attingens rem ipſam*, commiſſa ab Amicis, *Circumſtantia Cauſæ Efficientis*, Maturavit ſucceſſionem Auguſti, *Circumſtantia Effectus.*

III. Communiter Circumſtantiarum Nomine deſignantur ANTECEDENTIA, CONCOMITANTIA, CONSEQUENTIA.

IV. Maxima vero Circumſtantiarum cognoſcendarum neceſſitas emergit apud Philoſophos Morales & JCtos, quippe qui bonitatem & malitiam actionum è Circumſtantiis judicant.

V. Inde trium Claſſium ponuntur Circumſtantiæ. 1. Aliquæ ſunt *Specificantes*, quæ ſuo acceſſu novam ſive Virtutis ſive Sceleris ſpeciem conſtituunt.

e.g. Egredi porta eſt indifferens. Sed ſi egrediaris furti cauſa, vel tempore publici jejunii; Circumſtantia *finis*, ſeu temporis rem ita ſpecificat, ut habeatur pro vitio.

2. Aliquæ ſunt *augentes* vel *minuentes.*

e.g. Qui pauperibus erogat taleros centum, eandem exercet Liberalitatis virtutem, quam qui erogat quinque: ſed major illius eſt virtus, quam iſtius.

3. Aliquæ ſunt non niſi *Concomitantes.*

e.g. Erogare pauperibus Eleemosynam bonum est. Sed parum refert, sive id facias dextra, sive sinistra; sive pecuniam promas è sacco nigro, sive rubro; sive pauperes tibi occurrant in platea, sive in campo, &c.

VI. Cæterum singulas Circumstantias comprehendit Versiculus notissimus.

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis?
Cur? Quomodo? Quando?

QUIS? quæ Persona? seu ut rectius, quæ conditiones vel quæ Adjuncta Personæ? dives an pauper? Secularis an Clericus? Vir an Puer? &c. *Filius verberavit Parentem* gravius quam si ignotum. *Samaritanus sublevavit Judæum*, laudabilius majorique Virtutis specimine, quam si amicum ex Samaritanis.

QUID? quid factum est? *Furtum* dici debet, *an Sacrilegium? Stuprum* an *Scortatio*, *Fortitudo* an *Audacia*.

†*Sanè si ex merito rem judicemus, Quæstio QUID, non tam est Circumstantia, quam id, cui applicantur Circumstantiæ.*

UBI? Circumstantia Loci. *Tumultuatus est in templo*, turpius quàm si id egisset in popina. *Risit in exequiis paternis*, utinam risisset in ædibus amici nuptialibus.

QUIBUS AUXILIIS? Quod Instrumentum s. medium fuit adhibitum? Bibit ex poculo vulgari, an sacris usibus destinato? furandi animo in-

ingreſſus portam: an effregit tectum? Eleemoſynis adhibuit pecuniam honeſto labore partam, an alienam?

CUR? Circumſtantia Finis. Frequentat Templum, an ut honoret Deum? an ut placeat Magiſtratui? an ut ſpectetur pulchrè veſtitus? an ut novellas vel hiſtorias obſcœnas audiat à vicino? an ut ſuavius dormiat.

QUOMODO? Quæ actionis Forma deſumitur vel ab Antecedentibus vel à Concomitantibus. An ex odio fecit, an ex ſupina negligentia? an Ebrietas venit è bibendi habitu, an caſu? Beneficium an exhibitum fuit corde hilari, an moroſo? an cito auxilium tuliſti an tardius?

QUANDO? Circumſtantia Temporis. Ingreſſus es popinam: tempore feſtivæ concionis, horâ quam Magiſtratus deſtinavit convocandis civibus &c.

VII. Quicquid autem ſit de his Circumſtantiis, parum eſt, quod Logica judicare poteſt: Certè enim præcipuum hic opus incumbit Philoſophiæ morali, quæ examinatis ad Legem ſive divinam ſive humanam Circumſtantiis, de bonitate aut malitia infallibiliter concludit.

e.g. *Cur beneficium pauperis in majori pretio habendum, quàm divitis?* Sanè id neſcit Logica, niſi ex Ethicis, quæ ſic argumentantur: *Qc. vin-*

cit Affectum fortiorem, is habet majorem Virtutis gloriam. Sed pauper jussus erogare, ob egestatis timorem effectum sentit tenaciorem, quàm dives, qui vel centum spectat modos resarciendi jacturam.

IIX. Quamobrem ne Logica disciplinis realibus argumentum præripuisse videatur, satis fuerit Canones colligere, de ANTECEDENTIBUS, CONCOMITANTIBUS, & CONSEQUENTIBUS.

Id saltem de Natura Antecedentis notandum, in sensu latiori hoc termino designari posse Causam, quippe quæ natura prior est Causato. Sed rectius nunc significat id, quod præexistit, cum aliquo respectu ad Consequens.

† 1. Sic Infans heri natus existit antequam existat Infans hodie natus: quia tamen mutuus non adest respectus, Antecedens dici nequit.

† 2. At Aurora quia antecedit diem, Nubes pluviam, Apertio valvarum illuminatum conclave, sicut detur mutuus respectus; rectè vocantur Antecedens.

† 3. Metaphysici appellant Causam, seu ut loqui malo Conditionem sine qua non. *Nisi Filius in Academiam fuisset dimissus, non potuisset à Vigilibus nocturnis verberari.* Sic Patris missio Antecedens est non Causa, sed saltim conditio, quâ

qua non impleta, talis quidem effectus contingere nunquam potuisset.

X. Est vero Antecedentis & Consequentis respectus vel necessarius vel contingens.

Necessarius est: *Erit extremum judicium.* E. *resurgent mortui. Arbor est viridis.* E. *habuit minutas gemmulas. Est senex.* E. *fuit puer.*

Contingens: *In Cœlo colliguntur nubes.* E. *pluet. Ingreditur templum.* E. *concionabitur.*

Neque curamus, an Necessitas sit interna an externa, dummodo valeat in argumentando. e.g. *celebramus Pentecosten.* E. *ante septimanas septem celebravimus Festum Paschatos.*

XI. Nunc ita dicimus.

1. Posito vel remoto Antecedente necessario, ponitur vel removetur Consequens.

Dormit E. clausit oculos. Noctu grassatur in plateis. E. perdet favorem apud Patronos meliores. Non curat libros. E. non fiet eruditus.

Id tamen non sequitur in Antecedente quod contingens est, e.g. *Mortuus est.* E. *sepelietur. Arbor floret.* E. *habebit poma.*

2. Posito vel remoto Consequente necessario, ponitur vel removetur Antecedens.

Jam habemus æstatem. E. nuper fuit tempus vernum. Concionatus est. E. ingressus est templum.

Minus tamen concludit Conſequens contingens, *tractavit libros. E. fuit in Schola.* Scit hiſtorias. E. hoc didicit à Præceptore.

3. Poſitis omnibus Circumſtantiis ſ. Concomitantibus, ponitur Res ipſa.

e.g. *Torvos habet oculos, Sputum è labiis effluit, loquitur confusè, ridet intempeſtivè, veſtes à ſe projicit, nudus de frigore non conqueritur, ſomnum habet vel nullum vel turbulentum, robuſtior eſt ſolito &c. E. eſt furioſus.*

Sed plura de his Concomitantibus Capite ſequenti.

CAPUT XIII.

De Loco Adjunctorum.

I.

ADjuncta vocantur, quæ in Prædicabilibus vel Propria dicuntur vel Accidentia, & quæ de Subjecto non prædicantur eſſentialiter.

II. Etſi vero quælibet Enunciatio beneficio Converſionis Adjunctum mutare queat in Subjectum; hoc tamen loco id Subjectum vocatur, quod *principale* eſt, Adjunctum, quod tanquam *minus principale* alterius gratiâ eſt.

e.g. Valet utraque prædicatio: *Manus habet Chirothecam* & *Chirotheca habet manum.* Sed commo-

modius eſt *Manum* dicere Subjectum, *Chirothecam* Adjunctum.

III. In Adjunctis maximè obſervantur, quæ Perſonis ita competunt, ut reſpectu ipſarum vel Bona vel Mala dici queant.

IV. Unde Adjuncta diſpeſcuntur in ea, quæ ſunt CORPORIS, ut *Sanitas*, *Statura*, *Pulchritudo*, *Senſuum perfectio* &c. & viciſſim, *Morbus*, *Membrorum defectus*, *Fœditas*, *Senſuum impotentia &c.* ANIMI. Iſtique vel connati, ut *Ingenii ac Reminiſcentiæ dexteritas*, vel acquiſiti, ut *Habitus Virtutum moralium & intellectualium*: In contrarium vero, *Tarditas*, *Turpitudo*, *Ignorantia*. FORTUNÆ. *Divitiæ*, *Honores*, *Potentia*, *Amici*, *Uxor*, *Liberi &c.* & ex adverſo, *Paupertas*, *Contemptus*, *debilitas*, *Hoſtes*, *Cœlibatus*, *Orbitas &c.*

V. Videbimus nunc, quomodo Subjectum cum Adjuncto ad Demonſtrationem ſive Probationem concurrat.

1. Poſito Subjecto, ponitur Adjunctum.

Limita, ponitur Adjunctum neceſſarium ſeu Accidens inſeparabile, e.g. *Ponitur Equus*. E. *facultas hinniendi. Ponitur corvus. E. nigredo.*

Viciſſim non valet, *Poſito Principe*, *ponitur Sanitas*, *Eruditio*, *Potentia &c.*

2. Remoto Subjecto, removetur Adjunctum.

Limita 1. *Adjunctum proprium*, e.g. *Non est Tutor*, E. *non est obligatus ad curandum pupillum.*

Limita 2. *Adjunctum in sensu speciali, quatenus est hujus Subjecti Adjunctum.* Perit Rosa. E. perit rubedo, non omnes, sed quæ spectabatur in Rosa.

Sic enim se habet Canon: *Unius Adjuncti*, generaliter concepti, *plura possunt esse Subjecta*, adeoque non sequitur: *Princeps habet virtutem.* E. *Subditus non habet virtutem.* Verum tamen est in sensu Speciali, Subditos non habere hanc ipsam virtutem, quæ velut in Subjecto reperitur in Principe. Confer quæ supra diximus de Subjecto Communi & Proprio. *pag. 114.*

3. Posito Adjuncto, ponitur Subjectum.

Limita, ponitur in sensu non *determinato & distincto*, sed *confuso & disjunctivo. Datur albedo.* E. *datur vel Creta, vel Charta, vel Lac, vel Lilium &c.* nam certè Adjunctum requirit Subjectum, cui innitatur.

Excipe tamen Proprium quarti modi: *Datur Facultas latrandi.* E. *datur Canis. Datur Amicitia.* E. *datur virtus.*

4. Remotis Adjunctis, removetur Subjectum.

Limita: Adjunctis *conjunctim acceptis*, & iis quidem *internis.* Nam sanè si bona fortunæ, magnam etiam Qualitatum Corporearum partem quis amittat, interim non desinet esse Homo. Ex adverso sic valet Consequentia: *non est*

est docilis, nec sensuum vigore pollet, nec loco movetur, nec nutritur, nec augetur, nec calidus est, nec socialis &c. E. *non est Homo.*

5. A divisis Adjunctis ad Conjuncta valet Consequentia.

Limita. *Si Adjuncta sint ejusdem generis.* Sic valet: *Johannes est disertus & Theologus.* E. *est disertus Theologus.* Nam & eloquentia & Theologia sunt dona animi. Vicissim non valet, *Johannes est pauper.* E. *est pauper Theologus*, quasi dicas paupertinam & misellam gerit Theologiam: siquidem paupertas est malum fortunæ, quod destruere nequit bonum Animi, vel *Johannes est claudus & Theologus.* E. *ejus Theologia claudicat*, quippe claudum esse, malum est Corporis.

6. Quale Subjectum, tale Adjunctum.

Limita, *in æstimatione civili.* Unde aliis verbis exprimitur Canon: *Subjectum auget minuitque æstimationem & dignitatem Accidentis.*

e.g. *Forma poculi expressa in auro, magis æstimatur, quam si referatur in stanno. Prudentia reperta in Principe, pluris habetur, quam si occurrat in plebejo.* Sic solemus tanto gratiores venerari Reliquias, quando præstantiores fuerunt Personæ possidentes: chariorque fuerit annulus à Patre donatus, quam ab Aurifabro emptus: *si cætera sint paria.*

CAPUT XIV.
De Loco Comparatorum.

I.

COmparata ſunt duo Subjecta, quæ conveniunt in Uno Prædicato, ſ. in uno tertio.

e.g. Rex & Paſtor ovium ſunt duo Subjecta, à ſe invicem ſatis diſtincta: conveniunt tamen in eo, quod utrinque obligantur ad curandum gregem.

II. Iſta vero Comparatio vel eſt *implicita*, cum duo diverſa Subjecta de ſe invicem videntur prædicari: *Rex* eſt *Paſtor*. Quaſi dicas: *ſi Paſtor curat gregem, beneficio Metaphoræ quilibet curam gregis habens hoc nomine poteſt deſignari: & in ſenſu hoc latiori Rex etiam eſt Paſtor*.

III. Vel eſt explicita, cum uterque Comparationis terminus clare & diſtinctè exprimitur. e.g. *Ut ſe habet Paſtor obligatus gregi, ſic ſe habet Rex obligatus populo*.

IV. Cæterum aliqua Comparatio eſt *nobilior*, alia *ignobilior*.

V. Ignobilior eſt, ubi Subjecta plane diverſa ob externam convenientiam commune Prædicatum admittunt.

e.g.

e.g. Chriſtus & Petra naturam non habent communem, ſed in eo tantum conveniunt, quod ſicut Petræ innititur Palatium, ſic Chriſto noſtra fides.

VI. Dicitur autem ignobilior, quod firmæ argumentationes abinde nequeunt deduci: niſi tandem â poſteriori.

† Sanè enim à Petra ad Chriſtum argumentari non licet, niſi firmum evadat hoc Principium: *Qc. prædicatur de Petra, id prædicari poteſt de Chriſto.* Sed aliqua certitudo accedit ſaltem à poſteriori, per experientiam, ſi pateat, tantum præſtare Chriſtum in firmanda fide, quam præſtat petra in ſuſtinendo Palatio. Sic demum licet concludere:

Qc. prædicatur de Petra reſpectu firmamenti, quod tribuitur Palatio, id prædicari poteſt de Chriſto, quatenus firmat fidem.

Sed Petra eo reſpectu dat ſecuritatem adverſus ventum & inundationem, E.

Chriſtus dat ſecuritatem adverſus omnem impetum.

VII. Comparatio Nobilior eſt, cum duo Subjecta, quibus eadem competit definitio vel deſcriptio, convenire dicuntur in uno Tertio.

e.g. Si compares Lutherum & Auguſtinum; facto Syllogiſmo hypothetico: *Si Auguſtinus æternâ Memoriâ fuit dignus ob refutatos Pelagianos, Lutherus quoque dignus erit Memoriâ ob refutatos*

tatos Pontificios. Subjecta conveniunt descriptione & officio: *Augustinus fuit Theologus & Episcopus, Lutherus fuit Theologus & Inspector s. visitator Ecclesiæ.*

VIII. Inde vero dicitur Nobilior, quod ob convenientiam utriusque Subjecti firmas etiam consequentias deducit à priori.

Nimirum simpliciter, nec prævià experientià licet concludere: *Qc. laudabile fuit in Augustino Theologo & Episcopo, id quoque pari modo paribusque Circumstantiis susceptum laudabile fuerit in Luthero ejusdem conditionis viro.*

IX. Utraque Comparatio vel attendit Qualitatem, h.e. *Nudam Prædicationem*, ejusque similitudinem; vel Qualitatem h. e. *Similitudinis aut æqualem aut Majorem vel Minorem Convenientiam*, seu, ut loquimur, *Paritatem & Imparitatem.*

† Fundamentum Paritatis & imparitatis est Analogia, quæ commune Prædicatum alteri adjudicat primario, alteri secundario.

X. Hinc communiter alio Loco agitur de Similibus & Dissimilibus, alio vicissim de Paribus & Imparibus.

† e.g. Simile est: *Maritus amat Sponsam, E. Christus Ecclesiam.* Argumentum ab Imparibus s. Minori ad Majus est: *Maritus (qui amandi tantas non habet vires, ac sæpius abripitur amore concupiscentiæ quàm amicitiæ)* amat Sponsam, E. *Christus*

stus (qui novit amare perfectius) magis amabit desponsatam sibi Ecclesiam.

XI. Et ea quidem Paritas & Imparitas vel est *Terminorum simplicium* seu *Rerum*, vel *Propositionum*.

XII. Termini simplices Comparationem fundant in Analogica convenientia. e.g. *Princeps est Magistratus, Consul est Magistratus: sed tamen hic terminus magis competit Principi, ut Consul ad Principem relatus eidem planè sit impar.*

XIII. Propositiones fundant suam Comparationem in Majori vel Minori probabilitate. e.g. *Magis probabile est, Filium amari à Matre, quàm à peregrinâ.*

† Sanè utriusque Comparationis non est omnimoda diversitas, nam ut retineamus exemplum allatum, sic cogitabimus de fundeamento. *Matris amor erga filium major est quam peregrinæ.* (En Comparationem Terminorum simplicium.) *E. Qc. prædicabitur de amore peregrinæ in filium, id probabilius dicetur de Amore Matris.* (En Comparationem integræ Propositionis, è priori deductam.)

XIV. De Similibus habemus Canones.

1. Simile non est idem.

h.e. Nihil comparatur ad se ipsum, sed opus est, ut duo Subjecta inter se comparanda minimùm differant numero. Adeoque Comparatio quibus-

busdam dicitur nota diversitatis; scilicet, ut paulo post videbimus, nota Oppositionis Relativæ.

Sicut autem nihil comparatur ad seipsum, ita vicissim, *Omnes res comparari possunt ad quodvis*, h.e. nunquam excogitari poterunt duo Subjecta, quæ non conveniant in uno Prædicato. Mirum tamen non est, si plerumque non emergat rigor Logicus, sed lusus Rhetoricus, cui generi potissimum nuda similia solent relinqui.

e.g. Ut prosequi hos lusus liceat, quid magis disparatum, quam *Elephas* & *Furca calefactoria?* Sed promptissima est Comparatio: *ut se habet Actor s. Director ad Elephantem, sic Calefactor ad Furcam*: & porro: *Sicut Furca non committenda Calefactori inepto, ne destruat Fornacem; ita Elephas homini inepto non est relinquendus, ne bestia turbet ordines militares.*

2 Quicquid prædicatur de uno Similium, id etiam prædicatur de altero.

Limita 1. Qc. prædicatur de uno Similium, *quod in hoc tertio verè est Simile.* Sic ineptus esset, qui vellet è numero sex hydriarum positarum Canæ Galilææ argumentari ad sex Prædicamenta.

Limita 2. id *respectu solius hujus tertii* prædicatur de altero. e.g. Paterfamilias Principi in hoc est similis, quod uterque subjectæ suæ Societatis curam gerere debet. Quamobrem sequitur: *Ut Princeps curam habere queat Reip. necessaria est Civium obedientia: parique modo ut Pa-*

terfa-

terfamilias curare queat familiam, opus habet obedientia familiarum. Porro: *ut Princeps neminem habet superiorem in Rep. Sic Paterfamilias, neminem in Familia.* Sed absurde colligeretur: *Ut Princeps accusari nequit apud Judicem terrestrem, ita nec Paterfamilias.* Nam in hoc Tertio non data fuit convenientia.

Et hoc est, quod JCti sæpius in ampliandis Legibus observant: *Pupillus seipsum curare nequit, ac interest tamen Reip. ne deseratur; adeoque Lex eidem assignavit Curatorem.* Jam Ecclesia *seipsam curare non potest, neque tamen salvâ Rep. potest negligi:* E. quia conveniunt in hoc Tertio, ad eam simul extendetur hæc consequentia, *opus fore Curatoribus, & quicquid de Curatoribus pupillorum exprimitur in Legibus, id quoque in Praxi posse applicari ad Curatores templorum.*

Ea res Everardo JCto *in Locis suis Legalibus* amplissimum comparandi campum aperuit: *A servo ad monachum; A Liberto ad Vasallum; A Feudo ad Emphyteusin; A commodato ad precarium; à montractibus ad ultimas voluntates; A Milite armatæ Militiæ, ad Militem cœlestis Militiæ; A Dote ad piam causam; A Fisco ad Ecclesiam, vel ad dotem; A minoribus ad fiscum &c.*

3. Qc. prædicatur de uno Dissimilium, id negatur de altero.

Aliter diceres: *Dissimilibus Dissimilia conveniunt.* e.g. *non ut se habet stramen ad flammas, sic fides ad persecutionem.* Inde etiam sequitur: *stramen ad flammas perit. E. fides ad persecutionē non perit:*

Sed iterum ſubintellige Diſſimilia, *quatenus ſunt talia.* Nam ſi retineamus exemplum modo allatum, quis vetat ſic argumentari? *Qc. ſtramini competit reſpectu flammarum, id fidei reſpectu Amoris cœleſtis. Jam ſtramen ad flammas, relictis cineribus, ipſum abit in flammas. E. Fides ad Amorem cœleſtem, relictis terreſtribus, ipſa reſolvitur in ignes cœleſtes.*

XV. De Paribus habetur Canon.

Qc. de uno Parium affirmatur aut negatur, id etiam de altero.

† Confer quod de Similibus modo dictum eſt: Pleraq; enim exempla hic ſimul inveniunt locum.

XVI. De terminis ſeu Rebus imparibus notetur:

1. De quo prædicari poteſt Majus, de iſto etiam Minus.

Limita: ſi minus in majori contineatur. *Poteſt ſcribere Orationem. E. & Periodum. Poteſt vendere Prædium. E. etiam oppignorare.*

2. De quo negatur Minus, de eo negatur Majus.

Non poteſt pingere literas, E. non dabit epiſtolas ad Imperatorem. Nondum attigit Digeſta. E. non ſcribet Commentarium.

XVII. De Propoſitionibus imparibus hoc valet.

De quo negatur, quod magis probabile eſt, de eo negatur minus probabile.

Ne dignus quidem est, ut fiat Ecclesiastes paganus. E. non erit dignus officio Superintendentis.

Non benefacit propriis liberis. E. parum curabit peregrinos.

5. De quo affirmatur, quod minus probabile est, de eo, simul affirmatur, quod magis probabile est.

Misericordiam exhibuit hosti. E. multo magis Amico & Civi. Templis & Xenodochiis imminuit reditus, E. non parcet Mercatoribus.

XIIX. Aliqui hoc loco inquirunt in Fundamenta, cur quid dicatur vel magis vel minus probabile; vel etiam, cur aliqua res simplex majorem alicujus Prædicati convenientiam habeat præ altera? Sed ista facilè resolvuntur è præcedentibus. Nam si spectes doctrinam Causarum, jam notum: *Cui competit Causa in gradu nobiliori, id magis esse tale.* e. g. *Causa caloris in Juvene est nobilior, quam in sene. E. calor ipse major est. Inquisitio boni Professoris magis facit ad studia, quam inquisitio lauti Convictorii. E. Studioso magis competit curare Professorem quàm Convictorē.* Deinde si spectes farraginem Distinctionum supra positarum: *Cui quid competit absolute, magis tale est, quàm cui hypotheticè s. respectivè. Cui quid actu, magis tale est, quam cui potentia &c.* Quid multis? *Cujus Nomen, De-*

 finitio,

finitio, Partes, Species & quicquid in Topica docetur, est præstantius, id ipsum respectu alterius majorem habet præstantiam.

CAPUT XV.
De Loco Oppositorum.

I.

Quomodo se habeant & Disparata, & in sensu strictiori accepta Opposita jam explicuimus *pag.174.* quibus addi potest doctrina de Oppositionibus Enunciationum *pag. 28. sqq.*

II. Quamobrem videbimus, quid sibi velint Canones.

1. Posito uno Oppositorum, removetur alterum.

2. Posito uno Oppositorum, ponitur alterum.

† 1. Equidem inter se pugnare videntur Canones, quos tamen conciliabit limitatio.

† 2. Nam primi Canonis hic est sensus: *De quo Subjecto prædicatur unum Oppositorum, de isto Subjecto removetur alterum.*

e.g. In Relativis: *De hoc Subjecto prædicatur Paternitas, E. ad idem, secundum idem removetur Filiatio.*

In Contrariis: *De hac Aqua prædicatur Calor. E. removetur Frigus.*

In

In privativis: *De oculo prædicatur facultas videndi. E. removetur Cæcitas.*

In Contradictoriis: *De ipso prædicatur doctrina. E. removetur id, quod vocatur non Doctrina.*

†3. Alterius Canonis sensus est: *Cum datur Subjectum, de quo prædicatur unum Oppositum, ex adverso datur aliud Subjectum, de quo prædicetur alterum Oppositum.*

e.g. In Relativis: *Si adest Subjectum, de quo prædicetur Paternitas, erit vicissim aliud, de quo prædicetur Filiatio.*

Si objicias: *datur Aqua frigida, si vel maximè non sit calida*; Respondeo, frigus in Aqua vel spectari *absolutè*, ut Qualitas; vel *Comparatè*, ut Oppositum. Adeoque Aqua frigida non erit contraria actu, nisi existat Subjectum habens contrariam Qualitatem.

Si dicas: *dantur homines videntes ubi nullus est cæcus.* Respondeo: Sic non datur Oppositio Privativa.

Si instes, *Quid si in Conclavi meros habeamus cæcos?* Respondeo: Sic daretur oppositio Privationis ad habitum. Si quæras: *Ubi est habitus?* Resp. Privatio est *absentia Actus secundi*, quam ad sui perfectionem requirit *Actus primus. vid. p. 182.*

Et ex hoc fonte resolvitur Objectio: *In statu innocentiæ fuisset summa felicitas. E. etiam summa infelicitas.* Felicitas enim considerata fuisset absolutè *ut Innocentiæ attributum*, non respectivè ut *Infelicitatis oppositum.*

3. Oppositorum eadem est Scientia.

† 1. h. e. Se mutuo inferunt & exponunt. Sed limita, quatenus respectivè cognoscuntur ut Opposita: non quatenus absolutè peculiarem habent naturam. e. g. *Quomodo Albedo disgreget visum, melius nequit ostendi, quam si declaretur simul, quomodo Nigredo visum colligat vel congreget, & quomodo qui aspecta nive cæcutit, clausis oculis aliquam captet nigredinem s. umbram, cujus beneficio redeat visio.*

Aliter diceres: *Opposita* vel specialius *Contraria juxta se collocata magis elucescunt.*

† 2. Est etiam alia Canonis explicatio: *Opposita referuntur ad eandem Scientiam s. Disciplinam.* Si enim Theologia docet, *quis sit Christianus*, simul docet *quis Hæreticus*, seu ut loquar latius: Si quis dogmata profert *Positiva quoad Thesin:* afferre simul debet *Polemica quoad Antithesin.*

4. Oppositorum opposita sunt Attributa, seu oppositæ Consequentiæ.

Limita: *Quatenus sunt Opposita.* Sic rectè concludo: *Temperantia sanitatem conservat. E. Intemperantia eandem destruit. Virtus affert laudem; E. scelus vituperium.*

Si dicas: *Mala opera damnant. E. bona opera justificant:* concedam totum argumentum, si ostenderis Opera tam perfectè bona, quâm absolutè opera sunt mala: nam sanè Opera Christi perfectè bona justificant. Aliàs si spectes hominum opera, quæ secundum quid vocari solent

lent bona, Oppoſitio non eſt ſecundum idem. Quippe Opera abſolutè mala & reſpectivè bona, ad ſe invicem comparantur.

5. In Contrariis & Privativis, Quod Subjectum admittit unum Oppoſitorum, admittere etiam poteſt alterum.

Eſt calidum. E. poteſt aliquando eſſe frigidum. Videt, E. poteſt eſſe cœcus.

Sed limita: *niſi unum hoc Oppoſitorum ſit Accidens inſeparabile*. Sic non valet: *Ignis eſt calidus. E. poteſt fieri frigidus. Cygnus eſt albus. E. poteſt fieri niger.*

6. Privatio præſupponit Habitum.

e.g. *In judicio fui liberatus. E. fui obligatus. Factus ſum pauper. E. fui dives.* Novi quoque in judicio ſic argumentari Advocatum adverſus clientem alterius partis: *Tu præſtitiſti juramentum purgatorium*, h.e. te purgaſti, ſeu removiſti ſordes. E. *aliquando fuiſti maculatus.*

Quod ſi tamen genuinum ſenſum quis velit eruere commoda fuerit hæc Paraphraſis: *Nihil poteſt negari quoad Actum ſecundum, niſi adſit Actus primus.*

Et Actus quidem primus h. l. vel accipitur *Phyſicè*, pro potentia, cui denegatur exercitium, ut Infans à primâ nativitate ſurdus, tamen habere creditur audiendi potentiam, ſed impeditam, & ab actu ſecundo remotam: vel *Moraliter* pro jure vel debito aliquid præſtandi, cujus itidem

 abeſt

abeſt exercitium. e.g. *Princeps habet Jus metallorum, ſi non exercere poſſit aut non velit, abeſt Actus ſecundus.*

Sic Ignorantia dicitur vel *negativa* vel *privativa*. Si Ruſticus neſciat definitionem uſucapionis, Ignorantia eſt negativa; tam parum enim à Ruſtico hæc notitia requiritur, quàm à Lapide viſio. Si JCtus talia neſciat, eſt privativa, quoniam is vi Profeſſionis obligatus erat, adeoque velut Actum primum habebat, ut iſta in ipſo opere oſtenderet.

Hoc eſt: *Probatio præſupponit Subjectum habile, vel phyſicè, vel moraliter.*

CAPUT XVI.

De Loco Exemplorum & Teſtimoniorum.

I.

VIdimus Locos Argumentorum *artificialium*, h.e. quæ expoſita ſunt hominis judicio, ut cogitando ad eorundem notitiam perveniat. Nunc de Exemplis & Teſtimoniis agendum, quæ nobis argumenta ſuppeditant *inartificialia*, h.e. quæ potius ab Experientiâ & Memoriâ, quam ab Inventione & Judicio dependent.

II. Et

II. Et ſanè, quomodo argumentum aliquod capi ſoleat ab Exemplo, jam vidimus *pag. 86.* Sed quia in Exemplo id probatur per factum, quod in Teſtimonio per dictum ſeu ſcriptum, ac adeò in ipſo ſenſu parum intercedit diverſitatis, non abſurdum fuerit generaliter nunc agere de Teſtimonio.

III. Et ſanè, quicquid ad hunc Locum dici poteſt, brevi hoc Canone concluditur: Qualis Testis, Tale Testimonium.

IV. Cum igitur Deus maximè ſit infallibilis, ac ipſa Veritas: *A teſtimonio divino argumentari licet affirmativè & negativè.*

> *Deus dixit, credentem fore ſalvum,* E. *fiet ſalvus.*
> *Deus non dixit, per opera electitia promerendam eſſe gratiam.* E. *nemo promerebitur.*

Sed limita: *In omnibus rebus à teſtimonio divino licet argumentari affirmativè.* h.e. *Qc. Deus dicit, verum eſt: ſed ſaltim in rebus fidei licet argumentari negativè,* Unde non ſequitur: *Deus de Materia prima, de Subjecto Summi Boni, de Monarchia vel Democratia &c. nihil determinavit in Scriptura.* E. *nihil de his credendum eſt.* Nam ſanè Civilia & doctrinalia libero noſtro judicio relicta DEUS tum noluit tractare niſi per accidens, cum ventilaretur quæſtio noſtræ Salutis. Unde viderint alii, quo ſucceſſu Machiavellum è Libris Regum poſſint illuſtrare.

V. Deo subalternatur Natura rationalis, quæ instillante Deo certa & infallibilia fovet Principia. Inde, *à testimonio Naturæ rationalis licet argumentari affirmativè, non negativè.*

Sed limita 1. A testimonio *rationis rectæ non corruptæ &c.* Quod enim Hobbesius Naturæ principium agnovit *Bellum contra omnes*, sanè omnes habuit contrarios, qui vel propria cogitatione, vel Scripturarum Sacrarum collatione melius judicaverunt de Statu recto s. perfecto.

Sic Machiavellus credit: *O. id esse legitimum, quod Principi est utile.* Ac adeo *fidem quoque simulari posse & denuo falli, sicubi requirat utilitas.*

Limita 2. A testimonio *positivo* non *negativo*, h. e. dicere possumus: *Qc. natura rationalis ponit vel prohibet, id est legitimum vel illegitimum.* Sed non valet: *De quô natura tacet, id est illegitimum.* Nam e. g. Natura nihil constituit *de Venationibus, nihil de Servitutibus, de Testamentis:* neque tamen, si postea in ejusmodi constitutiones consenserunt vel omnes Gentes, vel unius Reipublicæ Legislatores, injustum quid creduntur constituisse.

Cæterum ad testimonium hoc referuntur omnia Principia prima, quæ Objecta sunt Virtutis Intellectualia, quam dicimus *Intelligentiam*, & cujus Peculiarem aliqui disciplinam faciunt *Noologiam:* an nimis necessariam, alii judicent. Sanè Disciplinarum Moralium Principia variè hactenus expoliuntur: postquam Grotius *Belli & Pa-*

& Pacis suum *Jus* velut facem animis politioribus præferre est visus.

VI. Aliquam certitudinem à posteriori habent sensus, in illis præsertim casibus, ubi constat, decipi Sensum non posse.

Sic sanè firmum satis argumentum est: *Vidi oculis meis Johannem verberari à Carolo. E. verum est.* Firmum inquam est *ad credulitatem*, si vel maximè non sufficiat alteri *ad Persuasionem.*

Sed malè colligeres: *Vidi in nubibus signum stellæ cadentis, vidi tres vel duos Solos. E. Stella cecidit. E. Sol non amplius faciet Speciem Monadicam.*

Hinc solemus credere Historicis, qui propriam visionem ac præsentiam allegant, qualem Galli habent *Cominæum*, Germani nostri *Hubertum Thomam*: etsi fidem apud omnes non inveniunt, qui prælia pulvere & fumo confusissima, sua tamen oculorum acie sic fuerunt complexi, ut vel possint depingere.

VII. Probabilem Certitudinem facit Consensus saniorum hominum.

Hinc etiam Grotius in firmando suo Jure maximam partem provocat *ad Consensum Gentium*, ignarus interdum, an istæ Gentes tum principia rationis rectæ observassent.

Sanè omnes Scythæ ab hominum memoria usque ad hodiernos Tartaros & Cossacos consentiunt in justitiam Latrociniorũ publicorum. Orientales consentiunt in Polygamiam. Indiani in vagam

vagam libidinem, cum tamen testimonium, hoc allegari nequeat efficaciter.

Unde limita: Certitudinem fieri, *non tam in judicio internæ honestatis, quàm in rebus Politicis & Doctrinalibus seu Artificialibus.*

e.g. Pulchra Puerorum *etiam in negotio internæ honestatis* argumentatio est: *Pater dixit, colendum esse Deum, tractanda studia, nemini adversandum.* E. *faciendum est.* Sed si Pater corruptus jubeat *sectari ebrietatem, vel ipse filium provocet ad aleam?* Videant igitur, quâm pulchrè se defendant Probabilismi Auctores, qui vel ex unius Doctoris opinione probabilem reddunt actionem conscientiâ maximè dubia, imo reclamante, suscipiendam.

In Politicis credimus *Legislatori;* in Doctrinalibus *Artifici*, quem præ cæteris agnoscimus excellentiorem. Et hinc in defectu Legis Judex sæpe refugit *ad Consensum & Auctoritatem Doctorum, si non omnium, certè plerorumque vel probatiorum.*

IIX. Certiora tamen evadunt hominum testimonia, si accedat Ratio vel Demonstratio.

Sic Artifices sua produnt experimenta: Historici ex eventibus & aliis circumstantiis probant, quam verisimilis sua fuerit sententia.

Sed hoc tandem non est argumentari à Testimonio, sed ab alio Loco, sive Effectus, sive Circumstantiarum &c.

IX. Quid

IX. Quid multis? Teſtimonia ultimi generis ſplendorem excitant apud Oratores, qui ſectantur externum applauſum; non apud Doctores, qui demonſtrandi officium ſuis humeris ſentiunt impoſitum.

X. Facta hominum æquiparantur Teſtimoniis. Quod enim quis dicit, cum non adeſt agendi occaſio, id creditur agere velle, cum tempus ſe offert: Et viciſſim quæ tanti ſunt, ut agantur, tanti ſunt, ut dictione noſtra confirmentur.

XI. Quod ſi è Factis ſ. Exemplis ita velis argumentari, ut quæ fortuna ſequatur unius factum, ea etiam ſperari debeat in facto alterius. e. g. *Alexander ad milites furioſos procurrens ſeditionē compoſuit. E. Imperator Galba id etiam ſperare potuit:* Sanè prolixa opus Limitatione, ut ſaltem aliqua emergat Probabilitas.

XII. Primo enim: *Qc. conſpectū fuit in Exemplis omnibus:* Deinde, *quod conſpectū fuit in Exemplis ne vel ab unâ circumſtantia diverſis, id tribui poteſt factis nunc contingentibus.*

† Sic ſi videas *periiſſe Neronem, Caligulam, alioſque Tyrannos*, conjectura valet: *Ergo hic Tyrannus ſicca morte non peribit.* Quanquam & in his datur exceptio, ut qui hujus Seculi hiſtorias obſervant, mortuo Cromvvello fateantur *Tyrannū & Regicidam ſicca morte occubiſſe.*

† 2. Sed diversitatem è Circumstantiis colligimus, *Nero, Caligula, Heliogabalus, Commodus & alii parum providi, dum confidunt potentiæ publicoque Civium timori, interierunt; E. Omnes positis his Circumstantiis sunt perituri. E. Cromwelus ab his circumstantiis alienus, ex hoc argumento non vidit pereundi occasionem.* Interim satis de materia, quam in Rhetoricis exponere facilius est.

CAPUT XVII.
De Exercitio Locorum Topicorum.

I.

QUI sint Loci Topici, & quam breviter eorundem doctrina comprehendi possit, jam aliquot capitibus fuit demonstratum, sed ipsa hæc plana satis notitia, nondum sufficit discentibus, nisi nunc succedat exemplorum apparatus, cui accommodentur regulæ superius expositæ.

II. Præmonebimus tamen nonnulla, priusquam de ipsis exercitiis dicere ingrediamur.

III. Primo famosa apud Aristotelicos est Ramistarum secta, nomen indepta à Petro Ramo, qui circa annum 1543. in Gallia inclaruit, donec ipse Reformatus seu Hugonotta interiret in Laniena Parisiensi. Is correcturus modum

dum docendi apud Ariſtotelicos uſitatum, Dialecticam dixit *Artem diſſerendi*, ejusque duo fecit adminicula: *Inventionem argumentorum*, & *judicium de argumentis rectè diſponendis*. Utriusque fundamenta quæſivit è Locis Topicis, quorum occaſione primum non voces ſaltem eſt interpretatus, quæ occurrunt in Prædicabilibus, ſed etiam perrexit ad alios terminos, in Metaphyſicis alioquin explicari ſolitos.

IV. Aſt in hoc malè ſibi proſpexit Ramus, quod manifeſtū Ariſtotelis odium præ ſe ferret, cum tamen is omnia ſua hauſiſſet ex Ariſtotele, & ſciret in tanta Ariſtotelicorum copia non defore hoſtium copiam ſatis acerbam.

V. Et crediderim verò, niſi nodum ſæpe quæſiviſſet in ſcirpo, & in qualibet Ariſtotelis definitione & diviſione curioſulam nimis exercuiſſet induſtriam; ſed potius Logicam ſuam dixiſſet Dilucidationem Topicorum Ariſtotelis; non defuturos fuiſſe ex ipſis Ariſtotelicis, qui vel excuſarent vel ſequerentur. Nam quoties Scholaſtici planè abeunt ab Ariſtotele? quos tamen toleramus & veneramur, quia nobiscum provocant ad Ducis Nomen.

VI. An novæ Religioni per Galliam tum ſuccreſcenti Methodum hanc Logicam voluerit

luerit applicare, rationisque libertatem in quavis probabilitate potentem oſtendere fuerit conatus, aliorum eſto judicium.

VII. Interim, qui Topicam proponere jubentur, non negabunt conſuli poſſe Ramiſtas, in Regulis & Exemplis copioſiſſimos: præſertim ex quo tempore JCti etiam Logicæ Juridicæ præcepta ad hanc ipſam formam elaborare non dubitaverunt: ſaltem meminerint, ſeparanda, quæ vel inanem curioſitatem, vel nimis ſuperſtitioſam Locorum & Conceptuum diſtributionem ſapiunt.

IIX. Deinde notandum: Topicam hanc, Politicis & JCtis apprimè commodam diſponi ſecundum voces è ſpeculativâ Philoſophia petitas, quas mirum non eſt aliter interdum atque aliter accipi: ſiquidem ipſa Politica conſiſtunt in hominum opinione ſ. imputatione, ut vario modo notiones ſecundas admittant.

† 1. Dabo Exemplum è Politicis, ſeu è Speciali Germanorum Politica, quam vocamus Jus publicum. *Quomodo Juriſdictio Territorialis dividatur à Regalibus?* Quæſtio eſt variis reſponſionibus ſoluta. Wurmſerus *Exercitat. 3. quæſt. 7. fin.* vult diſtingui *ut Totum à parte*. Mylerus *de Principp. cap. 36. num. 4.* differentiam agnoſcit ut *Generis & Specierum*. Struvius *Diſſ. de Superior. Territ. theſ. 26.* differre eadem ait, *ut Cauſam & Effectum*. † 2. Nec

† 2. Nec est cur aliquem contemnamus. Sic enim Anima nostra dici potest *Totum Potestativum*, cujus *partes* sunt Intellectus & Voluntas. Si abstrahas *Potentiam animæ*, quam ille jam exprimit, qui Totum Potestativum vocat; *Potentia* hæc velut *Genus* sub se complectitur Species, *intelligendi volendique potentiam*. Si denique cogites ab ipsa Animæ natura profluere singulas Facultates, *ut Proprietates à Differentiâ: Causam* dices Animam, *Effectus* intelligendi & volendi facultatem. Ut valeat argumentatio Causalis: *Ubi est Ratio, ibi intellectus, ibi voluntas.* Quamobrem pari licentia Conceptus de *Majestate* & ejus Analogo, *Superioritate*, tanquam de Anima Reip. poterimus efformare.

IX. Hinc quilibet studeat loqui quàm accuratissimè, neque tamen alios aliter loquentes ab omni veritate putet aberrare: præsertim in Oratoriis, quæ plerumque ad rigorem in Logicis & Didacticis observandum assurgere non solent.

X. Porro monendum, esse aliqua Argumenta ex his Locis deducta vel *Explicantia*, vel *Demonstrantia & Probantia*, vel *Amplificantia & Illustrantia*, quæ tamen quoad suam naturam ibi explicantur, cum doceri debet Praxis interpretandi.

XI. Quamobrem aliquam Topices utilitatem videbit Liber sequens de Methodo; nec

minorem commoditatem probabit Liber de Interpretatione. Nunc ſufficiant Exercitia, quatenus ea verſantur circa Probationem Theſium.

XII. Si quis enim Auditoribus ſuis Locorum modo expoſitorum Praxin velit reddere familiarem, duobus Exercitiis incumbat neceſſe eſt, *1. ut Propoſitis clariſſimorum Auctorum Sententiis, de medio termino è variis Locis eruendo cogitare jubeat. 2. Ut in Syllogismis jam confectis Præmiſſarum probationem poſtulet.* Quantum enim hæc res tum ad expeditam Orationis elaborationem, tum ad accuratum diſputandi uſum contribuat, nemo rectius novit, niſi quem politiorem reddidit experientia.

XIII. Utrumque ſic deducemus, ut, quomodo exempla queant ſubſterni, clarum evadat.

Exercitium Topicæ in probandis Sententiis.

Nihil ſanè pulchrius eſt, quam in adoleſcentum memoriâ Sententias implantare futuras in vita & ſermone utiles: eo quidem artificio, ut ſingulis diebus unica Sententia priſtinis adjecta, velut neſcientibus augeat cumulum. At ſi crebra repetitio memoriam reddiderit ſecuram; ulterior induſtria

ſtria ad Exercitia Chriarum progredietur, adeoque inveniendarum ætiologiarum occaſionem ſubminiſtrabit: Cui quidem labori, acuendis ingeniis commodo, quantum inſerviat doctrina Topica, jam videbimus, adductis Sententiis, quas Optimi noſtri Majores poſt illuſtratam Scholam legi voluerunt in Primæ Claſſis Auditorio.

I.

Ariſtot. Turpe eſt ignorare, quod omnibus ſcire convenit.

Ætiolog. 1. *è Loco Generis.* O. Ignorantia eſt turpis. E. multo magis eorum, quæ ſciri quàm maximè debent.

Ætiol. 2. *è Loco Cauſæ Efficientis.* Talis ignorantia venit à ſupina negligentia, quæ rebus adeo claris & obviis non vult invigilare.

Ætiol. 3. *è Loco Comparatorum, & quidem minòris ad majus.* Si ignorantur, quæ ſciri debent à ſingulis, adeoque facilius adeſſe poſſunt; quanto magis ignorabuntur reliqua: & quam pronum argumentum ad plenam ejusmodi hominis ignorantiam.

2.

Plato: Ridiculum eſt, cum quis ſua ignoret, aliena ſcrutari:

Ætiol. 1. *è Loco Contrariorum.* Nam repugnat veræ Prudentiæ, cujus officium eſt cognoſcere, quid ſibi, non aliis tantum conducat.

Ætiol. 2. *è Loco Cauſ. Effic.* Scrutandi enim hæc ſedulitas non provenit ab ardore ſciendi: quip-

pe aliàs inchoaretur à rebus propriis; ſed à ſtulta & planè inepta curioſitate.

Ætiol.3. *E Loco Effectorum.* Nam ignorantia rerum propriarum affert damnum vel contemptum; curioſitas rerum alienarum parit vel odium vel ludibrium.

3.

Auguſtin. Contumacia non ſinit hominem corrigere.

Ætiol.1. *è Loco Definitionis.* Nam contumacia eſt vitium, in exceſſu peccans contemnendo aliorum admonitiones. Sic qui neminem audit, media correctionis jam velut pedibus conculcavit.

Ætiol.2. *è Loco Effectorum.* Nam contumacia introducit ſtudium contradicendi, h.e. hoſtem correctionis.

Ætiol. 3. *è Loco Adjunctorum.* Contumacia non ſentit deſiderium aliis placendi; E. etiam non ſentiet deſiderium ſua corrigendi.

4.

Publ. Syr. Cito ignominia fit ſuperbi gloria.

Quaſi dicas: *Superbus dum gloriatur, invenit ignominiam.*

Ætiol. 1. *è Loco Cauſæ Effic.* Nam adeſt cauſa ignominiæ, odium eorum, qui ſuperbis moribus offenduntur.

Ætiol.

Ætiol. 2. *è Loco Objecti.* Nam gloriatio ſeu jactantia non verſatur circa virtutem, ſed circa res ementitas adeoque vanas, & ad ignominiam non immerito proclives.

Ætiol. 3. *è Loco Generis.* O. mendax invenit ignominiam. E. etiam ſuperbus, qui quanto magis gloriatur, tanto minus abeſt à mendace.

5.

Cat. Maj. Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effœtum corpus ſenectuti tradit.

Ætiol. 1. *è Loco Definitionis.* Effœtum corpus eſt, cui & juſtus calor, & debitus humor deeſt. Jam Libido & Intemperantia utrumque minuunt.

Ætiol. 2. *è Loco Comparatorum.* Si Veris iniquiorem tempeſtatem ſequitur Autumnus parum fertilis: Cur talia ſperare non debemus de Ætatibus humanis.

Ætiol. 3. *è Loco Conſequentium.* Nam hanc pœnam Deus immittit poſt commiſſa flagitia.

6.

Eurip. Mali Viri Voluptates malæ.

Ætiol. 1. *è Loco Cauſæ Efficient.* Nam Qualis Cauſa, talis Effectus. Qualis Arbor, talis fructus.

Ætiol. 2. *è Loco Generis.* Nam cujus omnes actiones ſunt malæ, ejus etiam recreationes erunt tales.

Ætiol. 3. *è Loco Oppoſitorum.* Si Virtutis Adjunctum erit Voluptas honeſta; Vitiorum Adjuncta fuerint voluptates inhoneſtæ.

7.

Aristot. Non omne quod apparet, verum est.

Ætiol.1. *è Loco Causæ Efficientis.* Nam qui res varias nobis exhibent, sæpe sunt deceptores.

Ætiol.2. *è Loco Specierum, vel si quis malit, Exemplorum.* Orichalcum apparet aurum, nec tamen est. Barbatus Philosophus apparet doctus, nec tamen est &c.

Ætiol.3. *è Loco Definitionis.* Nam verum est, quando conceptus consentit cum re. Sed omnis apparentia cum re non consentit.

8.

Aristot. Irasci in quibus non oportet, & non irasci in quibus oportet, hominis insipientis est.

Ætiol.1. *è Loco Definitionis.* Nam Prudentia est, cum quis facere novit singula, ut oportet.

Ætiol.2. *ex eodem Loco.* Nam insipientia est vel excedere vel deficere, h.e. facere, quæ non oportet, non facere, quæ oportet.

Ætiol.3. *è Loco Causæ Finalis.* Nam qui sic irascitur, nescit finem, cur Deus irascendi facultatem homini concesserit.

9.

Plato. Pejus est Injuriam facere, quam pati.

Ætiol.1. *è Loco Subjecti.* Nam patiens potest esse Virtutis sectator; faciens non nisi malus.

Ætiol.

Ætiol. 2. è *Loco Consequentium*. Nam Injuriæ illationem sequitur mala Conscientia; passionem comitari potest Conscientia bona.

Ætiol. 3. è *Loco Adjunctorum*. Injuriam faciens habet bonorum odium, patiens eorundem favorem & misericordiam.

10.

Aristot. Agere inconsultum, Stultitiæ signum est.

Ætiol. 1. è *Loco Definitionis*. Prudentia enim, Stultitiæ contrarium est, quæ jubet in omnibus respicere finem.

Ætiol. 2. è *Loco Effectorum*. Nam tali modo agens in eventu ludibrium invenit & damnum.

Ætiol. 3. è *Loco Subjecti*. Qui enim præcipitantiam agendi semel amplectitur, vel est ignavus, ut cogitare nolit, vel stupidus, ut cogitare non possit.

11.

Cicer. Invidia Virtute parta, gloria putanda est.

Ætiol. 1. è *Loco Subjecti*. Nam hanc Invidiam pertulerunt homines præstantissimi.

Ætiol. 2. è *Loco Definitionis*. Nam Gloria est Deprædicatio virtutis.

Ætiol. 3. *ex eodem Loco*. Nam Invidia est Confessio alienæ Præstantiæ.

12.

Seneca. Turpiſſima eſt jactura, quæ per negligentiam fit.

Ætiol. 1. *è Loco Conſequentium.* Nam iſta jactura poſt ſe trahit aliorum cenſuram, velut de juſta pœna lætantium; cum ex adverſo jactura præter noſtram culpam contingens mereatur miſericordiam juvandique promptitudinem.

Ætiol. 2. *è Loco Definitionis.* Nam Jactura turpis eſt, quam quis propria cautione potuiſſet avertere.

Ætiol. 3. *è Loco Cauſæ Finalis.* Homo creatus eſt, ut agat: quo quis igitur ab hoc fine diſcedit longius, eo majorem incurrit turpitudinem.

13.

Quintil. Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.

Quaſi dicas: *Avarus non habet, quod habet.*

Ætiol. 1. *è Loco Conſequentium.* Nam deeſt Conſequens h. e. uſus divitiarum. E. etiam deeſt Antecedens ſeu vera poſſeſſio.

Ætiol. 2. *è Loco Adjunctorum.* Nam qui aliquid habet, iſtud poteſt alienare: cum vero ab Avaro abſit hoc Adjunctum, nec poſſit alienare captivam ſuam pecuniam; merito dicitur non habere.

Ætiol. 3. *è Loco Contrariorum.* Nam Avarus habetur ſ. poſſidetur à divitiis, inſtar ſervi. E. easdem ipſe non habet, quod convenit Domino.

Eurip.

14.

Eurip. Loquacitas & mala Conversationi, & inutilis Civitati.

Ætiol. 1. *è Loco Effectorum.* Nam Loquacitas parit sive contemptum, sive inimicitiam. Quis vero converſetur cum contempto? quis Civitatem credat regi poſſe ab homine minus amico.

Ætiol. 2. *è Loco Cauſæ Finalis.* Nam Loquacitatis finis eſt, ſive propria gloria, dum noſtra laudamus; ſive ad alium directa adulatio, dum alios nimium deprædicamus: ſed utrumque nec amicitiam Converſationi neceſſariam, nec prudentiam Civitati utilem confirmat.

Ætiol. 3. *è Loco Adjunctorum.* Loquaces quia tantum vix ſciunt, quantum continuis ſermonibus neceſſarium eſt, plerumque mentiuntur, ex Proverbio: *Loquaces aut multa ſciant, aut multa fingant.*

15.

Plato. Non convaleſcit Planta, quæ ſæpius transfertur.

Seu ut reddam ſenſum proprium: *Adoleſcens ſæpe mutans Magiſtros & Scholas, non fit eruditus.*

Ætiol. 1. *è Loco Antecedentium.* Nam Eruditio non ſequitur, niſi antecedat Induſtria conſtans.

Ætiol. 2. *è Loco Adjunctorum.* Nam quælibet Schola diverſis libris, diverſis informandi modis gaudet, quibus qui velit adſveſcere, conſtanti ſane labore id impetrandum eſt.

Ætiol. 3. *è Loco Causæ Efficientis.* Nam talis mutatio vel provenit ab impatiente negligentiâ, vel ab improvida festinatione: quas utrinque novimus Eruditioni maximè noxias.

16.

Menand. Homo sanus otiosus, quam febricitans multò miserior.

Ætiolog. 1. *è Loco Subjecti.* Nam illa miseria tangit animam, ista solum corpus.

Ætiol. 2. *è Loco Adjunctorum.* Nam illa miseria non admittit medicos, sicut ista.

Ætiol. 3. *è Loco Consequentium.* Nam ista miseria sperare semper jubet meliora; illa sperare non potest, nisi deteriora.

17.

Senec. Ebrietas nihil aliud, quàm insania voluntaria est.

Ætiol. 1. *è Loco Definitionis.* Insania est, cum usus rectæ rationis impeditur.

Ætiol. 2. *è Loco Effectorum.* Nam actiones ebriorum nullatenus absunt ab actionibus furiosorum.

18.

Salustius. Discordia maxima dilabuntur.

Ætiol. 1. *è Loco Contrariorum.* Nam Concordiâ res parvæ crescunt: ergo Contrarium habebit contraria Prædicata.

Ætiol. 2. *è Loco Consequent.* Nam Discordia solvit com-

commune vinculum: ergo ſequitur communis ruina.

Ætiol.3. *è Loco Exemplorum.* Nam in omnibus hiſtoriis id probatum eſt, Ruinas illuſtriores proveniſſe à Diſcordiâ.

Hæc de Exercitio Sententiarum, quod quantum conducat Amplificationibus Oratoriis cum Logica conjungendis, dici non poteſt. Neque tam pauper quis fuerit, ut vel Sententiæ deſint, vel in tanta Fontium copiâ, rationes. Sed videbimus nunc de Syllogismis.

Exercitium Topicæ in probandis Syllogismis.

Qui ad diſputandum procedunt, noverint, Opponente non probante, abſolvi Reſpondentem: adeoque nihil vocent in controverſiam, niſi de probatione Præmiſſarum vel clariſſimarum conſtet. Quippe ridiculum eſt, provocare ad Propoſitionis claritatem, neque tamen claritatis indicium dare poſſe. Quamobrem cum & hic Topica maximam ſuam teſtetur utilitatem, præparatorium hoc excolendæ diſputationis Exercitium, non immerito nunc exempla invenit aliquantum prolixiora.

I.

Ubi non eſt plenum delictum, ibi locum non invenit plenum ſupplicium.

In peccante puero non eſt plenum delictum. E. &c.

Prob.

Prob. Maj. Nam ſupplicium eſt delicti Conſequens: in quo igitur ſenſu ponitur Antecedens, in eo etiam ponetur Conſequens.

Prob. Min. 1. à Definitione pleni delicti: Eſt quod ſuſcipitur à ſciente & volente.

2. à Subjecto ſ. Puero peccante: Is nondum habet intellectus & voluntatis plenarium uſum.

2.

Qc. non eſt in hominis poteſtate, id non eſt Summum Bonum.

Atqui honor non eſt in hominis poteſtate. E. &c.

Prob. Maj. Hoc enim eſt Summi Boni neceſſarium Requiſitum ſeu Adjunctum: inde negato Adjuncto neceſſario, negatur Subjectum.

Prob. Min. è Loco Diſparatorum: Honor dependet ab hominibus, qui ſunt extra nos, dum conſentiunt in Opinione Virtutis noſtræ. E. Quod ab aliis dependet, id non eſt in noſtra poteſtate. Siquidem quod tribuitur uni Diſparatorum, id removetur ab altero.

3.

Qc. verti poteſt in abuſum, id non eſt Summum Bonum.

Eruditio verti poteſt in abuſum, E. &c.

Prob. Maj. Nam abuſus eſt malus: atque adeo duo Contraria non poſſunt eſſe in uno Subjecto.

Prob. Min. Nam Eruditionis Objectum in operando eſſe poteſt materia vel Hæretica, vel fraudulenta, vel noxia.

4. Qc.

4.

Qc. proponit Conservationem Societatis humanæ, id est bonum.

Statistica proponit hanc Conservationem. E. &c.

Prob. Maj. Nam quicquid proponit optimum finem, id est bonum. Jam esse hunc finem negotiorum humanorum, nemo dubitat, nisi qui nescit, hominem esse animal sociale vel politicum.

Prob. Min. è Loco Notationis. Nam Statistica est, quæ Salutem Status seu constitutæ Reip. observat.

5.

Malus Paterfamilias non potest esse bonus Reip. Gubernator.

Prodigus est malus Paterfamilias. E. &c.

Prob. Maj. 1. De quo negatur, quod magis probabile & facilius est, de illo negatur, quod minus probabile & difficilius est.

2. Nam communes sunt virtutes Oeconomi & Politici.

Prob. Min. Qui evertit Familiæ finem, h.e. Conservationem, & meliorationem, is malè gerit Familiam.

6.

Qc. non amatur, non potest vocari laudabilis Princeps.

Avarus non amatur. E. &c.

Prob. Maj. 1. Ubi deficit causa, ibi deficit effectus.

Jam

Jam laus in laudantis arbitrio collocata, non venit nisi ab Amore.

2. Nam laudabilis Princeps definitur, quod habeat omnes virtutes huic officio debitas, adeoque non modo, quas adhibeat promerendæ Existimationi, sed etiam, quæ faciunt ad Amorem.

Prob. Min. Nam Avarus eripit vel non porrigit pecuniam à singulis amatam. E. qui subtrahit aliis, quod acceptissimum est, is odium incurrit, adeoque non possidebit alterum contrarium.

7.

Qc. est Instrumentum Virtutis, id non contemnitur à Sapiente.

Opulentia est Instrumentũ Virtutis. E. &c.

Prob. Maj. 1. à Definitione Sapientis, qui versatur circa id, quod optimum est, h.e. Virtutem.

2. Qui vult Effectum, non contemnet Instrumenta, sine quibus tam commodè non sequeretur Effectus.

Prob. Min. è Loco Speciei: nam Opulentia est Instrumentum Liberalitatis.

8.

Qc. in honestis Occupationibus est instar Medicinæ, non debet improbari.

Recreationes licitæ tales sunt. E. &c.

Prob. Maj. Nam Causa, quæ conservat rem honestam, nec aliunde fit inhonesta, ea ipsa est honesta.

Prob.

Prob. Min. Nam viribus exhauſtis occaſionem ſuppeditant, quâ recolligantur vires.

9.

Qc. Studioſos à progreſſu prohibet, id eſt fugiendum.
Philautia hoc facit. E. &c.

Prob. Maj. Nam repugnantia de ſe invicem non debent prædicari.

Prob. Min. Nam Philautia impedit cauſam progreſſuum, Diligentiam; Quippe cur ſimus diligentes, ſi cuncta credimus jam à nobis intelligi?

10.

Qc. eſt nota temeritatis, id debet abeſſe à Studioſo.
Continuum Novitatis ſtudium eſt nota temeritatis. E. &c.

Prob. Maj. Studioſi Adjunctum eſſe debet Circumſpectio & Attentio, ne decipiatur in acquirenda rerum notitia. E. abeſſe debet Adjunctum his Contrarium, Temeritas.

Prob. Min. à Definitione Temeritatis, eſt vitium animi feſtinantis conjunctum cum contemptu alieni conſilii, & neglectu propriæ deliberationis. Nam Novitas h.e. quotidiana conſiliorum mutatio, præſupponit conſilii ac deliberationis defectum.

Qc.

11.

Qc. est optimus thesaurus, id amitti non debet thesaurorum deteriorum gratia.
Bona Conscientia est optimus thesaurus. E.
Bona Conscientia non debet amitti aliorum thesaurorum gratia,

& per consequens

Divitiarum causa violari non debet Conscientia.

Prob. Maj. Finis non potest esse deterior mediis; quod tamen contingeret, si velut aureo hamo piscaturus, pecuniam redimerem tranquillitate Conscientiæ.

Prob. Min. Versatur enim circa Objectum pretiosissimum: siquidem Conscientia est hilaritas è contemplatione virtutum exercitarum procedens.

12.

Qc. non tangit felicitatem animi, ejus absentia nos non reddit infelicissimos.
Atqui Opulentia non tangit &c. E.

Prob. Maj Nam præcipuum felicitatis Subjectum est animus; ac proinde quicquid nihil juris habet in Subjectum, id evertere simul non potest ejus Adjunctum.

Prob. Min. 1. Nam Opulentia ne tangit quidem Corpus. E. dum ne minus quidem potest, majus non poterit.

2. Nam sola virtus & eruditio constituunt animi felicitatem.

13. Qc.

13.

Qc. provocat industriam, id est medium excitantæ Virtutis.
Æmulatio provocat industriam. E. &c.

Prob. Maj. Nam Virtus est Operatio: Operationis Causa Efficiens si non proxima, certè remota & impellens est Industria.
Prob. Min. Nam Æmulatio est dolor de aliena præstantia, conjunctus cum studio imitandi.

14.

Qc. jubetur inservire Societatibus humanis, ab eo requiritur Eloquentia.
Politicus jubetur inservire &c. E.

Prob. Maj. Nam solus sermo est medium, quo suadente impetratur finis seu commoditas publica.
Prob. Min. Nam Politica est Prudentia Civitatem, adeoque omnes in eâ Societates bene ordinandi, constituendi & conservandi.

15.

Qc. Animum assuefacit variis hominum moribus, id conducit Politico.
Peregrinatio assuefacit. E. &c.

Prob. Maj. Nam Politicus vult Consequens, h. e. prodesse hominibus. E. necessarium erit hoc Antecedens, nosse mores hominum, quibus conferenda est utilitas.
Prob. Min. Nam Peregrinatio nos immiscet ho-

minibus nulla nobis notia devinctis. E. vel coacti aliorum moribus obsecundare discimus, nisi velimus contemni & negligi. Et verò Assuefactio, de qua loquimur, est, cum observare alios potius, quam nosmetipsos, ac inservire aliorum voluntati magis, quam nostræ voluptati incipimus.

Sed ex his facilè constabit, quantum ab istis exercitiis instructos esse velim, quicunque provectiorum studia sibi cupiunt commendari. Et sanè præsupponitur aliqua disciplinarum notitia, sie res in disciplinis obvias probare debeamus: Ut adeò non repugnem provectiores manuduci ad Systema disciplinæ realis, cujus theses examinandi, disponendi, demonstrandi ac disputandi materiam suppeditent. Sic enim non cum larvis & umbris, velut illi, qui non nisi theses Logicas ventilant; sed cum rebus ad solidiorem eruditionem pertinentibus sibi rem esse cognoscent. Cæterũ placet imprimis Ethica, vel ideo, quod Juvenes alioquin ad Virtutis Praxin informandi, duplicem hauriunt usum, dirigendi Intellectus, & observandæ Conscientiæ. Et hoc tanto magis me permovit, ut Libro sequente non Practicarum modo, sed reliquarum quoque disciplinarum Systemata proponerem.

PAR-

PARTIS II. LIBER II. DE METHODO.

CAP. I. De Methodo in Genere.

I.

METhodus in genere est artificium disponendi, eorum gratia susceptum, qui rem dispositam discere ac cognoscere cupiunt.

II. Et ea quidem vel est *Universalis*, quæ spectat dispositionem ac ordinationem integræ disciplinæ; vel *Particularis*, quæ saltem occupatur in parte seu quæstione ad disciplinam pertinente.

† Sic aliud est instituere doctrinam de universâ Physicâ vel Ethicâ; aliud dissertationem suscipere de fragore Fulminis, vel de Objecto Liberalitatis.

III. Cæterum sunt Regulæ Generales, quarum ductu Methodus & Universalis & Particularis solet dirigi. Primo enim, *Nulla pars debet esse superflua, nulla deficiens.*

† Cum enim pars ſuperfluit, aut oritur Tautologia, h.e. inutilis & ad nauſeam facta repetitio; vel ex alia diſciplina præter neceſſitatem adducuntur quæſtiones. Sic qui Politicam aggrediuntur, etſi cognoſcere deberent, planè per accidens tractari doctrinam de minoribus Societatibus, ut etiam à nobilioribus Politicis, *Lipſio*, *Boxhornio* &c. ſalva conſcientia potuerint omitti; tamen vix credunt ſatisfactum officio ſuo, niſi è Theologicis Locum *de Magiſtratu & Conjugio*; è Commentariis Juridicis Titulum *de Servitutibus*, *de Nuptiis*, *de Patriâ Poteſtate* exſcripſerint. Multo minorem non nemo Cauſam habet extendendi doctrinam ſuam Logicam, qui nullam cum adverſariis ſuis controverſiam reciprocare poteſt, niſi Caput de Propoſitione verâ & falsâ vel ad integri Libri magnitudinem jubeat excreſcere: *Propoſitio Vera eſt, quæ cum re conſentit. e.g. Summum Bonum conſiſtit in Vita beata. Metaphyſica eſt Sapientia, &c. Propoſitio Falſa eſt, quæ cum re diſſentit. e.g. Summum Bonum conſiſtit in operatione Virtutis. Metaphyſica eſt Scientia &c.* Quaſi vero ſatis non fuiſſet proponere Exempla ſenſibus etiam puerilibus obvia. *Silex eſt Lapis. Silex eſt Lignum:* quibus certè confirmandis tot folia non fuiſſent conſumpta.

IV. Deinde *Notiora præcedant, ſequantur ignotiora.*

† Hæc

† Hæc erat ratio, cur ſuperius de Propoſitione & Syllogiſmo citius ingrederer dicere, quàm de Termino ſimplici. Citius enim e. g. oſtendere poteram, quid eſſet *Prædicare & Prædicatum*, quàm quid vocari deberet *Prædicabile, vel Prædicamentum.*

V. Tandem *Partium debita ſit connexio.*

† 1. Ipſa diſpoſitionis vox præſupponit Partes inter ſe diſtinctas, & ita quidem diſtinctas, ne peccent contra regulas *pag. 227. ſeqq.* de diviſione propoſitas. Sed tamen quia Partes ſingulæ ad unam ſive diſciplinam ſive Quæſtionem ſpectant, magna certè Methodo infertur injuria, ſi pro lubitu ſcribatur, quicquid in buccam venit, nec præ oculis verſetur Harmonia, quæ communi velut vinculo priora cum poſterioribus notitiæ & memoriæ gratiâ conjungat.

† 2. Hoc vitio plerumque laborant, qui nimio Collectaneorum apparatu obruuntur, adeoque dolent, ſi data occaſione reſervari quicquam debeat intra Locorum Communium clauſtra. Hinc illa Digreſſionum, Illuſtrationum, Parentheſeon monſtra, præ quibus ab ipſo ſcopo ſe deductos, in obſcuritate relictos, & intra æternam ignorantiæ Parentheſin ſeſe concluſos non immerito Lectores conqueruntur. e. g. Juſſus quidam reſpondere, *cur Savedra Majeſtatem nominaſſet Reip. animam? & cur idem Auctor poſtea Animam dixiſſet Prudentiam &*

Existimationem: multa evomebat de Anima, *num per educem, vel per inducem, vel per traducem adveniret homini generando:* Quasi verò in hoc tertio vel minimum quæstionis momentum consisteret.

VI. Methodus Universalis vel est *Synthetica, s. Compositoria*, h.e. quæ procedit à notitia partium seu Rerum distinctarum & Simplicium ad notitiam Unius, seu rerum Compositarum. Vel *Analytica s. Resolutoria*, quæ procedit à Notitia unius Compositi ad notitiam partium seu rerum distinctarum.

VII. Methodus Particularis vel est dispositio *Termini simplicis*, vel *integræ Propositionis.* Sed utrinque apparent vestigia Methodi tum Syntheticæ tum Analyticæ, sive rem evolvas *Didacticè* per Locos Topicos, sive *Polemicè* per refutationem Adversariorum.

IIX. Equidem est etiam Methodus *Naturalis s. Inartificialis*, quæ nullis regulis constricta, ad rem tractandam sese accommodat: sicut Historicorum optima Methodus est, sive *Annorum res gestas conjungere*, sive *singularum Rerumpubl. negotia separatim exponere, prout factorum Ordo legentibus vel experientibus olim fuit oblatus.* Idem Physici observant, *cum ad structuram Corporis Humani in Anatomicis se accingunt.*

IX. De

IX. De ſingulis ita videbimus, ut Exemplorum apparatus integrum Myſterium aperiat. Imo ne quis indigeat Hexilogiâ, neque tamen in modo ſciendi relictum ſibi doleat impedimentum, potiorum diſciplinarum fines ac ambitus breviter ordinatos proponemus. Ipſa enim experientia me docuit, poſtquam Scholaſtica informatio ſuperficialem hanc Syſtematum cognitionem inſtillaſſet, quanta mihi lux in Collegiis Academicis fuiſſet accenſa, & quàm feliciter in colligendis rebus occuparer, cum de repoſitoriis jam eſſet proſpectum.

Caput II.

De Methodo Syntheticâ & Analyticâ.

I.

Methodus Synthetica à Simplicibus & diſtinctis procedit ad Compoſita: Quamobrem Locum habet commodiſſimum in Diſciplinis Theoreticis, ubi à Principiis proceditur ad Principiata, vel à Cognitione Generis ad notitiam Specierum.

II. Sic enim ſe habet Doctrina Phyſica, cujus Objectum, ſeu ut in Demonſtratione vocatur, Subjectum, eſt CORPUS NATURALE.

Hujus considerantur
PRINCIPIA
INTERNA,
Materia, *cujus Proprium Quantitas.*
Forma, *cujus Propria vel Consequentia sunt Qualitates.*
EXTERNA,
Efficiens, h. l. Universalis *Deus, Natura, Cœlum.*
Finis, *Conservatio & Connexio Universi.*
PRINCIPIATA, h.e.
Affectiones seu Proprietates Corporis Naturalis, quæ ex istis Principiis demonstrantur.

1. Corpus habet Quantitatem.
Probatur è Principio: *Materia est Quanta.*

2. Corpus habet Qualitatem.
Probatur: *Forma est Origo Qualitatum.* Et porrò: *E diversitate Formarum diversa Qualitas.* Ignis est calidus, Aqua frigida &c.

3. Corpus est in Loco.
Prob. Nam habet terminos quantitativos, qui admittu t alterius Corporis extremam superficiem.

4. Corpus est in Tempore.
Prob. Nam habet Causam Efficientem, h.e. Naturam, quæ omnia successivè producit: & conser-

ſervat: adeoque in omnibus datur Prius & Poſterius.

5. Corpus eſt mobile.

h.e. *admittit Generationem & Corruptionem.*

Nam Materia eſt apta ad recipiendas omnes formas, & Natura ſemper operatur in producendis formis.

admittit Augmentationem & diminutionem.

Nam Materiæ poſſunt addi Partes ad Partes.

admittit Alterationem.

Nam Qualitates, quas Forma poſt ſe trahit, recipiunt magis & minus.

admittit motum localem, eumque

NATURALEM, *vel enim Grave eſt*, ut deſcendat, *vel Leve*, ut aſcendat, *vel Animale*, ut potentiam habeat Locomotivam.

VIOLENTUM.

Habet enim Superficiem, quæ poteſt impelli ab alia ſuperficie.

III. Sic abſolvitur Phyſica Generalis: patetque adeo, Methodum Syntheticam primo quærere *Quod & quid ſit Subjectum?* Deinde *quæ Subjecti Proprietates è Principiis demonſtrentur?* imo ſubjungi ſimul poſſe *Enumerationem ſpecierum.*

† Quodſi quis Corporum Naturalium Principia facere velit Quatuor Elementa, *Ignem*, *Aërem*, *Aquam & Terram:* vel ſi quibuſdam placeant

Mineralia, *Sal*, *Sulphur*, *Mercurius &c.* non minus è Temperamento Qualitatum ex isto coalitu concurrentium probari poterunt Corporum Naturalium Proprietates.

IV. Species Corporum Naturalium sic se habent, ut de singulis minutæ velut disciplinæ Methodo Syntheticâ queant construi.

Sic de Meteoris, h.e. Corporibus imperfectè mixtis multa habemus, quæ constituunt METEOROLOGIAM.

Sic de Metallis, imo de quovis Metallo in specie, demonstrari possunt certæ Proprietates.

De Plantis peculiarem habemus Disciplinam, Medicis præcipuè dicatam, quæ recepto Nomine vocatur BOTANICA. Nec adeo minuta est Herba, quæ positis certis Principiis demonstrari non patitur suas Affectiones.

De Animalibus Tractatum aliqui vocant ZOOLOGIAM, imo specialius de Avibus ORNITHOLOGIAM, de Piscibus ICHTHYOLOGIAM &c. Ubi iterum de singulis probantur certæ Proprietates.

Tandem venit doctrina de Homine s. ANTHROPOLOGIA, quæ partim spectat Corpus, & Proprietates inde demonstrandas relinquit Medicis, tum qui ANATOMICEN, tum qui NOSOLOGIAM & reliqua tractant, partim refertur ad Animam, cujus accuratior doctrina quibusdam audit PSYCHOLOGIA, ita ut subinde novum occurrat Subjectum, de quo per certa Principia demonstrari debeant novæ Proprietates.

V. Me-

V. Methodus Analytica consistit in resolvendo, ac optimè accommodatur Disciplinis Practicis, quæ primo quærunt de Re una & Compositâ, *Quod sit Subjectum? Quis Subjecti Finis?* Deinde ostendunt varia & distincta. *Quibus Mediis Finem liceat indipisci*, e.g.

ETHICA considerat

SUBJECTUM. *Hominem rationis capacem.*

FINEM s. Summum Bonum.

Primarium, *Virtutem & Bonam Conscientiam.*

Secundarium, *Vivendi commoditatem, Amicitiam, &c.*

MEDIA.

Leges *s. Jura tum Naturalia omnibus Hominibus inscripta, tum Positiva, quæ vel Deus expressè, vel per suos Ministros s. Magistratus promulgat.*

Consilia, *quæ persuadendi potius vim habent quàm cogendi.*

POLITICA considerat

SUBJECTUM. Rempublicam s. Societatem Hominum.

FINEM s. Summum Bonum.

Primarium. *Virtutem, quæ Cives sanè reddit felicissimos.*

Secunda-

Secundarium. *Sufficientiam, h.e. vivendi Comoditatem & Securitatem.*

MEDIA.

Leges *Gentium & Civiles,*

Consilia Statistica, *de servanda Status Ratione.*

VI. Aliqui Practicas has Disciplinas disponere voluerunt more Mathematicorum. Uti enim omnia procedunt Methodo Syntheticâ, non tantum ut à lineis ad Superficiem, à Superficie ad Corpus, h.e. semper à simplicioribus ad Composita fiat progressio; sed etiam ut subinde præmittantur Definitiones, *quæ declarant Subjectum*, Postulata & Axiomata, *quæ vim habent Principiorum*, Demonstrationes, *quæ Affectiones & Conditiones Subjectorum è certis Principiis deducunt:* Ita etiam datis Personarum & Societatum moralium Definitionibus, cummunia Postulata & Axiomata allegant, à quibus de justitia vel injustitia h. e. de bonitate & malitia actionum ferri queat Judicium.

VII. Sed ista Methodus non pertinet ad integram Disciplinam. Præsupponitur enim Doctrina de Fine, & inde mirum non est, Methodum Analyticam obtinere in Doctrinâ Civili universim; Methodo Syntheticâ ulterius pertractari aliquam ejus Partem. IIX.

VIII. Spectemus etiam ad Disciplinas Superiores, Theologiã, Jurisprudentiam & Medicinam. Et Theologia quidem aliis Syntheticâ, aliis Analyticâ Methodo pertractatur. Quibus placet Synthetica, sic dicunt.

PRINCIPIUM COGNOSCENDI est *Sacra Scriptura.*

OBJECTUM est *DEUS*, qui secundum Principia è sacris petita variè cognoscitur.
Absolutè quoad *Unitatem & Trinitatem.* *Relatè*,
Ad omnes Creaturas, quas creat & conservat, speciatim ad hominem, qualis
Ante Lapsum *in statu* Innocentiæ,
Post Lapsum *in statu*
Iræ & Peccati,
Reconciliationis s. Gratiæ. *Ubi consideratur Deus Eligens, & Exequens* mittendo Filium, vocando, justificando: *Homo divinam hanc Gratiam recipiens.*
Futuræ Vitæ.

Quibus placet Analytica, sic procedunt.

SUBJECTUM est *Homo Peccator, quatenus est justificandus & beandus*

FINIS est
Ultimus *Beatitudo æterna,*
Intermedius *Justificatio, h.e. Peccatorum remissio, Justitiæque Christi per fidem imputatio.* ME-

MEDIA *quæ ſpectantur*

Ex parte Dei, *cujus præmittenda Cognitio,*

Verbum *Legis & Evangelii.*

Sacramenta, *quæ vel V.T. vel N.T.*

Et parte noſtra.

Fides, *cujus Antecedens* Contritio. *Conſequens* Propoſitum Bonorum Operum.

IX. JCti ab uſitata Juſtiniani Methodo non digreſſuri, *De Perſonis, Rebus & Actionibus* doctrinam ſuam inſtituunt: ſed ſi quis ſcire velit, an Syntheticæ an Analyticæ Methodo ſuum debeant ordinem? Triplex ſane Tractantium Scopus eſt. Primo enim ſcire aliqui ſimpliciter volunt, quid contineatur in Legibus. Deinde aliqui pergere ulterius conantur ad Prudentiam Legislatoriam. Tandem aliqui Practicam hanc Diſciplinam practicè abſoluturi, Prudentiam eruunt Judiciariam.

Quos primo nominavi, Methodus juvat Synthetica. Nam Objectum eſt *Jus civile ſeu id, quod in Civitate Juſtum eſt;* Principia ſunt *ipſa Verba Verborumque tacitæ vel expreſſæ rationes:* unde probatur, *quomodo ſe habeat Jus civile* circa Perſonas, *quomodo* circa Res, *quomodo* circa Actiones. Niſi malis Objectum conſtituere triplex. *Perſonas, Res & Actiones:* de quibꝰ *è Legislatoris voluntate* probatur, *quid juſtum ſit vel injuſtū.*

Alte-

Altera Classis, quo propinquior est Politicæ, eo majorem usum sentit à Methodo Analyticâ. Nam Subjectum est *Societas Civilis*; Finis *Concordia & Litium commoda Compositio*. Media sunt *Statistici respectus, quibus fundantur ac probantur Leges.*

Ultima Classis fatetur sibi quidem adesse Methodũ Syntheticam: sed in universo Corpore Juris non occurrere quid præter Principia. Subjecta, *de quibus demonstrari per has Leges debeat Justitia vel Injustitia*, tum demum afferri, cum quis in Tribunali constitutus negotia civium dirimenda suscepit, Adeoq; completè hanc doctrinam fovere videntur, qui scripserunt *Consilia*.

X. Medicina varias habet Partes PHYSIOLOGIAM, *quæ naturam Corporis humani indagat*, speciemque seu partem nobiliorem agnoscit ANATOMICEN. Porro PATHOLOGIAM, quæ agit de Morbis. SEMIOTICAM, quæ inquirit in Signa Sanitatis ac morborum HYGIEINAM, quæ docet, quomodo conservanda sit Sanitas præsens. THERAPEVTICAM, quæ versatur circa restitutionẽ Sanitatis amissæ. Postea CHIRURGICAM, quæ externis instrumentis & operationibus sanitati venit in auxilium. PHARMACEVTICAM, quæ proponit mistiones & præparationes Medicamentorum, hodieque nobilissimam habet partem, CHYMIAM.

XI. Sin-

XI. Singulæ ſeparatim agnoſcunt Methodum Syntheticam: quippe poſitis Principiis è Phyſica petitis, demonſtrantur ſive probantur Affectiones e.g. Hominis, Morborum, Medicamentorum &c. Sed ſi conjunctim easdem examines, Methodum continent Analyticam h.m.

MEDICINA proponit
SUBJECTUM *ſ. Hominem Sanandum.*
Huc pertinet PHYSIOLOGIA.
FINEM, *qui agnoſcitur*
Poſitivè, *h.e. Sanitatem.*
Negativè vel Remotivè, *h.e. Morbos.*
Hæc eſt NOSOLOGIA ſ. PATHOLOGIA.
MEDIA eaque
Principalia, *quæ proponuntur*
in HYGIEINA & THERAPEVTICA.
Inſtrumentalia, *quo referas*
SEMEIOTICAM, CHIRURGICAM, PHARMACEVTICAM.

XII. Forſan quis interrogaverit, qua Methodo gaudeant Diſciplinæ Inſtrumentales, *Grammactica, Rhetorica & Logica.* Sed breviter reſpondebimus, undiquaque obtinere Syntheticam. Quippe à Simplicioribus ſemper procedimus ad magis compoſita, Grammatica *à literis & Syllabis ad voces, inde ad Vocum Conſtructiones* progreditur. Rhetorica *Inventionem & Diſpoſitionem* velut Par-

tes

tes Orationis ſimpliciores primo inſpicit, donec pergat *ad Elocutionem.* Logica Naturam *Terminorum, Propoſitionum, & Syllogiſmorum* ordine conſiderat, donec *iis Principiis* in Praxi utatur *ad oſtendendas Proprietates* ſeu *Artificia, quibus gaudet Modus Sciendi.*

III. Equidem habent etiam Concionatores in explicandis ſuis Textibus Methodum, quam vocant Syntheticam vel Analyticam. Quia tamen ea Explicatio accedit ad Naturam Interpretationis, ipſam hanc vim ſpectabimus Libro ſequente. Nunc enim Ordo nos vocat ad Methodos Particulares.

CAPUT III.
De Methodo Particulari.

I.

Methodus Particularis eſt, cum aliqua Diſciplinæ particula vel *Philoſophicè & Logicè* in Diſputationibus, vel *Rhetoricè* in Declamationibus & Perſuaſionibus ordine venit pertactanda.

II. Talis vero Particula vel eſſe poteſt Terminus, Simplex, e.g. *Roſa, Aurum, Pax, Juſtitia*, vel integra Quæſtio conſtans Subjecto & Prædicato *e.g. an Roſa excitet Capitis gravedinem? an Aurum ſit ejictendum è Rep.?*

an Pax cum infidelibus sit secura? an Justitia rigidissima sit summa injuria? Communiter dicimus, Thema vel esse *Simplex* vel Conjunctum.

III. Et major quidem Methodi Particularis necessitas, quàm Universalis: siquidem paucissimi accedunt ad integras disciplinas proprio Marte ordinandas: at unius vel alterius dissertationis curam refugere nemo potest, qui simul nolit ejurare characterem Eruditi.

IV. Exhibebimus Tabulam, quantum sequentibus Capitibus vel quoad Regulas, vel quoad Exempla debeat expectari.

METHODUS PARTICULARIS
versatur circa
THEMA SIMPLEX, *idq;*
Theoreticum, *cujus illustratio venit à* Locis Topicis *tractati,*
Syntheticè, *cum positis Partibus, Causis, Adjunctis, Contrariis &c. tandem eruitur Definitio. Sic enim à simplicioribus datur progressus ad Compositum.*
Analyticè, *cum positâ primum Definitione proceditur ad singularem & distinctam partium explicationem.*
Practicum, *tractandum*
Philosophicè, *respectu Subjecti, Finis & Mediorum.*
Rhetoricè, *ab Honesto, Utili, Jucundo, Necessario.*

THE-

THEMA CONJUNCTUM *ventilandum.*

Positivè. *Dum 1. Status Controversiæ formatur. 2. Principia, Præcognita, ac ipsæ terminorum significationes explicantur. 3. Theseos affirmatæ vel negatæ Rationes sibi invicem subjiciuntur.*

Polemicè *1. dum Adversariorum Principia destruuntur; 2. Negationis variæ rationes proponuntur.*

THEMA MIXTUM, *quod è Consideratione Thematis Simplicis procedit ad*

Porismata seu Consectaria, *quæ fluunt è doctrina.*

Quæstiones dubias, *quibus obscuratur doctrina.*

CAPUT IV.

De Methodo Thematum Simplicium.

I.

THema simplex vel explicatur *Theoreticè*, ut Lector seu Auditor ad ejus perveniat notitiam; vel *Practicè*, ut notum evadat quid faciendum sit vel omittendum.

II. Theoretica tractatio versatur circa Definitionem è Locis Topicis illustrandam. Adeoque cum antecedit Illustratio, Ordo videtur Syntheticus, cum sequitur, Ordo adest vel ut Analyticus.

III. Videbimus primo Definitionem illustratam Syntheticè. Quod ſi enim occurrat occaſio loquendi de PHILAVTIA corrupta, ſic ordinaretur diſpoſitio.

NOMINIS notatur

Etymologia, *derivatur enim è Græco, ac denotat Amorem ſui ipſius.*

Homonymia: *non intelligitur Amor rectus, qualem deſignat Deus, dum jubemus Proximum amare tanquam nosmetipſos; ſed corruptus.*

Ipſius REI notatur

Cauſa Efficiens

Remota, *Appetitus corruptus, qui dominatur rationi, ac impellit homines ad ineptam gloriæ cupiditatem.*

Proxima, *Parentum vel Præceptorum indulgentia; intempeſtiva aliorum adulatio; quin & ſimulata deprædicatio vel admiratio.*

Cauſa finalis

Directa *eſt Honor proprius.*

Indirecta *eſt, Aliorum fortaſſe meliorum, contemptus.*

Cauſa Materialis ſ.

Objectum

Eſt aliquod Bonum vel verum vel apparens, *idque* ſive Corporis ſive Animi & Fortunæ. *Nam aliqui ſibi placent quoad Formam, Robur,*

Staturam

Staturam &c. aliqui Eruditionem, Eloquentiam, Agilitatem, aliqui tandem Nobilitatem, Opulentiam, Patronorum Copiam extollunt.

Subjectum

Est Persona secundum certas Conditiones consideranda: *est Studiosus, Miles, Mercator, Aulicus, imo ut loqui solemus,* Est Nihil.

Causa Formalis

Est ipse Excessus, *qui tanto major est, quanto plura sunt vitia, quibus suam debet structuram.*

1. *peccat* contra veritatem, *quod sibi tribuit, quæ non habet.*

2. *peccat* contra justitiam, *quod proximo suum honorem it ereptum.*

3. *peccat* contra modestiam, *quod nimius est in quærendis honoribus.*

Adjuncta, *quæ comitantur Philautiam.*

Cupiditas Rixandi.

Proclivitas ad Iram & Invidiam.

Sublimitas in externis nutibus & gestibus.

Effecta, *vel si malis dicere Consequentia.*

Odium apud alios.

Ludibrium & Stultiæ opinio.

Impedimentum à profectibus, *quos jam possidere arbitratur.*

Affinia

Quæ aliquatenus ad imaginem hujus vitii accedunt.

Amor nimius Parentum in Filios, Civium in Patriam, *ut laudari cupiant cum aliorum contemptu. Sic aliquis Studiosus Professorem, Amator virginem, Politicus Principem adversus alios suæ Philavtiæ sic destinavit, ut neque rixas metuat, neque digladiationes.*

Repugnantia.

Defectus Philavtiæ legitimæ; *cum quis sua semper contemnit, sive id fiat ex* timiditate, *sive ex* adulatione, *sive ex* ignorantia, *falsaque alienæ præstantiæ persuasione.*

Ipsa Virtus seu Philavtia recta, *quæ mediocritatem servat in amando seipso, & æstimando Proximo.*

DEFINITIO. *Philavtia est Opinio nimia Præstantiæ propriæ, conjuncta cum Amore sui ipsius & Contemptu Proximi, orta è persuasione minus decenter instillata, erumpens è verbis & gestibus, adeoque reportans damnum & ludibrium.*

IV. Sequitur Definitio illustrata Analyticè, de POLYMATHIA.

NOMINIS notetur

Etymologia. *Græco vocabulo idem significat ac* Studium multa discendi.

Homonymia. *Non accipitur pro* inepta Curiositate, *cum quis* plura *sibi proponit, quam capere potest*

poteſt mens humana ;vel aliena, *quæ ad Profeſſionem ſemel receptam nihil faciunt.*

Synonymia. *Studioſitas, Recta Curioſitas &c.*

REI *notetur*

DEFINITIO. *Polymathia eſt Virtus Studioſi, quatenus talis eſt, quæ fertur in fundamentalem notitiam omnium diſciplinarum, ſtudiis ſuis vel directè vel indirectè neceſſariarum, idque commendationis, recreationis, & commoditatis gratia.*

Cauſa Efficiens

Remota. *Cupiditas ſciendi, quam Deus implantavit ſingulis hominibus, ut vel ideo tot reperiantur Novellarum amatores, quoniam turpe ducunt neſcire hominum negotia.*

Proxima *vel eſt*

Hodierni Seculi Conſuetudo, *quæ parum æſtimat Studioſos curioſa literaturâ non imbutos.*

Clarorum Hominum Converſatio, *quibus nemo placet, niſi pari deſiderio clarus.*

Cauſa Finalis

Primaria, *vel ſpectat*

Studioſi Perſonam, *h. e. Commendatio apud Patronos.*

Ipſa Studia. *Multo enim facilius tractantur Studia, ſi omnium diſciplinarum tacito velut vinculo conſtrictarum pateat notitia.*

Secundaria, *Delectatio & Recreatio.*

Cauſa Materialis h. e.

Objectum

Sunt omnes Diſciplinæ *non* ordinariæ *modo, quæ communiter tractantur in Scholis, velut ex Inſtrumentalibus Grammatica, Rhetorica, Logica, è Principalibus, Philoſophia, Theologia Jurisprudentia, Medicina; ſed etiam* extraordinariæ, *velut Architectonica Civilis & Militaris, Ars Nautica, Pictoria, Typographica, Muſica, quin &* Exercitia *Equitatoria, Saltatoria, Pugilatoria & quæ ſuppetunt plura, ut compendio dixeris*, Polymathiam verſari circa omnia, quibus delectantur & celebrantur Clari Homines.

Subjectum *eſt*

Studioſus quatenus talis, *non enim hæc Virtus tam eſt ampla, ut requiratur etiam ab Agricola, Opifice, Milite, Mercatore &c.*

Cauſa Formalis

Eſt ipſa Mediocritas. *Nihil enim tractari debet, niſi quod*

Promoveat noſtram Commendationem. *h. e. tales nunc ſcientias excolamus, quæ ſunt in pretio. Olim pulchrum erat Cancellarios inſudare Græcis verſiculis. Sic viventi in Belgio longè alia prodeſt Curioſitas, quam qui ſedem conſtituit in Germaniæ meditullio.*

Adjuvat Profeſſionem noſtram Principalem vel directè, *ſic Medicus diſcit Phyſicam, Metallurgiam, Pharmaceutriam* &c.

Indi-

Indirectè. *Sic Medicus, Herbarum vel Anatomices cultura futurus clarus, excolit artem pictoriam.*

Ne obruant Ingenium. *Adeoque Disciplinarum aliquæ tractentur.*

Systematicè & *perfunctoriè, ut saltim innotescat Ordo & Methodus, quid proponi & à discentibus sperari debeat.*

Plenè & *Practicè, ut omnibus quæstionibus ac dubiis fortè enascentibus nostrum judicium sufficiat.*

Causa Instrumentalis.

Indefessa Sedulitas, Inquisitio Bibliothecarum, Peregrinatio, Æmulatio cum doctis.

Adjuncta

Cognitio propriæ ignorantiæ. *Quo plus enim discimus, eo minus à nobis intelligi deprehendimus.*

Dubitatio. *Dum enim quis multa vult scire, nec tamen confirmandis tot artium quæstionibus sufficit; eò saltem provehitur, ut decenter & cum ratione queat dubitare.*

Voluptas animi, *quæ resultat è variarum quæstionum tractatione.*

Effecta

Hominum Favor; Nominis Celebritas, Agendi Dexteritas, Commoda Promotio &c.

Affinia.

Tractatio studiorum Mechanicorum, vel etiam Tesserarum, Ludi Schachici, Chartarum Lusoriarum,

rum, Pilarum, Conorum, imo Præstigiarum, quæ exhibentur ab Agyrtis circumforaneis. De quarum Mediocritate quivis judicet è Superioribus.

Repugnantia.

Morosa & supina Negligentia, *cum quis nihil attingere cupit, nisi quod facit ad studia. Sic futurus Concionator nec Metaphysicæ, nec Theologiæ Didacticæ & Polemicæ curam ad se pertinere putat, dummodo via pateat in Postillam.*

Nimia ac inepta Curiositas.

V. Sic ad Dispositionem egregiè facit Topica. Neque tamen necessarium est nimiâ curâ singulorum Locorum divitias exponere: nam nec *de Partibus* nec *de Speciebus* aliqua hic diximus: Omisimus etiam *Exempla* huic tractationi satis apta, saltem ut innotesceret, liberam esse Rerum electionem. Quid? quod Ordinem Locorum non tam ex superiore Tabula, quàm ex ipsius judicii libertate constituimus. Quippe obtinere semper debent Regulæ Methodi Generales, supra jam expositæ, ut præmittantur, quæ ex commode discentis præmitti quàm maximè merentur.

VI. Interim video aliarum disciplinarum quoque exempla desiderari: quamobrem pace legentium hac in parte nec parcus fuero, nec tenax.

VII. E Physicis placet Exemplum de MONTIUM INCENDIIS.

Ubi præmittitur

QUÆSTIO AN SINT?

Habemus Ætnam, Vesuvium, Heclam &c.

QUÆSTIO QUID SINT?

Ubi notatur

Causa Efficiens

Remota. *Ignes Subterranei.*

Proxima. *Ventorum marisque impetus, qui ignes excitant.*

Causa Materialis, ex qua

Sulphur & Bitumen.

Forma.

Immensus ille impetus erumpentium flammarum.

Finis

Naturalis, *Repurgatio cavernarum terrenarum, conjuncta cum calefactione & fertilitate agrorum adjacentium.*

Moralis, *Divinæ Vindictæ, ipsiusque adeo Inferni adumbratio.*

Adjuncta.

Terræ motus, Mugitus & Fragores, Ebullitio Maris, Fumi eruptio, Cinerum ejectio, Tenebræ &c.

Ef-

Effecta

Animalium interitus, Oppidorum everſio, Fluminum ſulphureorum effuſio &c.

VIII. Ex Hiſtoriis dabimus Exemplum de Bello Germaniæ tricennali ab anno 1618. usque 1648. Cujus quidem conſiderantur

ANTECEDENTIA:

Mutua Reformatorum imo plerorumque Proteſtantium & Pontificiorum Odia, quæ jam eruperant in aperta fœdera Unionis & Ligæ, & in clandeſtina Correſpondentium commercia.

PARTES.

Primo tetigit Bohemiam, inde Palatinatum, porro Saxoniam inferiorem, paulo poſt univerſam Germaniam occaſione Bonorum Eccleſiaſticorum, quorum urgebatur reſtitutio.

CAUSA EFFICIENS:

Imperator, & Bavarus ab una parte, Palatinus, Rex Daniæ, Saxo & alii ſucceſſivè ab altera parte, donec in apertas ipſi inimicitias Auſtriacorum prolaberentur Galli & Sueci.

FINIS:

Aliqui Religionis Catholicæ reſtaurationem, Aliqui Adverſariorum minuendam potentiam, Aliqui defenſionem habebant præ oculis.

MATERIA.

h. e. Subjectum vel Territorium, quod ſub bellorum mole laboravit, ubi de ſitu & felicitate

Bohe-

Bohemiæ, Palatinatus aliarumque Provinciarum dici aliqua possunt.

FORMA.

Quo artificio, qua crudelitate, qua calliditate gestum fuerit bellum. Quantum posuerint in apertis & decretoriis præliis, unde sæpius aleæ commissa fortuna. Quam liberos vel adstrictos passim habuerint Belli Duces &c.

ADJUNCTA

Pestis, Fames, Religionum variæ Reformationes, Rusticorum rebelliones.

EFFECTA

Intermedia:

Desolationes Provinciarum, Corruptio Juventutis, quam marcentibus Scholis educare vel informare non licuit; Introductio Morum peregrinorum. Excitatum apud Peregrinos desiderium possidendi Germaniam, &c. Introductus apud nostros homines usus Tabaci.

Ultima,

Pax & Fœdera.

XI. E Politicis Thema sit IMPERIUM TURCICUM.

OBJECTUM.

h. e. Territorium per Asiæ, Africæ & Europæ nobilissimas Provincias extensum.

CAUSA EFFICIENS.

Remota, Mahometh.

Pro-

Proxima, Osmannus qui primò potentiam fundavit aliquo nomine claram.

SUBJECTUM.

Imperator possidens Majestatem, qui hodie Achmet II. seu Mahomet IV. ut alii.

FINIS.

Potentia bellica, & inde sequens Subditorum servilis metus.

FORMA.

Absoluta Monarchia seu Tyrannis, ubi Imperans omnia & ex sua voluntate, & juxta suam utilitatem disponit.

CAUSA INSTRUMENTALIS.

h. e. Media & Consilia, quibus Tyrannis obtinetur. e. g. Severa Justitia, Paupertate Subditorum, Licentiâ Polygamiæ, Religionis ad Statum applicatæ severissima observantia.

ADJUNCTA

Potentia, divitiæ, superbia, & in omnes Christianorum provincias, maximè in Imperium Romanum impudentissima prætensio. Nominis Christiani Odium, Miserrimus Servorum & Captivorum Status.

EFFECTA

Actiones Imperantis, quæ si spectes vicinos, continuum bellum spirant. Quo pertinent omnes Historiæ, quid commissum fuerit ab Imperatoribus sibi succedentibus.

X. Va-

X. Valet hoc etiam in deſcribendis laudandisque Perſonis. Quod ſi enim quis laudare velit ALBERTUM Lineæ Saxo-Electoralis Inſtauratorem, ordine ſe offerent Loci.

1. GENERIS.

Quæ ſit Witikindea Familia, & quantum Principes ab eadem oriundi inclaruerint univerſim.

2. CAUSÆ EFFICIENTIS.

Pater fuit Fridericus Placidus Elector. Mater Eliſabetha Bavara.

3. SUBJECTI.

Territorium, cui poſt factam diviſionem imperavit, fuit Miſnia & Thuringiæ pars.

4. ADJUNCTORUM quæ h. l. accipiuntur pro Forma.

Fuit Magnanimus, Liberalis, Pius, conſervandæ augendæque Patriæ deditus, Temperans, Literarum Promotor.

5. EFFECTORUM, unde Ejus cognoſcitur Finis.

Ædificavit arces ſplendidiſſimas, ſublevavit Imperatorem in expeditionibus præcipuè Belgicis. Magnam auctori-

tatem

tatem contribuit Legibus adversus Diffidationes.

6. CONSEQUENTIUM.

Quo pertinet Ejus mors, & Hæredum, præcipuè Filiorum mentio.

XI. Et ita quidem Thema pertractatur Theoreticè, ut scilicet ejus Natura cognoscatur, non præcisè Operatio aliqua commendetur; sed quomodo Practicæ Dispositiones ad normam integrarum Disciplinarum efformari soleant, nunc ostendemus.

XII. Si enim agere quis velit de Bono Præceptore, sentiet inquirendum esse.

In FINEM.

Qui est Informatio Juventutis, *quatenus ea præparanda est ad functiones tum in Ecclesia, tum in Statu civili obeundas.*

in SUBJECTUM.

h.e. in conditionem & naturam Personæ, cui committenda Informatio. *Sit Homo ipse probe informatus, Naturâ satis firma instructus, à morositate & impatientia alienus &c.*

in MEDIA.

Quæ quidem sunt trium generum. Requiritur enim.

I. *INFORMANDI FACULTAS: quæ consistit* in Eruditione, *non omni quidem, sed necessaria ad hoc negotium, quam sibi quilibet comparat in*

ætatis

ætatis flore; sed perficit per ipsam informandi Praxin: quippe docendo discimus.

In dono docendi seu interpretandi, *quod accedit maximè per naturam, quæ facilem memoriam, dexteritatem, judicii linguæq; perspicuitatem largitur: Sed est etiam aliqua Consuetudinis efficacia, quæ sæpius in alteram Naturam abiit.*

II. *INFORMANDI FELICITAS.*

Quæ sita est

In potestate docentis. *Si ex omnibus actionibus effulgeat Amor erga discipulos, nec agatur quicquam sive lucri causa, sive animo ad laborem moroso.*

In potestate discentis. *Si Amor existat reciprocus, quem tamen Præceptor facile habebit in potestate. Saltem sit Pius erga Deum, Cordium humanorum Moderatorem, sit amabilis erga discentes, ac testetur præcipuè, quam utilis futura sit informatio.*

In potestate utriusque. *Sic Præceptor curam habeat* Existimationis: *Discentes eo adigantur, ut Virum existimatione dignum sua laude privare erubescant.*

Et Existimatio *maximam partem dependet* ab Opinione Eruditionis. *Nam tantum docere quis potest, quantum ab eo disci posse credunt discipuli. Inde*

Nihil agat sine prævia meditatione.

Conversetur cum Viris eruditissimis, *ut ex Socio habeatur talis: vel Conversationis defectum compenset* clarioribus literarum commerciis.

Aliquibus placet Jactantia, *quæ movendis adolescentum animis sæpe videtur sufficere. Sed difficilis est mediocritas: quippe Auditores inepta credulitate circumventi, crescente judicio atmetiuntur contemptum.*

III. INFORMANDI PRUDENTIA.

quæ versatur

Circa Res ad Informationem pertinentes: *ne inutilia præferat utilibus.*

Circa Modum seu Methodum informandi, *cui præter ordinariam doctrinam de Methodo inserviunt Regulæ:*

1. Ingenia laboribus non sunt obruenda.
2. Provectiores nimia laude non sunt invitandi ad superbiam.
3. Tardiores nimio contemptu non sunt redigendi ad desperationem.
4. Danda opera, ut una lectio multis pateat usibus, e. g. *dum Stylus exercetur, simul observari jubeantur artificia Oratoria; ipsumque dicendi argumentum illustret. Quæstionem ex historiâ vel principali quadam disciplinâ petitam.*
5. Sæpe suscipiantur examina, non ut ingenia explorentur, sed ut ex tempore loqui discant, qui discunt scire.
6. Jucunda inspergantur seriis, ut velut in ludo, non in ergastulo, versari videantur juvenes.
7. Non modo curentur præsentia, quæ faciunt ad Scholam; sed è longinquo dispo-

nan-

nantur, quæ faciunt ad Academiam, imo ad vitam.

NB. *Sunt aliqua Informationis arcana, quæ velut Statisticam Præceptoris constituunt: sed illa patefacere, est arcana destruere. Quia nihil prosunt arcana, nisi reliquis ignota.*

Circa extraordinarios casûs, qui requirunt disciplinæ severitatem, *quo loco Præceptor conservabit*

Amorem: *si vitiis succenseat non Personis; ac ipsi qui puniuntur, cognito punientis affectu, doleant læsam fuisse Personam amantissimam.*

Existimationem: *si ipse exemplo suo Virtutem doceat: ac deinde adhibitâ Circumspectione caveat potiùs, ne peccetur, quàm dispiciat, quomodo post commissa delicta pœna irrogetur.*

Prudentiæ laudem: *si ad aliqua conniveat: dolorem ad paucos, terrorem ad omnes extendat; delinquentes ex imbecillitate minus æquiparet contumacibus, &c.*

XII. Repetamus Ideam Boni Studiosi, nuper in Libello non ignoto propositam, ut exemplorum varietas Regularum Naturam comprobet: eamque data opera, non in forma Tabulæ, sed velut elaboratæ disputatiunculæ exhibemus, ut utriusque ratio, & disponendi & elaborandi innotescat.

1. Qui considerare velit Ideam *BONI STUDIOSI*, primò sit solicitus de *FINE*, postmodum

de *MEDIIS* ad finem acquirendum facientibus.

2. FINIS Studiosi vel est Ultimus vel Intermedius.

3. Ultimus alio nomine vocatur *GLORIA DEI*, alio nomine *JUSTA ERUDITIO. Ut enim quilibet creatus est ad gloriam DEI: sic ipsum hunc finem rectissimè assequitur, si faciat officium, ad quod vocatus est. Et verò qui sentit in animo suo discendi aptitudinem, tacitam, imo apertam DEI vocationem excolendæ Eruditionis audire se credat.*

4. Cæterum Eruditio duplex est: *PRIMARIA* & *SECUNDARIA.*

5. Eruditio primaria est, *quæ facit ad Amorem proximi, h. e. ad utilitatem tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ.*

6. Ita falluntur, *qui propriis saltem commodis studia destinaverunt, quos mercenarios vel cerdones dixeris; non eruditos.*

7. Eruditio secundaria est, *quæ facit ad commendationem, vel ad recreationem: hæc est JUCUNDA; illam dicimus GLORIOSAM:*

8. Utriusque non exigua cognoscitur necessitas. *Commendatione indigemus, ut inveniamus locum, cui applicentur studia nostra utilia: Recreatione opus est, ne deficiat industria Studiis utilibus debita.*

9. *MEDIA* ad hunc finem pertinentia vel sunt *VIRTUTES*, vel sunt *CONSILIA.*

10. E virtutibus primaria est *PIETAS. Hæc enim si est utilis ad præsentem & futuram vitam, utilis*

futu-

futura est ad eruditionem, quæ homines manuducit ad felicitatem in hac vitâ retinendam, in alterâ inveniendam.

11. Pietatis *fugiendus* defectus & excessus. *Defectus est, si quis velit laborare, non orare. Excessus superstitio sive hypocrisis est, si quis orando velit negligere labores à DEO mandatos.*

12. Altera Virtus, & ea quidem Generalis, est *STUDIOSITAS, quæ in excessu habet nimiam* Curiositatem, *in Defectu nimiam* Oscitantiam.

13. Sequuntur nunc Virtutes, quæ quidem Christiano semper sunt necessariæ; Studioso tamen non immediatè sed mediatè conducunt, *h. e. non faciunt ad ipsa studia, benè tamen promovent studiorum media.*

14. *Habemus hîc* Mediocritatem inter Audaciam & Timiditatem: (*si velis dicere* fortitudinem togatam, *non repugnaverim) qui enim nimium audet, aut inimicos aut contemptores invenit potentiores, qui nocent promotioni: qui parum audet, vel ipsa studia deserit, vel Patronis ac Viris clarioribus non innotescit.*

15. *Porrò requiritur Virtus huic sanè affinis, h. e.* mediocritas inter superbiam & timiditatem, *quam aliqui dixerunt* studium inclarescendi. *Nam qui superbus est, contemptis aliis vult inclarescere: quæ ipsa res tot affert difficultates, quot superandi sunt æmuli. Ex adverso, qui nimium humilis ac modestus est, aut sibi saltem discit, aut illis prærogativam concedit qui minus merentur,*

16. *Est etiam aliqua Virtus,* Mediocritas in rebus ad

curam corporis pertinentibus, *ut in cibo, in potu, in somno, ac si forte sunt recreationes aliæ, tantum observet, quantum ad servitium animi sufficit. Nam organon animi corpus est, quod nec nimium negligi debet, nec nimium expoliri.*

17. *Maximè necessaria Virtus est,* Mediocritas in acquirendis ac custodiendis pecuniis. *Qui nihil vult acquirere, si pauper sit, unde vitam sustineat Academicam? qui quodvis acquirendi medium arripuerit, ad sordidũ quæstum prolabitur. Ita nimium prodigus, & luxuriam, ejusq; comitem paupertatem accelerabit; tenax vicissim ipsos etiã benefactores ac Præceptores reddet alienos.*

18. *Neque minorem Utilitatem habet* Officiositas, *quæ mediocritatem servat inter nimiam promptitudinem, & nimiam inserviendi morositatem.*

19. *Et officia quidem per hanc virtutem dirigenda vel* concernunt ipsa studia, *vel* actiones à studiis alienas. *In ipsis studiis officiosius est, qui in alterius gratiam vel certam sectam eligit, vel certam disciplinam. Et sanè favorem merentur apud Professores, qui, præsertim in re controversâ, ad eorum partes secedunt: sed videndum, ne simul discedant à studiis utilioribus. Officiosi aliqui sunt* in sublevandis negotiis domesticis, & quicquid in vita communi alterius opem postulat; *neque desunt Fautores: utinam, sine planè negligantur studia, non desint promotiores.*

20. *Et facile judicium est, illud officiorum genus* arguere simplicitatem; *ex hoc* colligi libidinem otiandi: *ut sub velamento Officiositatis lateat defectus non exiguus.*

21. Tan-

21. *Tandem non infimi pretii est* mediocritas in quærendis amicitiis seu familiaritatibus. *Multi Amici sunt fures temporis & pecuniæ; nullos vicissim qui habet, nec studiis agnoscit æmulum vel socium, nec in periculis adjutorium.*

22. *Et ipsa hæc mediocritas tum proficiscitur à prudentia, cùm &* electio sibi constat, & *eliguntur meliores*, & interim non irritantur, qui in amicitiâ admissionem non inveniunt, *h. e. quod dicitur: familiaris paucis, civilis s. comis omnibus.*

23. Hæc de Virtutibus, nunc de *CONSILIIS*, quæ faciunt ad finem, h. e. Eruditionem. *Et cum Eruditio dupliciter consideretur;* vel quatenus est acquirenda, vel quatenus est applicanda, *h. e. quatenus interventu promotionis eadem ad gloriam DEI, proximique salutem adhiberi potest, duarum quoque classium habebimus consilia.*

24. *Consilia quæ concernunt* Eruditionem acquirendam, *his comprehenduntur regulis:* Altiora nunquam attingantur, nisi cautum sit de fundamentis inferioribus. *Insignis enim miseria, tractare sublimia, cum perpetuo erroris metu.*

25. Ea discantur, non quæ valent apud extraneos, sed quæ praxin ostendunt in patriâ. *Sic aliqui mirantur Mathematicos in Belgio, Philologos, imò* & *Curiosos in Angliâ: qui tamen reversi in Patriam nihil didicisse judicantur.*

26. Nunquam velit esse Autodidactus. *Sive enim quis ex proprio ingenio divinare voluerit singula, inversam & contrariam, ut solent novatores, eruditionem refert; sive saltem è libris ac manuscri-*

scriptis collegiis voluerit proficere, tandem deplorabit vivam Magistri vocem fuisse neglectam.

27. In omnibus sit aliquid, *h.e. studeat Polymathiæ;* sed unum habeat, quod præ cæteris, *& ut loquimur*, ex fundamento tractet. *Alias enim in toto futurus est nihil.*

28. Quæ disci debent ex fundamento, prius addiscantur in compendio, quàm in prolixis quæstionibus: prius in thesi, quam in antithesi.

29. *CONSILIA*, quæ faciunt ad promotionem, *certas itidem habent regulas, è quarum numero liceat delibare paucas. Et generalissima quidem regula est:* Fac ut sis eruditus, ac ut ultrò sequatur commendatio.

30. Prodeamus in lucem, nec studiorum nos pati credamus jacturam, si possimus interim Promotoribus innotescere.

31. Nemo temere judicet, nec quos tacitè agnoscit pro ineptis, apertè refutet. *Fortassis enim refutatur ille, quem habituri sumus Patronum.*

XIII. Cæterum qui Subjecti Naturam è Locis Topicis velit illustrare, habebit exempla nuper etiam publicata, nec immerito hic repetenda, Alterum de JACTANTIA, alterum de COMPLACENDI STUDIO.

XIV. JACTANTIÆ, *cujus in præsens consideratio requiritur, observanda.*

DEFINITIO. *Jactantia est deprædicatio propriæ præstantiæ in excessu peccans, ac propositam sibi habens utilem aliorum amicitiam.*

DIVI-

DIVISIO

respectu Subjecti, seu hominis jactabundi, qui esse solet

Eruditus, Miles, Mercator, Oeconomus *&c.*

respectu Objecti personalis, seu hominis, quem decipere conamur, & vere decipimus

Superiorem, Æqualem, Inferiorem. Et ex ejusmodi Personis Publicam vel Privatam,

Virum vel Fœminam. &c.

respectu Objecti realis, seu rei, quam jactamus: quæ vel est

Eruditio, Prudentia, Nobilitas, Opulentia, Amicorum copia, Honor, Res gestæ.

Imo apud malos, *audacia & occasio peccandi.*

respectu Formæ seu Excessus

Aliqui nimis excedunt, qui magis jactant ea, quæ minus adsunt.

Aliqui magis excedunt, qui mentiendo jactant, quæ planè absunt.

respectu Modi, cujus interventu excedimus.

Aliqui suis verbis se magnifaciunt.

Aliqui subornant debuccinatores:

Aliqui vel editis libellis, vel ostensis Adulatorum epistolis tentant honoris aucupium.

Pertinet huc fallacia, sub virtutum larva quodvis flagitium vel excusans, vel probans.

respectu Finis seu Amicitiæ utilis.

Aliqui cupiunt promoveri.

Aliqui post acquisitam promotionem altius extolli.

Aliquos vel delicatum prandium, vel accedens quoddam lucellum allicit.

MEDICINA.

ANTECEDENS, quæ morbi naturam apperit his regulis:

1. Jactantia reportat ludibrium eorum, qui deprehendunt vanitatem.
2. Reportat odium eorum, qui suam præstantiam intelligunt impugnari.
3. Reportat periculum & damnum, erumpentibus odiis: nec tamen meretur commiserationem, commune alioqui miseriæ solatiũ.

CONSEQUENS, quæ expellendi morbi restituendæq; sanitatis media suppeditat, quæ sunt

Generalia.

1. Omnia sunt dona Naturæ & Fortunæ, seu ut Philosophus Christianus loquitur, dona Dei: cur igitur ea jactemus tanquam nostra?
2. Fundamentum jactantiæ vel vanitas est vel mendacium: cur igitur nostram fortunam credamus rei minus constanti?
3. Vivimus in statu imperfecto: Quamobrem si quis nimiam sibi tribuat perfectionem, simplicitas arguitur, quæ ulterius pergere nititur, quam permittit conditio humana.

Specialia.

Quæ diriguntur ad singulas Circumstantias actionum & Personarum. e.g. *Cur jactabundus es in Aulâ, siquidem Aulici superbis delectantur maximè, quod proximum habent gradum ac statum Morionis? Cur jactabundus es Doctor apud tuos Audi-*

Auditores, cum isti ad annos discretionis progressi tuam execraturi sint vanitatem? &c.

XIV. COMPLACEDI STUDIUM, quale quidem nun considerandum suscepimus, cognoscitur quoad

DEFINITIONEM. *Est obsequium alterius hilaritati obnoxium, cum Jactura honoris lucri sordidissimi causâ susceptum.*

DIVISIONEM

respectu Subjecti seu hominis in obsequio excedentis.

Nam quo majorem quis honoris curam habere jubetur, tanto deformior hic est excessus.

Fuit Magistratus,

Fuit Juventutis Informator,

Fuit Ecclesiastes. &c.

respectu Objecti Personalis s. hominum, quos delectamus,

sunt homines nobis obnoxii, *Subditi, Auditores, Liberi, Servi.*

sunt homines à nostris studiis alieni: *Studiosus delectat Militem, Miles Mercatorem.*

Sunt homines patriæ nostræ infensi, *Germanus delectat Polonum, Hispanus Gallum.*

respectu Objecti realis, seu rerum, quæ delectationis faciunt argumentum, quæ sunt

vel moraliter malæ, *h. e. violant Deum & honestatem, ac inclinant in scurrilitatem.*

vel civiliter ineptæ. *Si tristibus læta, severis*

ludicra,

ludicra, senibus puerilia objiciamus, quæ propendeant ad Stoliditatem.

respectu Formæ seu Excessus, qui judicatur è Circumstantiis.

Ubi? lusit, cum agenda essent seria.

Quando? lusit eo tempore, quod à lusibus erat alienum.

Quomodo? gestibus, sermonibus, omnique cultu id egit, ut aliorum hilaritati videretur inservire.

respectu Finis, seu lucri sordidi. Nam aliqui se putant felices, si deprædicentur ob virorum clariorum conversationem.

Vel si stoliditatis causâ reliquis dicantur superiores, & velut excellentiores.

vel levissimo donario demulceantur.

MEDICINA.

ANTECEDENS, quæ morbi naturam aperit.

1. Plerumque lusus amatur, ludens contemnitur.

2. Magis contemptum est, quod lucri sordidi seu alienæ liberalitatis causa fieri solet; cum præsertim ipse excessus pariat hilaritatis nauseam.

3. Pertinent huc exempla ludibriorum, quibus hinc inde laboraverunt sordidi homunciones.

CONSEQUENS.

1. Pulchrum est servare honorem & auctoritatem.

2. Sa-

2. Satius est alios ridere, quam rideri ab aliis.
3. Pertinent huc, quæ de usu rectæ rationis, de studio severitatis, ac de conversatione honestâ inculcantur à Philosophis.

XV. Est etiam Methodus, Rhetoribus usitata, proveniens è Locis, quos vocant Proprios, quod eosdem Rhetorica cum aliis non habet communes. Quicquid enim laudari debet vel vituperari, id describitur *1. ab Honesto s. Glorioso. 2. ab Utili. 3. à Jucundo. 4. à Facili. 5. à Necessario*; vel cum persuaderi debet contrarium, *1. à Turpi s. minus honorifico. 2. à Damnoso. 3. à Molesto. 4. à Difficili. 5. à Supervacaneo.*

XVI. Sed si rem intueamur penitius, hic etiam dominantur Loci, quibus debentur ætiologiarum inventiones. Et videri jam possent Exempla in Oratore meo Politico, nisi consultum illis quoque vellem, qui libro allegato destituuntur. Quamobrem videamus, quid dici posset de Laudibus Musicae.

Musica Est Honesta.

Ætiol. 1. *è Loco Notat.* Nam derivatur à Musis, quas Antiqui crediderunt Deas.

Ætiol. 2. *è Loco Caus. Effic.* Nam Deus amor Musices, in visionibus Prophetarum & Vocalem & Instrumentalem Musicam se diligere testatus est.

Ætiol.

Ætiol. 3. è *Loc. Effect.* Nam excitat pium affectum, acuitque devotionem. Quin & hilariorem reddit hominem reliquis actionibus.

2. MUSICA EST UTILIS.

Ætiol. 1. *ab Effectu:* Nam Animum reddit obeundis laboribus paratissimum.

Ætiol. 2. *ab Adjuncto:* Nam eam tandem comitatur favor ac benevolentia Hominum.

Ætiol. 3. *à Comparato Minoris ad Majus.* Si acceptus est, qui faciem habet amabilem, multo magis, qui faciem vocis suavitate commendat.

3. MUSICA EST JUCUNDA.

Ætiol. 1. *ab Objecto.* Nam movet Affectus, in quibus homo sensum habet tenerrimum.

Ætiol. 2. *à Forma*; nam tonorum habet varietatem, mirificè permixtam. Varietas autem delectat.

Ætiol. 3. *à Subjecto*: Nam locum maximè invenit in personis lætioribus, h. e. in Conviviis Nuptialibus &c.

4. MUSICA EST NECESSARIA.

Ætiol. 1. *à Testimonio.* In Sacris enim jubemur cantare.

Ætiol. 2. *ab Opposito.* Hæc enim si absit, locum sæpe inveniet Conscientiæ turbulenta concussio.

Ætiol. 3. *à Partibus.* Lætari jubemur cum lætantibus, lugere cum lugentibus. Utrinque conducit Musica.

CAP.

CAPUT V.

De Methodo Thematum Conjunctorum.

I.

QUæ requirantur ad hanc Methodum, Tabula superius proposita jam expressit. Sive enim res ventiletur POSITIVE, sive POLEMICE. *Status Controversiæ est formandus, Principia, & Præcognita, quin & Terminorum explicatio subjungenda, Rationesque sive Negationis sive Affirmationis afferendæ.*

II. Exemplis omnia evadent clariora. Si enim quis interroget Politicum: *Num Fœdera cum Infidelibus sint licita?* Tali ordine procedet dissertatio.

1. Explicantur Termini.

Quid sit Fœdus? *Pactum de mutua amicitia.*

Quotuplex sit? vel *latè acceptum*, ut sit Pacis Synonymum, vel *strictè*, idq; vel *pro amicitia in tractandis commerciis*, vel *pro amicitia armorum*, *tum in bello offensivo*, *tum in defensivo.*

Qui sint Infideles? Non Hæretici, qui de Christo minus rectè sentiunt: Sed illi, qui Christum plane ignorant, Ejusque loco Deos colunt alienos.

2. *For-*

2. *Formatur Status Controversiæ.*

Non quæritur: *an Fœdus latè acceptum Christianis intercedere debeat cum Infidelibus?* quippe si Finis universæ hominum societatis est Pax, ea etiam accipi debet à quovis homine; sed *an expresso Pacto, positiva quadam Amicitia promitti illis debeat, qui Deum habent inimicum?*

3. *Præsupponuntur Principia*

POLITICAE CHRISTIANAE: *Omnia dirigi debere ad amplificationem Gloriæ divinæ, veræque Religionis.* Porro *velle Deum, ut societates hominum sibi invicem prosint.*

POLITICAE STATISTICAE. *Videndum, ut Resp. habeat rerum affluentiam. Debilitandos vicinos, Statui alioqui noxios. Cavendum, ne vitanti minus malum, contingat majus.*

4. *Distinctè solvitur Quæstio.*

QUOAD THESIN.

Licitum est pangere Fœdera Comerciorũ.

Prob. Aliqua enim nobis necessaria possidentur à solis Barbaris & Infidelibus.

Sic enim è nostra Conversatione illis innotescit vera Religio.

Licitum est pangere Fœdera Armorum, si Infideles indigeant auxiliis.

Prob. Sic enim præstatur officium omnibus hominibus, adeoque etiam infidelibus debitum.

Sic

Sic utrinque debilitantur Barbari, nobis interim ſecuro hoc ſpectaculo gaudentibus.

Illicitum eſt ab Infidelibus paciſci auxilia.

Prob. Nam Infideles Chriſtianis parum faventes auxilia mittent parum fida.

Nam id vergit ad contemptum Nominis divini; Servos veri Dei ſecuros non eſſe, niſi implorent Servos Diaboli.

QUOAD ANTITHESIN.

Ultimo enim Membro objici poteſt.

1. Fœdera ſunt actus politici, in quibus non obſervatur Religionum diverſitas.

Reſp. Sunt actus politici, quibus indirectè læditur Religio. Ergo Principium hoc valet ſaltim in illis Actionibus, quæ utrinque ſalva Religione poſſunt exerceri: qualis erat uſus Commerciorum.

2. Maccabæi Romanos & Spartanos habuerunt Fœderatos.

Reſp. Neque iſta Conſilia ipſis fuerunt felicia, ut plenam ſuam Securitatem inde reportarent.

3. Poteſt emergere Caſus neceſſitatis.

Reſp. Tum recipienda magis quam expetenda & imploranda ſunt auxilia. Recipiens enim agnoſcit beneficium à Deo miſſum: implorans de remediis aliis Deo poſſibilibus deſperat.

III. Dabimus Exemplum aliquanto luculentius. Si enim quis proponat Quæſtionem ex eadem Diſciplinâ: *An Politico magis proſit Feſtinatio, an Cunctatio?* Sic ordinari poteſt Reſponſio.

1. Præcognoſcitur Subjectum.

Politicus eſt Vir prudens Reip. utilis, occupatus in negotiis dubiis & periculoſis, Cives habens mutabiles & Affectuum pleniſſimos, & qui Statum præſtare poteſt, non qualem optamus, ſed qualem ex ipſa rerum conditione ſperamus.

2. Præcognoſcitur Prædicatum.

Ubi comparantur duæ Actiones. Feſtinatio & Cunctatio.

Feſtinationis hæc eſt natura, ut plerumque excludat debitam conſultationem, de eventu non cogitet, cœcoque magis impetu feratur, quàm ordinata ratione.

Cunctatio viciſſim arguit induſtriam meditandique patientiam, & locum quærit captandis occaſionibus.

3. Solvitur Quæſtio.

A NATURA SUBJECTI.

1. *Argum. ab Objecto.* Politicus verſatur circa res dubias. E. magis competit Cunctatio.

Accommodare ſuas actiones debet variis Perſonis. E. cunctandum.

2. Ab

1.*Ab Effectu.* Politicus non semper potest bis peccare, sed rebus semel perditis, ægrè ad primam fortunam assurgit. E. cunctandum.

2.*Ab Adjuncto.* Politicus plura timet, quam sperat. E. magis inclinabit ad cunctationem, quæ timori propior est, quam ad festinationem, quæ oritur è fiduciâ.

4.*Ab Opposito.* Imprudentis est peccare è motu præcipitantiæ. E. Politicus prudens observabit contrarium.

A NATURA PRÆDICATI.

1.*Ab Effectu.* Qc. prolabitur in perniciem, id Politico minus est conducibile, quàm quod præcavet perniciem. E. satius est cunctari, quàm festinare.

2.*Ab Adjuncto.* Qc. habet præstantiora Adjuncta, id præferendum est alteri, quod habet Adjuncta minus præstantia. Jam Cunctatio Adjuncta habet Industriam, Tolerantiam, Vigilantiam, E. ea præferenda.

3.*à Causa Efficiente.* Qc. provenit ab Effectu corrupto, id postponendum alteri, quod elicitur ab Affectu magis recto. Jam festinatio vel dirigitur ab Ambitione, vel ab Avaritia, uno verbo, ab inordinato & impatienti desiderio obtinendi Finem: cum ex adverso Cunctabundus desideria sua subjiciat Prudentiæ. E. postponenda Festinatio.

4.*Solvuntur Objectiones.*

1. *Qui arripit Occasionem, præferendus est alteri, qui negligit.*

R. Aliud est negligere occasionem, aliud eandem prudenter expectare.

2. *Est occasio, quæ statim vult arripi.*

R. Sed antequam emergeret occasio, locus erat cogitandi: siquidem prudens est, qui futura prospicit: jam in futurum quoque cunctabunda fovet consilia.

3. *Est occasio, quæ prævideri non potuit.*

R. Cunctatio vel accipitur *extensivè*, cum quis in longum tempus differt executionem, vel *intensivè*, cum quis tantam præmittit consultationem, quanta satis est.

4. *Cunctari est vitium sedulitati oppositum.*

R. Et festinare est vitium consultationi oppositum. Quæritur, quid mediocriter acceptum alteri debeat præferri.

IV. Placet Exemplum Scholastico-Politicum, *An omnes Pueri bonæ indolis manuduci debeant ad Studia?* Quo loco observabimus.

NATURAM SUBJECTI.

De Pueris est Quæstio, qui destinantur ad resarciendam Remp. sicubi Parentibus & Majoribus aliquid contingat humanitus; nec de iis, quorum stupiditas infra expectationem est, sed quorum natura felicem Informantis suc-

ſucceſſum pollicetur: qui pollent memoria, ut regulas accipiant, judicio, ut applicent, agendi dexteritate, ut probent.

NATURAM PRÆDICATI.

De Studiis loquimur, quæ tractantur in Scholis, ac perficiuntur in Academiis, ſive quis Theologiam, ſive alias Facultates ſuæ diligentiæ deſtinaverit: quorum hæc eſt natura, at fructus afferant quidem uberrimos, ſed eos dividere vix patiantur in multos, e.g. Pauci ſufficiunt Concionatores, non nimis amplum ſæpe eſt Senatus Collegium, ab uno vel altero Medico dependent cives &c. Quin etiam abſolvi raro poſſunt ſine ſumptibus & Patronis.

SOLUTIONEM IPSAM.

QUOAD THESIN.

Omnes Pueri bonæ indolis non debent manuduci ad Studia.

Confirmatio

RESPECTU SUBJECTI.

1. E. quorum numero ſupplendi etiam ſunt alii Status, illi non ſunt manuducendi ad ſola Studia.
2. Quæ Virtutes aliis etiam Statibus ſint neceſſariæ, easdem ſolis Studiis non debemus adjudicare: Jam Milites, Mercatores, ipſi

opifices tum Reip. demum sunt utiles, cum sibi constat memoria, judicium, dexteritas.

3. Ut se habent Parentes, quibus aliquando succedere jubentur minores; ita etiam habere se debet minorum informatio. Sed omnes non sunt eruditi. E. è pueris non est faciendus eruditorum exercitus.

RESPECTU PRÆDICATI.

1. Qc. requirit maximos sumptus, id non est exigendum ab omnibus: siquidem plures in Rep. sunt pauperes quàm divites.

2. Qc. sine Patronis fructum afferre nequit, non est suscipiendum ab omnibus: quippe tantus Patronorum non est numerus, ut multorum expectationi sufficiant.

3. Cujus fructus dividi possunt non nisi inter paucos, id non est postulandum à multis, sed Studia sic comparata sunt. E. &c.

QUOAD ANTITHESIN.

Obj. 1. *Satius est abundare doctos, quàm deficere.*

Resp. Limito, si reliquis etiam Statibus jam fuerit consultum. Miserum est abundare doctos, deficere Mercatores, Opifices, Agricolas.

Obj. 2. *Interest Reip. Personas utiles posse eligere è multis.*

Resp. Sed minus interest Eruditorum, præ nimiâ multitudine nullam invenire Praxeos occasionem.

Obj.

Obj. 3. *Utinam omnes Cives essent eruditi!*

Resp. Eadem operâ omnes opta sanctos & sanos. Non loquimur quid optari, sed quantum sperari possit. Nam sanè quicunque vel in levissimo suo opere usum & exercitationem est acquisiturus, otium non habet tractandi libros, quorum nisi apud animos vacuos, exigua est utilitas.

Obj. 4. *Sic destruentur Scholæ.*

Resp. An Scholæ sint nimis multæ, disputent alii. Certè Scholam non celebrat discentium numerus, sed virtus. Et malim paucos informari diligentius, quam obrui Præceptorem discentium copia.

Caput VI.
De Methodo Thematum Mixtorum.

I.

Thema Mixtum appellatur, quod in se quidem simplex est, sed occasionem tamen suppeditat eruendi varias Propositiones & Consequentias, quarum tractatio sapit Thema Conjunctum.

II. Et istæ Propositiones vel certæ sunt Theses, vel Dubiæ Quæstiones, communique nomine vocantur *Porismata*, *Consectaria*, *Corollaria*.

III. Triplicem vero habent reſpectum iſta Conſectaria. Vel enim *docent*, h.e. rei ſcientiam & veritatem inquirunt; vel *hortantur* h. e. Prudentiam & Praxin adjuvant; vel *ſolantur*, h. e. Medicinam & utilitatem doctrinæ oſtendunt.

IV. Utrobique tractatio vel eſt *poſitiva*, vel *negativa*. Qui docet, non demonſtrat modo quid ſtatui, ſed etiam quid rejici debeat. Sic Adhortationes non ſaltem tangunt facienda, ſed ſimul etiam fugienda. Conſolationes non probant modo, quantum tolerari debeant mala præſentia, ſed quam certò expectari ſimul debeat malorum finis, ac melioris fortunæ initium.

V. Et hos ipſos Uſus, ut vocant, præcipuè obſervant Concionatores, qui tum demum juſtæ Concionis laudem aſſequuntur, cum poſt Exegeſin Uſum ſubjungunt *Didacticum & El nctIcum*, *Pædevticum & Epanorthoticum*, tandem *Conſolatorium*, ſeu *Paracleticum*.

VI. Neque mirum eſt, poſtquam hoc artificium inter Theologos eſſet frequentatisſimum, reliqui vero ejus curam adeo ſingularem non haberent, Oratoriam Eccleſiaſticam planè diverſam videri ab Oratoria communi, ſive ea diceretetur Scholaſtica, ſive Politica.

VII. Sed

VII. Sed de artificio Concionatorum, quatenus aliquod è Logicis venit adminiculum, videbimus Libro ſequente. Nunc ſufficiat aliis exemplis tractandi modum illuſtrare.

IIX. Sic enim quis dicere vel diſſerere poſſet de PAUPERTATE, ut occurrat

SIMPLEX TRACTATIO, ſecundum Locos Topicos.

FORMA Paupertatis, cum ſit Privatio, eſt abſentia Divitiarum.

OBJECTUM, ſeu id quod abeſt, ſunt Divitiæ tam mobilcs quam immobiles.

SUBJECTUM, Homo in quacunque demum dignitate vivat. *Habemus pauperes Principes, tales Nobiles, Studioſos, Mercatores* &c.

CAUSA EFFICIENS

Tranſiens ſ. externa *eſt, vel* hominum malitia *Raptor, Fur, Miles, fraudulentus Amicus, & quicunque ſufficit exhauriendis loculis,* vel fortunæ adverſitas, *ſicut Incendiis, Exundationibus, Grandinibus &c. multi ſuam debent inopiam.*

Immanens ſ. interna *eſt, ipſe Pauper propria culpa redactus ad inopiam,* ſive id per Luxuriam, ſive per Polypragmoſynen, per lites forenſes, per nimiam Liberalitatem &c. contigerit.

Datur etiam Cauſa, quam dicere poſſes *deficientem,* ſicubi quis nullam acquirendi occaſionem habeat in promptu. e.g. Si Pharma-

copœus officinam non habeat apertam, vel Studiosus Theologiæ nullum suggestum &c.

FINIS judicatur respectu Dei permittentis, ac est vel pœna temporalis Luxuriæ, vel avocatio à peccatis, quæ satis frigent, remotis peccandi instrumentis.

ADJUNCTA

Mala, *Contemptus, Timiditas, Tristitia, emergendi difficultas.*

Bona, *Securitas, liberior Virtutis operatio, Vitiorum debilior incursus.*

CONTRARIA. h. e. *Media parandarum divitiarum.*

Aliena Liberalitate, *dum devincire Patronos, captare hæreditates; imo invenire thesaurum optamus.*

Propria Industria, *dum ad certum vitæ genus progressi laboris lucrum captamus.*

CONSECTARIA.

DOCTRINALIA.

QUOAD THESIN.

1. Paupertas exiguum hominis malum est, quippe bona saltem absunt externa.
2. Felicior est aliena culpa factus pauper, quam cujus injuria alios pauperes reddidit.

QUOAD ANTHITESIN.

1. Paupertas mala non est, quia potest consistere cum virtute.

2. Pau-

2. Paupertas non eſt triſtis, quippe ſolvitur curis, quas divites pecuniarum cuſtodes experiuntur.

PRACTICA.

QUOAD PÆTEUSIN.

1. Sis attentus, ne noceant Fures.
2. Sis modeſtus & pacificus, ne noceant potentes.
3. Sis induſtrius, ut affluat lucrum.
4. Sis obſequioſus, ut vigeant tua commercia.

QUOAD EPANORTHOSIN.

1. Ne ſis Voluptati deditus, quæ nihil acquirendo, omnia conſumendo, ſe ipſam perdit.
2. Ne ſis nimium liberalis, ne exhaurias liberalitatis fontem.
3. Noli multa ſimul tractare negotia, ne unius damno evertatur alterius lucrum.
4. Ne ſis ſecurus vel ſuperbus, quamdiu poſſides divitias: quippe & intra & extra te patet occaſio, quæ paupertatem attrahat.

CONSOLATORIA.

QUOAD TOLERANTIAM.

1. Quis curat jacturam pecuniæ, dummodo ſibi conſtet animus.
2. Qui non habet opes, non habet inimicos: Qualis enim eſt Antipathia inter Lupum & ovem, inter Ruſticum famelicum & offam carnis, talis etiam eſt inter Avarum & divitias.

3. Quod

3. Quod eripi poteſt ab hominibus, & à quovis fortunæ impetu, non eſt ſummum Bonum.
4. Si es contemptus, cogita honorem eſſe fluxam vanitatis opinionem.
5. Si times, cogita magis timere divites.
6. Si triſtitiam ſentis, cogita eandem venire ex appetitu inordinato, non à ratione.
7. Si emergere nequis, etiam cadere non poteris è ſublimi.

QUOAD SPEM MELIORATIONIS.

1. Sunt Patroni, ſunt Amici, eſt Deus, qui dare poteſt feliciora.
2. Habes artem, quæ nondum ex toto perire te ſinit, &c.

IX. Placet aliud Exemplum de GLORIA.

Cujus notatur

DEFINITIO.

Gloria eſt Opinio hominum de alterius Præſtantia.

OBJECTUM.

Præſtantia vel vera *Virtutis*, *Eruditionis*, *Prudentiæ*, vel apparens, *Felicitatis*, *imo bonorum Fortunæ*, *quæ non ſunt in noſtra poteſtate*.

SUBJECTUM.

Ipſe homo, quem gloria deſignat.

FORMA.

Gloria vel publico conſenſu, vel expreſſis ſignis h.e. Arcubus, Statuis, Scriptis deſignatur.

CAU-

CAUSA EFFICIENS.

Deus, qui hominum corda dirigit.

Homines, qui in publicam hanc opinionem consentiunt.

FINIS.

Debitum virtutis præmium, quin & excitatio reliquorum ad similem industriam.

ADJUNCTA.

Dignitas, Prærogativa, Auctoritas, Alacritas, *quin &* Invidia, Molestia defendendi honorem.

CONSECTARIA.

DOCTRINALIA.

1. Gloriæ soliditas jucunda ex Objecto, non è corrupto aliorum testimonio.
2. Gloriam non esse in potestate gloriosi, sed ejus, qui Opinionem hanc suo arbitrio confirmat.
3. Multos homines Gloriam ex merito non adipisci.

PRACTICA.

1. Obsecundandum hominibus, si quis velit evadere gloriosus.
2. Operam virtuti dandam, si jam acquisita sit gloria, ne posterior jactura priorem consensum deformet.
3. Minus superbiendum, si quem Opinio publica honoratum judicet: quod ab hominum non prudentissimorum arbitrio dependet hæc gloria.

4. Dei

4. Dei religionisque habendam curam, à cujus nutu diriguntur universa ac proinde corda hominum opinantium.

CONSOLATORIA.

1. *Adversus Invidiam.* Sit ita, dummodo vel ipse inimicus invidendo perhibeat nostræ præstantiæ testimonium.

2. *Adversus molestiam.* Magna res magno labore quærenda. Qui vult antecedens, Gloriam, velit simul consequens laborem & invidiam.

3. *Adversus honoris absentiam.* Quod in mea potestate non est, ejusdem, si absit, culpam ego non luo. In Magnis voluisse sat est.

QUÆSTIONES dubiæ, & *eæ vero.*

Doctrinales. *An qui habet jus Nobilitandi, in sua potestate habeat gloriam? An cessante hominum actuali opinione, cesset gloria? An gloria cadat in plebejos?*

Practicæ. *An gloriæ causa valeat adulatio & corruptio? An Gloriam magis provehat audacia & superbia, quam timor & humilitas? an gloria quærenda non virtutis, sed sui causa?*

Consolatoriæ.

An unus homo possit evertere totius Societatis opinionem?

An Contemptus occludat virtutis iter?

An Stultus honoratus præferri debeat Sapienti inglorio?

X. Neq; semper Consectaria talia sunt, quæ propriæ attingunt rei naturam, in quantum ea pro-

propriè patet his Consequentiis: sed interdum per lusum allegoricum, velut è Loco Parium & Imparium eruuntur quæstiones, de quibus cogitaverat nemo. Suscipiamus descriptionem VIOLÆ.

DEFINITIO.

Viola est flos colore ferrugineo seu purpureo insignis, florens sub finem Martii, gaudens solo umbroso & aspero, habens temperamentum frigidum & humidum.

DIVISIO.

Est vel odorata vel inodorata, quæ hic non attenditur; vel accipitur strictè, ut habemus in definitione, vel latè, ut simul designet Leucojum, Jaccam &c.

ADJUNCTA.

Color, Odor, Virtus medica. Fugacitas, tanta, ut pereat verè nondum adulto.

CONSECTARIA proprie accepta.

1. Deus ordinavit has veris primitias, ne quam anni partem sua destituat voluptas.

2. Medici succum adhibere possunt in compescendo febrium fervore, quin & in tussi, præsertim quam sequitur gutturis asperitas.

CONSECTARIA Allegorica, *& ea quidem* DOCTRINALIA.

1. Non quærendum, quam cito quid pereat, sed quam sit utile.

2. Aliqui dum moriuntur, adhuc velut posthumum succum in scriptis ac operibus suis relinquunt.

PRA-

PRACTICA.

1.Noli contemnere, quod naſcitur in umbra.

2.Noli contemnere, quod eſt parvum, ſiquidem in parvo ſæpe maxima Virtus.

3.Noli prætexere debilitatem tuam, quæ impediat officia proximo debita: quippe parvitas non prohibet violas, quo minus proſint.

4.Bis dat, qui cito dat. Quod exſpectare jubens reliqui flores, id feſtinabunda benignitate præſtatur à viola.

CONSOLATORIA.

1.*Noli accuſare fugacitatem fortunæ:* forſan ea tibi reliquit Medicinam.

2.*Habes temperamentum frigidum in culinâ, humidum in oculis?* In hoc temperamento ſuaviter olet viola.

3. *Deſignatur ſolum umbroſum h. e. contemptum, aſperum h. e. egenum?* Sic optimè proficiunt Violæ.

4. *Negantur honores?* Et viola, florum humillimus, ſuam habet purpuram.

XI.Sed exemplorum ſatis. Quippe jam patet, Conſectaria nihil eſſe aliud, quam *concluſiones, quæ medium terminum petunt ex antecedente tractatione.* Quod ſi igitur ſpectemus Conſectaria allegorica, qualia dedimus in explicatione violarum, ea certè vim non habent

habent probantem & Logicam, ſed potius illuſtrantem & Rhetoricam; nec tam faciunt ad doctrinam, quàm ad perſuaſionem & pompam. Interim facienda hic erat Allegoriarum mentio, ſive ſic illuſtratur locus Comparatorum, ſive nullos diſſerendi fontes negligere debet præſens diſciplina. Ita vero cognoſcitur, pronum à Logica curſum dari ad Rhetoricam, illisque Præceptoribus, qui ratione temporis habita, duos parietes una fidelia ſolent dealbare, commodiſſimam fore Topices ac Methodi, cum Practica Oratoria conjunctionem.

PARTIS II.
LIBER III.
De INTERPRETATIONE.

CAP. I.
De Interpretatione in Genere.

I.

Qui modum ſciendi ſectatur, duplicem Interpretationem ſibi deprehendit neceſſariam. Aut enim proprios conceptus alteri communicare, aut ex alienis ſcriptis conceptum alterius judicare & eruere jubetur.

II. Et primum interpretandi officium quantam habeat præſtantiam, vel inde colligitur, quod multi quidem ſatis ſunt eruditi, nulla tamen pollent facultate, quâ latentem ſuam Eruditionem, diſſerendo, diſputando, docendo reddant conſpicuam.

III. Sed de iſto jam accipi debent, quæ ſuperiori Libro propoſuimus de Methodo: Si enim

enim vel maxime ad hanc Interpretationem ſimul requiratur Styli perſpicuitas, quo in genere Hiſtoricos recentiores ſuperavit *Sleidanus*, Didacticos Superioris ſeculi *Melanchthon*, hujus ſeculi *Voſſius*; Ea tamen cura ad Grammaticam & Rhetoricam potius, quam ad Logicam pertinet.

IV. Interim monere velim ſingulos, qui ad docendum vel publicè vel privatim accedunt, ut non tam in verborum ſublimitate, vel abſtruſarum ſententiarum pompa, ſed potius in perſpicuo charactere veritatem habitare credant, eamque dicentis ſummam exiſtiment felicitatem, ſi fuerit intellectus ab omnibus, etiam ſimplicioribus.

V. Cæterum hujus Libri nunc fuerit cura, quomodo doctrinam, ab aliis ſcripto vel dicto propoſitam, commodè liceat intelligere, & intellectam ad uſus deſtinatos dirigere.

VI. Et ſunt qui Doctrinam hanc, ſpeciali Logices tractatu, ſub *Hermeneutices* nomine, reddiderunt commendatiorem, quorum quidem opera plerisque eruditis fuit probatiſſima.

VII. Rem vero perpendentibus apparet, interpretandi genuinum officium in eo conſiſtere, ut in Textu propoſito Grammatices, Rhetorices & Logices applicationem quam

accuratiſſimè diſponamus: claro argumento, ſolam Logicam ad Interpretis conſummationem non ſufficere.

IIX. Interim ne nos deſerat juſta methodus, generaliter primo diſpiciemus 1. *De rerum interpretandarum Ordine.* 2. *De Senſu.* 3. *De Veritate.* Quibus præſuppoſitis, in eorum gratiam, qui Logices uſum in Studio Theologico ſunt experturi, aliqua dicemus *de Interpretatione ſacrorum, ſeu ordinandis concionibus*, in quantum Logica ſuas partes ibidem agere conſuevit. Nam JCtorum operam occupare, quam præſtant per Legum interpretationes; vel etiam Grotii caput de Interpretatione hic exſcribere, nec materia, nec ſcopus, nec indoles auditorum permittit.

CAPUT II.

De Rerum Interpretandarum Ordine

& Primò

De Ordine Propoſitionum.

I.

QUicquid Interpretem admittit, vel nuda Propoſitio eſt, vel Oratio è multis Propoſitionibus compoſita.

II. Nu-

II. Nudæ Propositionis Ordinem ritè cognoscit, qui Subjectum à Prædicato decenter separat: Orationis plenam dispositionem nactus est, qui Thesin & scopum principalem, ejusque Confirmationem ac Illustrationem è singulis Periodis circumspectè potest eruere.

III. Videbimus primo de Propositione. Quicquid enim de Subjecti & Prædicati discrimine loqui valeant tyrones; magna certè interdum est obscuritas, quæ sufficit torquendis etiam eruditis.

IV. Ante omnia sciat Interpres ex Orationibus non Enunciativis reddere Enunciativas s. Logicas.

† e. g. Si quis hortatoriam hanc aggrederetur: *Quærite primum Regnum Dei*, de sensu Prædicati non esset certus, nisi constaret de Subjecto; quippe talia sunt Subjecta, qualia esse permittuntur à suis Prædicatis, & contra. *vid. supr. pag. 14.* Ergo sensus Logicè talis emergit: *Homo (subintellige de victu & amictu solicitus) debet primum quærere Dei Regnum.* Sed de his jam aliqua dedimus *pag. 9.*

V. At Subjecti & Prædicati situs vel est ordinarius & naturalis, vel extraordinarius & artificialis. Prior magis favet Logicæ, faciens ad Veritatis explicationem: Alter accedit

ad Rhetoricam, magnamque vim contribuit Illuſtrationi.

VI. De ſitu ordinario habemus Regulas. Ubi occurrit *Nomen & Verbum, ibi Nomen ordinariè eſt Subjectũ, verbum eſt Prædicatũ.*

† Sit Limita, *ſi locutio ſit plana & ſimplex.* Quantam enim Oratores habeant licentiam, vel ſine exemplo patet. Seneca dicit: *Abominandum remedii genus eſt, ſanitatem debere morbo.* Quo quidem loco, verbum *Debere* Subjectum eſt, *Abominandum remedium* Prædicatum.

VII. Altera Regula eſt: *Cum occurrunt Termini, quorum alter eſt latior, alter anguſtior, latior faciet Prædicatum, anguſtior Subjectum.*

† Nam Prædicabilia, unde fiunt Prædicata, alio nomine dicuntur Univerſalia: ſed hic etiam adhibenda limitatio, valere ſaltem in Propoſitionibus univerſalibus & ordinatis, non in particularibus & inordinatis, quales habemus ſupra *pag. 7.*

IIX. Tertio notandum: *Qui terminus aliquo modo refert Materiam, eſt Subjectum; qui comparari poteſt Formæ, conſtituit Prædicatum.*

† Ut enim Materia multis Formis apta, tandem recipit unam, unde provenit Totum Compoſitum: ſic quoque Subjectum multis Prædicatis aptum, afficitur ab uno Prædicato, ut emergat propoſitio.

e.g.

e.g. In hoc dicto: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, CONTERERE Forma seu denominatio est, quæ tribuitur SEMINI velut Materiæ. Nimirum quicquid aliquo modo denominat, inpræsens Forma dicitur.

IX. Quarto: *Ubicunque Termini se respiciunt ut Causa & Effectus, vel ut Antecedens & Consequens. Antecedens est Subjectum, Consequens Prædicatum.*

† Confert thesin VI. pag. 7.

X. Propositiones Hypotheticas & alias Compositas quod attinet, optimè dum admittunt Interpretationem, cum resolvuntur in Categoricas & Simplices.

e.g. *Si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus*, ita redigitur ad formam Propositionis Categoricæ: *Nos resurgemus, & in tantum valet Prædicati Subjectiq; connexio, in quantum cum veritate convenit, Christum surrexisse.*

XI. Unum hoc notetur: *Cum duo Subjecta occurrunt, quod contingit in Enunciationibus Compositis, id est præcipuum, ad quod dirigitur scopus dicentis.*

† Vide Exempla inferius obvia.

XII. Hæc de situ ordinario. Quod si quis arrogare sibi velit Licentiam Oratoriam, nihil est in Propositione, sive sit terminus, sive de-

determinatio, quod nequeat induere vices Prædicati vel Subjecti.

XIII. Assumamus dictum Nili Episcopi: *Ne riseris in lapsu alterius, ut ne ridearis, à quibus non velis.* Ubi sanè sic se habet Ordo legitimus: *Qc. ridet in lapsu alterius, is hanc vel ut formam s. denominationem habet, ut rideatur ab aliis.* Seu, ut in Abstracto loquamur: *Risus iniquus risum & ludibrium alterius provocat.*

XIV. At si quis interpretationem suscipiat Oratoriam, primo poterimus è dicto eruere Subjectum unum vel alterum, ejusque varia designare Prædicata.

1. RISUS est 1. Injucundus, *nam in lapsu h. e. re infelici excitatur.* 2. Inhonestus, *contingit enim in lapsu alterius s. proximi, quem debebamus amare.* 3. Damnosus, *nam provocat ludibrium.*

2. LAPSUS consideratur 1. Ut humanus, *nam est alterius s. Proximi.* 2. Ut indecens, *nam rideri potest.* Ut cuilibet possibilis, *nam & nos invicem rideri possumus.*

3. LUDIBRIUM RECIPROCUM 1. est promeritum: *risimus enim in lapsu alterius*, 2. est dignum, *nam ridemus h. e. aliqua committimus, quæ rideri possint*, 3. est acerbum, *nam ab iis ridemur, à quibus non velimus.*

XV. Vel datur etiam occasio eruendi plura Subjecta, quibus sua sigillatim Prædicata respondeant.

†Con-

† Considerabimus 1. Proximum labentem. 2. Hominem ridentem. 3. Vindicem, *Vel in abstracto* 1. Lapsum. 2. Risum. 3. Vindictam.

XVI. Maneamus nunc in judicio Terminorum, quatenus situm retinent ordinarium, cum extraordinaria artificia maximè spectent ad Concionatores infra dirigendos.

XVII. Et noverint hactenus Auditores mei, nunquam ad consuetas Lectiones me prodiisse, nisi unum vel alterum dictum è Nilo Episcopo, Grammaticè prius & Rhetoricè, postea Logicè jusserim explicari. Quia quidem occasione sæpius innotuit, quantam objiciat difficultatem vel sola Prædicati Subjectiq; inquisitio. Nec alienum fuerit, adductis exemplis, quorum intricata nos torsit constructio, Regulas nostras reddere illustriores.

XIIX. Id saltem observatu fuerit necessarium, quod jam sæpissimè monuimus, in tali casu locutiones improprias reduci debere ad proprias; & si quid videatur obscurum, ejus illustrationem hauriendam è Paraphrasi.

1. Initium salutis est sui ipsius condemnatio.

Par videtur esse ratio sive dicas: *Qui se ipsum condemnat, is jam attigit salutis initium*: sive modo inverso: *Qc. vult inchoare suam salutem, is se ipsum condemnat.* Nam Propositio constat è

terminis convertibilibus. Interim Subjectum maximè ordinarium est: *Qui se ipsum condemnat.* Nam hoc est Antecedens, de quo prædicatur Consequens *initium salutis.*

2. Melius est temere injicere Lapidem, quam verbum.

Per Paraphrasin ita sonat: *Qui temere injicit lapidem, minus peccat, quam qui injicit verbum,* vel ex adverso: *Qui temere injicit verbum, magis peccat, quam qui lapidem.* Quia tamen Propositio est Comparativa, constans è duobus Subjectis *vid. pag. 56.* videndum, quod Subjectum sit Principale. Jam sanè scopus dicentis est, *perstringere licentiam linguæ,* & velut accessorium seu illustramentum est, quod dicitur *de injectione lapidis.* Inde Subjectum est: *Qui temere injicit verbum.*

3. Sis omnibus, ut tu vis omnes tibi esse.

Oratio est præceptiva, quæ à Subjecto certum requirit Prædicatum: inde si restituatur sensui Logico, sic sonat simdliciter. *O. homo sic se debet gerere erga alios, ut ipse vult experiri mores aliorum.* Sanè valet etiam hoc modo: *Quicquid exhiberi volumus ab aliis, id præstare aliis debemus.* Sed arridet prior resolutio, ut simplicior.

4. Justitiam magis opere quam verbo exerce.

Pri-

Primus intuitus arguit, *Justitiam* esse Subjectum, *exercere* Prædicatum, quasi dicas *Justitia est exercenda.* Sed an reliqua vocabula determinent Subjectum vel Prædicatum? quæri potest. Utrinq; enim valet explicatio. *Justitia est exercenda magis opere quam verbo*, ubi determinatur Prædicatum; & *Qc. Justitiam ostendit in opere, magis eandem exercet, quam qui in verbo*, seu quod idem sonat: *Justitia realis est nobilior quam verbalis.* Unde patet scopus, sermonem esse *de Justitia operativa*, adeoque hanc determinationem pertinere ad Subjectum.

5. Pius est, non qui multorum miseretur, sed qui nemini injuriam facit.

Constructio est clara. *Prædicatum Pius non competit huic Subjecto, quod habet misericordiam, sed huic, quod non habet lædendi voluntatem.* Adeoque sic restituitur ordo: *Qui nemini facit injuriam, præ aliis vocatur pius.*

6. Jucundus ille amicus est, qui animam enutrit.

Subjectum est *ille homo, qui animam enutrit:* an autem Prædicatum sit *jucundus amicus*, an *jucundus*, rejecto Amico ad Subjectum h. m. *Amicus animam enutriens est jucundus*; arbitrarium est; utrobique enim primarius respectus tendit ad *Jucunditatis* Adjunctum.

7. Sacerdotem intelligentia, & vita & ingenuitas facit.

Sub-

Subjectum est *Sacerdos*, *Intelligentia &c.* sunt Prædicata; quippe se habent ut Forma Sacerdotis: quin etiam patent latius, cum ab aliis etiam personis eæ virtutes requirantur. Interim vocabulum FACIT, quasi dicas *perfectum facit s. perficit*, ea Adjuncta Subjecti esse determinationes arguit. Sic enim se haberet integer Syllogismus:

Qc. doctrinâ & exemplo pietatem proponit, is est perfectus Sacerdos.

Sacerdos intelligens, bene vivens & bene natus hoc facit. E. Talis Sacerdos est perfectus Sacerdos.

Sed aliud est considerare Propositum *in se*, aliud *comparatè* ad Syllogismum, ubi constructionis gratiâ interdum Subjecti Prædicative levis intercedit mutatio. Ac proinde placet explicatio prior. Aliam illustrationem dabit exemplum sequens.

8. Cibis utere non suavibus sed salubribus.

Sensus est: *non Cibi suaves sed Cibi salubres* sunt, Subjectum, quibus competit Prædicatum, *esse utendos* seu *facere ad usum*. Aliter tamen diceres: *Cibi utendi* sunt Subjectum, Prædicatum negativum, *Suaves*, affirmativum *Salubres*. Hinc notetur Regula: *Quando in Propositione occurrunt duo Subjecti Adjuncta, id quod est Antecedens, pertinet ad determinationem Subjecti, quod est Consequens, est Prædicatum.* Jam Antecedens est *Cibi Salubritas*, unde consequitur *utendi commoditas*. Ergo iterum prævalet explicatio prior.

9. Si

9. Si Vulgo conaris placere, Vulgo similis sis.

Expreſsè ſic ſonat, *Qc. vulgo placere conatur, ab eo requiritur, ut eidem ſit ſimilis.* Sed quia *Similitudo* eſt Antecedens, *placendi felicitas* Conſequens; apparet, ſimplicem ac ordinarium ſenſum eſſe hunc: *Qui Vulgo eſt ſimilis, ille placet Vulgo.* Inde Sententiarum hic Magiſter videtur ſuadere velle: *Si vis Conſequens, fac ut velis Antecedens.*

10. Super omnia morte affice Corpus tuum.

Adſunt duo Adjuncta, quæ dicuntur de *Corpore* h. e. de Subjecto, *mortificatio* & *ejus neceſſitas*, quod *ſuper omnia* debeat ſuſcipi. Sed principalis ſcopus tendit ad Prædicatum prius, inde poſterius facit determinationem hoc modo: *Corpus mortificandum eſt præ cæteris ſeu ſuper omnia.*

11. Laboris amans ille eſt, cui tempus non ſuperat.

Auctoris ordo hic eſt: *Ille, cui tempus non ſuperat,* (Subjectum) *eſt laboris amans* (Prædicatum) Sed & ipſa Propoſitio ſic eſt inordinata, ut de poſteriori prædicetur prius: ut interpres rectè reſtituat ordinem ſimpliciorem: *Qui laborem amat, is nunquam habet otium.*

12. Ipſum Deum ſiſtere ſe tibi crede, in iis quæ paſſim agis.

DEUS

DEUS eſt Subjectum, *ſe ſiſtit ſeu eſt præſens* Prædicatum, *omnibus hominum actionibus*, determinatio Prædicati.

13. Gaude, quando Virtutem exerces: ſed non efferare, quando naufragium in portu fiat.

Logicè ſic ordinatur: *Qc. inter Gaudia Virtutem conſequentia effertur, is naufragium in portu facit*, ſeu ut diſcedamus ab Allegoria, *is in media ſecuritate perditur.* Principale igitur Subjectum, *Elatio*, determinatio Subjecti, *ob Gaudium de virtute perceptum.*

14. Quantum in lege proficis, tantum abeſſe te à perfectione cognoſce.

h. e. *Qc. in Lege proficit, is imperfectionem ſuam cognoſcit.* Vel ſi addi debet Comparatio: *Qc.* in Lege *ad certum gradum proficit, is imperfectionem ſuam in eodem gradu cognoſcit.*

15. Stude nemini damno eſſe in iis, quæ facis, ſeu dicis ſeu commentaris.

Subjectum eſt triplex. Nam ſimpliciter ſic ſonaret; *N. actio hominis alteri debet eſſe damnoſa.* Sed è Loco diſtributionis obſervatur; O. actionem hominis vel eſſe *quid facere, vel loqui, vel ſcribere*, Inde oritur triplex Subjecti notatio.

16. In triſtibus gratias age, & jugum Peccatorum leve redditur.

Ante-

Antecedens Propoſitionis, ſi ſpectetur in ſe, ſic ordinatur: *Qc. ſentit triſtitiam, cujus cauſa Deo agat gratias*; quia tamen Prædicato huic Antecedenti ſubnectitur aliud Conſequens, novus emergit ordo: *Qc. in triſtibus agit gratias, is deprehendit, jugum Peccatorum reddi levius.* Subintellige, neminem gratias unquam egisſe, niſi qui ex vera fide intellexerit paternum Dei caſtigantis animum.

17. Virtutes tuas cela; teſtes autem vitæ tuæ multos acquire.

Senſus eſt: *noli jactare virtutes, & tamen fac, ut virtutis exercitium multi conſpiciant.* Sic unius Subjecti duo ſunt Prædicata, alterum negativum, alrerum affirmativum, *Virtutes non ſunt jactandæ, ſed exercendæ.*

18. Divitias ſi habes, diſtribue; ſi vero non habes, ne collige.

Ejusdem Subjecti duplex determinatio; ejusque reſpectu duplex & diverſum Prædicatum.

19. Sacerdotes omnes quidem honora; ſed bonos tantum adi.

Duplex iterum eſt Propoſitio: prior enim alium poſtulat medium terminum, quam poſterior: Honorandi ſunt omnes, *quia Deus eosdem habet miniſtros*, Adeundi ſaltem boni, *quoniam illorum converſatio facit meliores.* Ergo unius Subjecti diverſimodè determinati, diverſa Prædicata.

20. Ne

20. Ne quando Pauperem despexeris lacrymantem, ut ne despiciatur orationis tuæ lacryma.

Tales Propositiones optimè sic exprimuntur: *Qc. pauperem lacrymantem despicit, ejus Oratio lacrymans rursus despicietur.*

XIX. Sufficiant ista ad manuductionem, non ad discentium exercitationem, quorum opera semper est utilissima, cum resolvendis Sententiis incumbunt, adeoque tanquam aliud agentes, aut saluberrima Præcepta imbibunt, aut incommoda hac docendi occasione, feliciorem copiam experiuntur.

XX. Et studio factum, ut eligerentur Orationes non Logicæ, s. præceptivæ, quibus in ordinem redactis, Logica magis patent artificia. Sed à Propositionibus abeundum ad integras Orationes. Nam integros Textus, qui ultra Propositionem aliquid gerunt, reservabimus Capiti VI.

CAP.

Caput III.

De Ordine Interpretandarum Orationum.

I.

De Orationum diſpoſitione ſatis videtur dictum eſſe in doctrinâ Topica: Sed aliud ſanè eſt, orationem proprio impetu concipere, aliud conceptus alienos ad regulas artis ordinare. Quo magis enim aliqui ſolent artificium abſcondere, tanto longius advocanda ſunt adminicula. Interim dimidium facti habet, qui diſpoſitiones ipſe didicit conficere.

II. Cæterum in tres Claſſes digerere poſſumus Orationes h.l. interpretandas. Aut enim ſunt *mere Doctrinales*, ut Diſputationes, Diſſertationes, imo integri Libri vario diſſertationum nexu, ac proinde Methodo univerſali & particulari conſtantes; Aut ſunt *Orationes Rhetoricæ*, ſive illæ ſint Declamationes Scholaſticæ, ſive Adlocutiones Politicæ; aut tandem ſunt *Carmina Poëtarum*, quibus hodierno ſtylo adjungi poſſunt *Inſcriptiones*, quas nuper diximus Poëmata Politicorum.

III. Diſputationes plerumque aperiunt artificia, cum clare ſatis allegant terminos tech-

nicos, ipſamque definitionem conſtituunt loco centri, ad quod reliquæ theſes collineent. Sed habemus tamen quasdam Methodo velut Heroica conſcriptas, quæ legentibus quidem omnino ſunt ordinatæ, ſed ordinem ipſum primo intuitu non exhibent.

IV. Proinde non erraveris, ſi de Subjecto ſeu Themate prius inquiras, deinde judices, è quibus Principiis, de hoc Subjecto unum vel alterum Adjunctum, ſeu variæ Concluſiones proferantur, & è quo præcipue Loco peti poſſint termini technici, ad diſpoſitionem exprimendam apti.

V. Et optima quidem ratio conſiſtit in ſuccinctis Tabulis, quas una pagina ſic oſtendit, ut omnem connexionem, resque ſimul connexas inde liceat ſive diſcere, ſive repetere. Quicquid enim aliqui diſſerant adverſus Tabulas, velut Ignorantiæ adminiſtras; eas ſaltim deſignari crediderim, quæ per nimiam brevitatem, ad inutilem delabuntur obſcuritatem. Certè cum Dn. Thomaſius ederet *Specimen Tabularum*, quibus comprehendi poſſet *Grotii Jus Belli & Pacis;* ipſe Bœcklerus jure faventiſſimo publicè deprædicavit, *Novum hoc Commentarii genus.* Quaſi

nomi-

nominaret Commentarium, in quo maxima & feliciſſima lateret interpretandi efficacia.

VI. Jam commodius exemplum non eſt in promptu, quam ipſa hæc, quam ſcribimus, Logica, cujus in fine dabitur ſuccincta delineatio per Tabulam memoriæ ac judicio accommodatam.

VII. Si tamen occurrat Liber, nec in Capita methodica diviſus, nec Methodum apertam teſtatus, duo ſunt, quæ interpretem adjuvant, *Artificium excerpendi, & Artificium excerpta comparandi.* Nimirum quid in ſingulis Capitulis ſit præcipuum, quid theſeos vel probationis vicem ſuſtineat, probè obſervetur, ac in ſchedula conſignatum ab illuſtrationibus & parergis ſeparetur. Quod ubi ſic proceſſerit ad finem, inter ſe conferantur Realia breviter congeſta, quid Thema, quid Thematis confirmationem, quid aliorum conſultationem in ſe contineat.

IIX. Et excerpendi magna ſatis eſt moleſtia, ſi rerum multitudo nos velut obruat, quo minus de ipſa theſi clarum eſſe queat judicium. Aſſumamus Libellum Senecæ maximè argutum de BREVITATE VITÆ, cujus confuſa profectò & multiplex eſt tractatio,

ſic tamen, ut inquirentem non decipiat artificium. Primum Capitulum ita ſonat:

Major Pars mortalium, Pauline, de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tàm velociter, tàm rapidè dati nobis temporis ſpatia decurrant: adeo ut, exceptis admodum paucis, cæteros in ipſo vitæ apparatu vita deſtituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo, turba tantum & imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio eſt, vitam brevem eſſe, longam artem. Inde Ariſtoteli cum rerum natura exigenti, minimè conveniens ſapienti viro lis eſt: illam animalibus tantum indulſiſſe, ut quinta aut dena ſecula edurent, homini in tam multa ac magna genito, tantò citeriorem terminum ſtare. Non exiguum temporis habemus: ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota benè collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur; ultimâ demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus. Ita eſt, non accepimus brevem vitam, ſed fecimus: nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus. Sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento diſſipantur: at quamvis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ

ſunt,

ſunt, uſu creſcunt: ita ætas noſtra, benè diſponenti multum patet.

IX. Jam ſanè erraret, qui ſcripti ordinem ſectaturus, omnes minutias hoc modo proſequeretur.

1. Multi conqueruntur de vitæ brevitate.
2. Et inter hos ſunt Viri celeberrimi.
3. Hippocrates dolet *Vitam eſſe brevem, ſed artem longam.*
4. Ariſtoteles accuſat Naturam, quæ feciſſet beſtias vivaciores.
5. Sed longa eſſet vita, niſi multum perderemus.
6. Sic poſt jacturam demum patet, quid amiſerimus.
7. Sicut opes aut ſervantur aut pereunt, ſic tempus, prout malum aut bonum nanciſcitur Oeconomum.

Nam pleraque vicem Amplificationis ſuſtinent, quæ magis faciunt ad ornatum, quam ad ipſam integritatem. Ergo ſatis eſſet notare:

Omnes, imo Viri clariſſimi conqueruntur de Vita nimis brevi: ſed ipſi ſuam agnoſcant culpam, quì temporis prodigi, minimam ejus partem bene collocant.

X. Sic in altero Capitulo leguntur talia.

Quid de rerum natura querimur? illa ſe benigne geſſit. Vita, ſi ſcias uti, longa eſt. Alium inſatia-

ſatiabilis tenet avaritia: alium in ſupervacuis laboribus operoſa ſedulitas: alius vinô madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis judiciis ſuſpenſa ſemper ambitio: alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, ſpe lucri ducit. Quosdam turquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios: ſunt quos ingratus ſuperiorum cultus voluntaria ſervitute conſumat. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit: plerosq; nihil certum ſequentes, vaga & inconſtans, & ſibi diſplicens levitas, per nova conſilia jactavit. Quibusdam nihil, quo curſum dirigant, placet, ſed marcentes oſcitantesq; fata deprehendunt: adeò ut quod apud maximum Poëtarum, more oraculi dictum eſt, verum eſſe non dubitem:

Exigua pars eſt vitæ, quam nos vivimus.

Cæterum quidem omne ſpatium non vita, ſed tempus eſt. Urgentia circumſtant vitia undique: nec reſurgere, aut in diſpectum veri attollere oculos ſinunt, ſed merſos, & in cupiditatibus infixos premunt. Nunquam illis ad ſe recurrere licet, ſi quando aliqua quies fortuitò contigit: velut in profundo mari, in quo poſt ventum quoque volutatio eſt, fluctuantur, nec unquam illis à cupiditatibus ſuis otium inſtat. De iſtis me putas diſſerere, quorum in confeſſo mala ſunt? aſpice illos, ad quorum felicitatem

tem concurritur: bonis ſuis effocantur. Quam multis graves ſunt divitiæ? Quam multorum eloquentia, quotidiano oſtentandi ingenii ſpatio, ſanguinem educit? Quam multi continuis voluptatibus pallent? quam multis nihil liberi relinquit circumfuſus clientium populus? Omnes denique iſtos, ab infimis usque ad ſummos, pererra: hic advocat, hic adeſt: ille periclitatur, ille defendit, ille judicat. Nemo ſe ſibi vindicat: alius in alium conſumitur. Interroga de iſtis, quorum nomina ediſcuntur: His illos dignoſci videbis notis: hic illius cultor eſt, ille illius, ſuus nemo. Deinde dementiſſima quorundam indignatio eſt, queruntur de ſuperiorum faſtidio, quod ipſis adire volentibus non vacaverint. Audet quisquam de alterius ſuperbia queri, qui ſibi ipſe nunquam vacat; ille tamen, quisquis eſt, inſolenti quidem vultu, ſed aliquando reſpexit: ille aures ſuas ad tua verba demiſit: ille te ad latus ſuum recepit. Tu non inſpicere te unquam, non audire dignatus es.

XI. Hic iterum quanta Realium notaretur vis, ſi nihil tuto poſſet prætermitti.

1. Vita utentibus longa ſatis eſt.
2. Interim avari, nimium ſeduli, ebrioſi, ipſi ambitioſi, mercatores, milites, Aulici, uno impetu tempus perdunt.
3. Aliqui novam fortunam ſubinde quærentes præſentia faſtidiunt.

4. Aliqui quorſum ſpectent, neſciunt.
5. Sic exiguum eſt, quod vivimus.
6. Nec vitia nos patiuntur reſurgere, ſi vel maximè quieſcant.
7. Volutamur enim ut in profundo mari, quod volutatur poſt procellam.
8. Et huc pertinent, quos vocamus feliciſſimos.
9. Iſti enim ſuas divitias, eloquentiam, voluptates, labores, ita adhibent, ut conſumantur alterius gratia.
10. Omnes alium colunt, ſeipſum nemo.
11. Multa à ſuperioribus non admiſſi dolent, cum ſeipſos illi non admittant.

XII. Sed reputanti ſingulos articulos patet, his lineolis concludi potuiſſe univerſum negotium.

Nam vitiis & negotiis aliorum cauſa conſumimur, nec otium habemus, quo talia reputare poſſimus & corrigere.

XIII. Pergamus ad Capitulum tertium, cujus hæc ſunt verba:

Non eſt itaque, quod iſta officia cuiquam imputes: quoniam quidem cum illa faceres, non eſſe cum alio volebas, ſed tecum eſſe non poteras. Omnia licet, quæ unquam ingenia fulſerunt, in hoc unum conſentiant, nunquam ſatis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia ſua occupari à nullo patiuntur: & ſi exigua contentio eſt de modo finium, ad lapides

des & arma discurrunt; in vitam suam incedere alios sinunt, imò verò ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisque quam multis distribuit? adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem. Pervenisse te ad ultimum ætatis humanæ videmus: centesimus tibi, vel supra, premitur annus. Agedum, ad computationem ætatem tuam revoca. Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum Rex, quantum cliens abstulerit: quantum lis uxoria, quantum servorum coërcitio, quantum officiosa per urbem discursatio. Adjice morbos, quos manu fecimus: adjice, quod & sine usu jacuit: videbis te pauciores annos habere, quam numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilii fueris, quotusquisque dies, ut destinaveras, recesserit; qui tibi usus tui fuerit, quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo ævo facti operis sit; quam multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente quid perderes; quantum vanus dolor, stulta lætitia, avida cupiditas, blanda conversatio abstulerit: quam exiguum tibi de tuo relictum sit: Intelliges, te immaturum mori.

XIV. Inde fluit hæc diſpoſitio.

1. Non eſſemus ſemper cum alio, ſi nobiſcum eſſe poſſemus.
2. Inde mira mentium caligo.
3. Prædia, pecuniam, patrimonium acriter defendimus.
4. Temporis jacturam contemnimus.
5. Quamobrem ſenes detrahant ætati, quicquid conſumptum eſt officiis ſupervacaneis, quicquid inter incerta conſilia effluxit, quicquid inter affectus.
6. Sic ſentient, ſe diu non vixiſſe.

XV. Forte tamen iſta omnia conveniunt in hoc Centro.

Non intelligimus pretium temporis, qui minora bona defendimus, hoc negligimus usque ad ſenectutem.

XVI. Quartum Capitulum meretur adjici.

Quid ergo eſt in cauſa? tanquam ſemper victuri vivitis: nunquam vobis fragilitas veſtra ſuccurrit. Non obſervatis, quantum jam temporis tranſierit. Velut ex pleno & abundanti perditis: cum interim fortaſſe ille ipſe, alicui vel homini, vel rei donatus, ultimus dies ſit. Omnia, tanquam mortales, tenetis: Omnia, tanquam immortales, concupiſcitis. Audies pleroſque dicentes: à quinquageſimo in otium ſecedam: ſexageſimus annus ab officiis me dimittat. Et quem tandem longioris vitæ præ-

dem

dem accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? non pudet te, reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia: & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? potentissimis, & in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere. Nam ut nihil extra lacessat, aut quatiat; in se ipsa fortuna ruit.

XVII. Cujus quidem membra numerari possunt totidem.

1. Semper nobis pollicemur tempus.
2. Nec cogitamus de præteritis, ac in futuris de morte.
3. Sic mortales agitamus immortalia.
4. Plerique Senectuti destinant quietem.
5. Sed quis hanc ætatem sibi certo promittit?
6. Cur inutilem ætatem rei nobilissimæ decernimus.
7. Cur non arripimus otium, quod præstantissimi Homines, e.g. Augustus, Cicero &c. libenter occupassent, nisi obstitisset fortuna?

XIIX. Sed in hoc dicto residet nervus.

Nec

Nec intelligimus naturam temporis, ut optimum ejus uſum ineptè referamus ad Senectutem omnino incertam.

Nam quod de exemplis monetur, ſaltim eſt connexio Capitum ſequentium.

XIX. Exſcriberem plura, quæ forte legentibus nec inutilia eſſent, nec injucunda, niſi prolixitas in brevi hoc opuſculo timeret cenſorem. Ergo adeat Senecam, qui crediderit accedere lucem poſſe ex hoc argumento. Nam Excerpta Capitum ordine collecta, velut ordinatæ interpretationis materiam ſubjicio, repetitis ſimul prioribus.

1. Omnes, imo Viri clariſſimi conqueruntur de Vita nimis brevi: ſed ipſi ſuam agnoſcant culpam, qui temporis prodigi, minimam ejus partem bene collocant.
2. Nam vitiis & negotiis aliorum cauſa conſumitur: nec otium habemus, quo talia reputare poſſimus & corrigere.
3. Iſtudque magis, quod non intelligimus pretium temporis, qui, tum defendimus bona minora, id non negligeremus usque ad ſenectutem.
4. Imo nec intelligimus naturam temporis, ut optimum ejus in uſum, ineptè referamus ad ſenectutem omnino incertam.
5. Auguſtus Cæſar, delectabatur mentione quietis, quam ſperare non poſſet. Cicero deſperabun-

rabundus etiam in quiete ſe dicit ſemiliberum, minus ſapienter, cum poſſet acquirere libertatem integram.

6. Livius Druſus uni ſibi, ne puero quidem, ferias unquam contigiſſe queritur: Sed omnes iſtæ querelæ neminem mutant: Plerique adhuc peccatis vel negotiis occupati, vivendi occaſionem non inveniunt.

7. Difficilis vero eſt ars vivendi, ne quod tempus eripi vel effluere patiamur. Sane enim multi agnoſcunt damnum, dum inter negotia dolent, vivere ſe non poſſe: interim dependet à craſtino, non à præſenti.

8. Multi ſenes non diu vixerunt, ſed fuerunt: Mirum vero temporis jacturam à plerisque ſic contemni, ut facile impendant aliis, donec morti vacandum eſt.

9. Maximum malum cunctatio, quod expectantes meliora, in fine deprehendimus, neglecta fuiſſe præſentia.

10. Tempus vel eſt præteritum, vel præſens & futurum. Præteritum exiit fortunæ vim, adeo recordantibus optimum. Præſens in momento conſiſtit. Jam occupati vel pudore vel negotio avocantur à præteritis, ergo non fruuntur, niſi præſentibus momentis.

11. Omnes diu cupiunt vivere, nec moriuntur, niſi inviti. Sed habuiſſent vitam ſatis ſpatioſam, ſi abfuiſſent negotia, vel externa officiorum, vel interna, animi turbidi.

12. Nam

12. Nam otiosi non sunt, quos negotiosæ voluptates perpetuo distringunt, aut qui sua sic curare nesciunt, ut velint admoneri, an esuriant, an sedeant &c.

13. Ergo otiosus est, cui otii sensus est. Ineptissimè occupati Philologi, captantes antiquitatis fabulas.

14. Nam quid prodest hæc scientia? Felix, qui secum in otio habet Philosophos, vel Philosophiam.

15. Parentes dat fortuna: sed Philosophiæ sectam eligere possumus: facti exinde felicissimi. Sic æternitas, securitas, quid? omnia bona adveniunt.

16. Sed objicies, diu vivere plerosque. Nam 1. invocant mortem: at faciunt hoc abrepti stultis affectibus, nec serio. 2. Dum expectant rem gratam, de interjecti temporis longitudine queruntur: sed dies non habent longos, sed invisos, imo dum adepti sunt tempus voluptati destinatum, dolent istud cito periturum.

17. Sic ipsæ voluptates trepidæ sunt: nam sunt instabiles, & quælibet felicitas alia felicitate vult sustineri.

18. Redi igitur ad otium, Pauline, quid curas publica negotia & rem frumentariam? relinque sarcinas has animis ignobilioribus.

19. Leve est, curare frumentum: nobilius, cogitare de rebus divinis, & de genuina voluptate. Laborent alii in titulum sepulcri.

20. Stulti

20. Stulti igitur, senes, qui jussi in senectute quiescere, velut mortuos se lugeri voluerunt: quos tamen decebat sepelire more puerorum.

XX. Collatis nunc inter se Capitulis omnibus, conjunctisque in unum cumulum Tautologiis, quibus nimium indulget scriptoris alioquin jucundissimi luxuries, facillimam habebimus interpretandi viam, si dicamus: *Confutari eos, qui vitam sua culpa reddunt brevem: ac vicissim præscribi solidas vivendi regulas.*

MALE VIVUNT.

1. qui mancipantur vitiis.
2. qui in utiliter occupantur
 officiis,
 rebus futilibus,
 deliciis,
 superfluis studiis,
 operosis voluptatibus.
3. qui opinione peccant, & vitam rati longissimam, pendent â futuro.
4. qui nihil agunt, intrinsecus interim turbidi:
5. qui timorem & lætitiam debent sorrunæ.

BENE VIVUNT.

qui Philosophiæ studium amplexi, de rebus nobilioribus & constantioribus cogitare ingrediuntur.

XXI. Per-

XXI. Pergimus ad Orationes, quas haud difficulter diſponimus, ſi vel è Locis Topicis, vel è Locis Propriis ab *Honeſto*, *Utili*, *Jucundo* &c. hauſta ſint argumenta. Cœcus enim & imperitus fuerit, qui theſin ab ætiologia, hanc ab amplificatione diſcernere nequeat.

XXII. Sed major difficultas conſequitur Orationes Heroicas, quæ vel in conventu Politicorum, vel in Hiſtoricis nobiliſſimis obſervari ſolent. Qua in re operam ſatis laudabilem præſtitêre duo Profeſſores, alter Valentinus Thilo, apud Regiomontanos edens *Curtium Oratorem*, h.e. Orationes è Curtio collectas & diſpoſitas; alter Melchior Junius, apud Argentoratenſes, qui excerptis è politiore hiſtoria, clariſſimorum hominum epiſtolis, ſuccinctam ſubinde partium diſtributionem ſubjecit.

XXIII. Interim ſive nudis abſolvuntur Complimentis, quorum, ut in Oratore Politico docuimus, partes ſunt, *Propoſitio*, *Applicatio*, *Concluſio*; ſive tacita fovent argumenta *ab Honeſto*, *Utili*, *Jucundo &c.* tam abſtruſa non ſunt artificiorum clauſtra, quo minus pateant meditanti.

XXIV. Subjiciamus duo exempla, Alterum è *Taciti Annal. lib. 2. cap. 71.* quomodo Germani-

manicus Tiberii ex fratre nepos fraude Pisonis, vel ejusdem uxoris circumventus, morti jam proximus ad amicos adstantes ultima fecerit verba:

Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent: nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo. Referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: Vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano Divi Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent.

XXV. Intricata videtur hæc Oratio: sed

ea non fallet interpretem, si communissimum eruatur artificium hoc modo:

EXORDIUM.

A Persona dicentis. *Idque* à minori ad majus. *Se in tali fortunarum statu positum, vel adversus Deos habuisse conquerendi causam; tanto magis adversus hominem inimicum.*

PROPOSITIO, *eadem Periodo:*

Audite quid postulem.

TRACTATIO.

Ejusdem THESIS. *Referte Agnatis, quid mihi contigerit.*

Ejusdem PROBATIO.

1. *à FACILI*

Habebitis Auditores benignos, sive eos fortuna, sive sanguinis propinquitas permoveat.

Habebitis locum satis commodum, quod in senatu nemini clauditur provocatio ad leges.

2. *ab HONESTO*

Negativè. *Nullum officium præstatur lacrymando*

Prob. *Nam hoc etiam facient ignoti.*

Positivè. *Optimum est, mandata morientis exequi.*

Prob. *Alias quisque videretur non personam, sed fortunam ejus observasse.*

3. *à FACILI*

Positivè. *Misericordiam excitabit Uxor Vidua, populo ostensa.*

Ne-

Negativè. (h.e. à solutione Objectionis, quæ accusationem reddere queat difficilem) *nec obstat, posse aliquos provocare ad Imperatoris Tiberii Mandatum.*

Prob. *Nam aut non credent homines, aut non ignoscent.* Utrumque sublevabit dicentes.

XXVI. Addo aliam Orationem, & eam quidem satis Politicam, quippe habitam à Legato celeberrimo, ad spectatissimum humani generis conventum. Sed ignoscet Lector prolixitati, si ad judicandum dispositionis ordinem, vix abesse potest disponendæ Orationis Textus. Et habet ea Auctorem JAC. CATSIUM, Batavorum ad Anglos Legatum, qui Parlamento ad bellum jam parato, sub finem anni 1651. talia fertur dixisse, ut verba repetit Leo ab Aitzema, *Histor. Pac. pag. 757.* Nam Germanica versio Theatri Europæi *ad hunc an.* vix meretur allegari.

Quod Deus *Optimus Maximus bene vertat.*

Divinis auspiciis trans mare vecti urbem hanc celeberrimam feliciter intravimus. Benevolentia vestra honorificè excepti, in Augustum hunc Consessum admissi, ex mandato D. D. Ordinum Fœderati Belgii hoc illustri loco verba facimus, & primo quidem eorundem nomine omnia humanitatis, benevolentiæ, & vicinita-

tis officia pronis animis huic Reipublicæ offerimus, ejusdemque ſubditis, incolis & accolis, Deum propitium, omniaquè fauſta & ſalutaria enixè apprecamur.

Omnibus, qui de formanda & firmanda Republ. ſapientiſſimè diſſeruerunt, hoc effatum tanquam oraculum ſemper in ore verſatur; *Præſidia Reipubl. non in valido & numeroſo milite, non in munitis urbibus, non in theſauris, ſed in amicis, ſociis, & ritè confœderatis, conſiſtere;* & addunt prudentiſſimi mortales, *amicos iſtos & Confœderatos non promiſcuè & prout caſus fert, ſed cum cura & judicio eſſe ſeligendos.* Et primo quidem loco (ex communi gentium & populorum ſententiâ) tales in amicitiam vocandi & recipiendi ſunt, qui opportunitate locorum utiles eſſe poſſunt. Non fruſtrà ſanè in proverbio eſt, *Amicum vicinum in talibus utiliorem eſſe fratre longe diſſito.*

Non ſic excubiæ, non mœnia vâſta, nec arces,
Quam tutatur amor, quam fœdera ſancta, propin-
Queis populi tribuere manus. (*qui*

Vicinas enim Gentes, & ſub eodem tractu cœli habitantes, geniis & ingeniis, moribus & humoribus magis inter ſeſe congruere, quam quæ longis intervallis diſtant, pro certo habetur: eamque ob cauſam mutuæ benevolentiæ ſervandæ magis idoneas eſſe.

Tales ſunt hominum mentes, quales Pater ipſe,
Jupiter auratâ perluſtrat lampade terras.

Stat igitur commune Gentium judicium, in amici-

micitia contrahenda, præcipuè pro vicinitate & opportunitate locorum agendum esse; Sed si verè Christianorum axiomata hic examinemus, illata ante omnia tales socios & amicos eligendos esse pronunciabunt, qui ex communione sacrorum; eodem puræ Religionis Sacramento invicem adstricti sunt; cum enim Religio à ligando rectè derivetur, illa animorum Anima optimè ad conservandam humanam societatem facit:

Fœdera autem inter diversæ Religionis populos inita raro firma ac diuturna esse, Historicorum monumenta ubique satis indicant; hæc si rebus præsentibus applicemus, & oculos in has Angliæ & Fœderati Belgii Respublicas conjiciamus, utriusq; populi vicinitas primo loco nobis occurret; quam ut demonstremus, nobis opus erit uti hac in re chreiâ, quâ *Cato* aliquando urbis *Romæ* & *Carthaginis* vicinitatem Senatui ob oculos ponere studuit: Is ficus non aridas & rugosas, sed recentes, & naturali isto ac tenero colore adhuc conspicuas in ipso Senatus gremio excussit & in medium projecit: Cumque P. C. fructus tam elegantes & succulentos admirarentur, tum Cato ex recenti & vivido colore istorum fructuum vicinitatem urbis *Romæ & Carthaginis* liquido colligi posse asseruit, trium enim dierum spatio iter illud à se confectum & ficus inde illatas. Nobis, ut vicinitatem Angliæ cum fœderatis Provinciis demonstremus, non ficus recentes, ex nostris

partibus huc allatæ, tunica excutiendæ erunt, ſed fortiora ad id documenta in medium proferemus, panem nimirum calidum bonum, recentem à noſtro littore in Angliam poſſe transferri, panem inquam ſervantem adhuc calorem in furno conceptum. Quomodo amicitia inter populos tam vicinos contracta facilè deferveat, cum panis trans mare vectus ibidem calorem ſuum ſervet incolumem? quæ autem commoda & commoditates vicinitas illa utrique populo pepererit, & in poſterum parere poſſit, luculentus nobis teſtis eſt annus *octuageſimus octavus*, quo Claſſis illa formidabilis, & totius Europæ terror.

Horrida ſulphureis ſpiraret fulmina buccis.

Quod ad Chriſtianorum axioma (unum & eundem Dei cultum in Fœderibus requirens) attinet, eandem non ſolum utrique populo puræ Religionis Profeſſionem eſſe, ſed innumeris etiam Martyriis utrobique confirmatam, nemo ignorat; ſingulari Dei Opt. Max. beneficio hæc & apud nos.

Sanguine juſtorum fuſo, ceu ſemine jacto,
Relligio vires cœpit habere novas.

Quo circa & hoc conſideratione non indignum eſt, non res lætas & ſecundas tantum, ſed etiam ærumnas & calamitates communiter exantlatas, hominum animos inter ſeſe arctiori amicitiæ vinculo conſtringere, ut & de remediis in poſterum adhibentis mutua conſilia conferant: hinc conſolatoriæ iſtæ exclamationes:

O So-

O Socii, neque enim ignari sumus ante malorum,
O passi graviora, dedit Deus his quoque finem!

Dedit, dicimus, non *dabit*; id enim factum jam est: unde supremo numini immortales gratiæ ab utroque debentur: sed, ut servetur divinum illud depositum, utrique genti summa cura invigilandum: his adjungo *eadem initia & eandem formam utriusq; Reipubl. gerendæ, quarum utraq; rejecta Monarchia Libertatem strenuè sibi vindicavit. Factum à Domino est illud, & est mirabile in oculis nostris.* Hisce prædictis quidni addam Linguam utrique populo quasi communem? Radices, Elementa & Origines vocabulorum ex uno & eodem fonte profluere, satis constat: Omnes res, quæ ad vitæ sustentationẽ & hominum alimenta spectant, iisdem ferè vocabulis apud vos & nos designantur, *Panis*, *Caseus*, *Butyrum*, *Vinum*, *Mel* & alia id genus, alendis corporibus servientia, vix diversis vocibus utrinq; prolata hoc clarè indicant. Secundò omnia humani corporis membra iisdem ferè nominibus in utraq; lingua efferuntur: *Sic caput*, *crines*, *aures*, *nasus*, *os*, *labia*, *pectus*, *brachia*, *cura & pedes in utraque* lingua nihil ferè differunt: Addo omnia monosyllaba Anglicæ linguæ ferè esse Teutonica, quæ annumerare infinitum esset: plus dicam, vix sententiam aliquam vel periodum longiorem Anglica lingua exprimi posse, quin vernaculi aliquid à nostris observari possit; jam addo linguas extraneas,

& à ſeſe alienas, in Divino codice pœnæ loco inductas, hominumq; ſeparationi cauſam præbere. Linguas igitur concordes, & idem ſonantes beneficii loco hominibus datas, ut arctiori ſocietatis vinculo inter ſeſe adſtringantur, nemini dubium eſſe debet. Super hæc neutiquam hic omittendum arbitror, quantum utriusque Reipubl. interſit, maris ſecuritatem & commercia ſarta tecta ſervari, & ab omnibus piratarum & prædonum inſidiis & inſultibus vindicari: quod ſi ſeriò fiat, ſatis ſuperq; commerciorum utrique populo ſeſe ultro offert; Omnia enim pervia, omnia negotioſa hoc ſeculo, *nam qua patet orbis & æquor*, nobis navigatio: Multa hinc inde adminiculantur, & utrique populo manus quaſi porrigunt: Vicinitas maris, opportuni portus, multitudo navium, periti nauclери & navarchæ, pubes nautica ſine numero, animalia verè amphibia præliis maritimis aſſueta, unde triumphi, vexilla & trophæa innumera, veſtræ nationi acquiſita; quæ eo nomine decantata eſt

--- --- --- ab Ortu
Solis, ad Heſperium cubile.

Sed & nos (ut modeſtè loquar) *hic aliquid numerique decusque geſſimus*: vetera & obſoleta non opus eſt dicere, incognita nolumus proferre, unum tantum & novum quidem in memoriam vobis reducemus, rem, inquam, inauditam, qualem ab orbe condito (abſit dicto ja-

ctantia

ctantia & invidia) non vidit ulla ætas; vidit autem annus trigesimus nonus, & ipsa, hæc Anglia classem immanem, imo castra natantia ponto sexaginta septem navibus & viginti quatuor millibus hominum instructa, ducente prætoriam *Don Antonio d' Oquendo* à nostris ultrò lacessita, primo bis sex tantum ratibus, iisque exiguis eaq; deinde in Vestrum fretum coacta, mox majore vi oppugnata, expugnata, victa, disjecta, flammis aut mari hausta vestris extra partes manentibus: Et tanti quidem certaminis terribilem faciem vestræ Matronæ, Virgines, *nuptæ innuptæque puellæ*, periculo expertes è terra placidè contemplatæ sunt. Ex hoc ungue ut Leonem nostrum agnoscatis, universum hunc senatum populumque Anglicanum etiam atque etiam rogamus; Et ex illo quidem fonte varia ab omni ævo inter utrumque populum Fœdera, quin & matrimonia non plebeja, sed augusta celebrata fuere: Longa igitur antiquitate vallata & confirmata utriusque populi amicitia & societas, atque eam quidem prudens antiquitas DeoOptimo Maximo propitio mutuò coluit: Quamobrem nostris rebus applicemus sententiam, quæ ex intimis sapientiæ penetralibus deprompta esse videtur, *veteres amicos oblivioni non tradendos, nec in hostium numerum facilè transcribendos, veteres hostes in intimam illam amicitiam non temerè admittendos.* Tot & tantis rationum momentis à proceribus hujus Reipublicæ ritè

ponderatis, magnificam ſane ad Fœderati Belgii Ordines legationem decrevere, ac prudentisſimos incomparabilesque viros miſere cum Mandatis (ut vidimus) non ſolum ut *fœdera antiqua* hinc inde renoventur, ſed & ſecundum hujus temporis conſtitutionem ad *firmiorem amicitiam* ſtabilirentur; feliciter quidem opus illud non tantum inchoatum, ſed penè ad umbilicum perductum eſt. Ar vero, Ampliſſimi Viri, hujus Reipublicæ Legati, temporis anguſtia excluſi, & citius, quam ſperabatur, vocati, revocati ad ſuos redire, antequam res ad optatum finem perduci potuit. Fœderati autem Belgii Proceres, Domini noſtri, non minore zelo antiquæ amicitiæ ſtabiliendæ & colendæ perciti, illico de Legatione reciprocâ cogitaverunt; ne opus tam præclarum & auguſtum, tanquam abortivus partus, tenebris involutum periret: Sed multis arduis imò fatalibus negotiis impediti non tam celeriter rem perficere, quam ipſis in votis eſſet, potuere: jam verò tres Legatos Fœderati Belgii hic videtis, cum mandatis, ut res utrique Reipubl. tam utilis & neceſſaria cum bono Deo ad optandum finem perducatur; Et ne longius opus tam præclarum differatur, Delegatos nobis in eam rem dari etiam atque etiam petimus, ut coram ipſis planius & plenius explicemus, quid nobis ſuper negotio hoc tam auguſto in mandatis datum ſit. Sed ut cum effectu rem aggrediamur, illud enixe à vobis poſtulamus, ut omnia hinc

hinc inde *in tali statu sint & permaneant*, *quo fuere cum Magnifici Viri hujus Reipublicæ Legati ea apud nos in ipsorum abitu reliquere*. Mali ominis est in ipso limine pedem offendere: Idcirco petimus, idem ut decretum nuper Vestro Nomine promulgatum, quod ipsis Calendis Decembris in praxin deducendum erat, revocatum, vel saltem suspensum manere possit; ne *libertas & Ordo commerciorum* ab immemoriali tempore observatus, subita hac & inopina novitate turbetur, atque futuri Tractatus (si Nostri in adversum pro re nata quid molientur) impedirentur. Eo facto lubentibus animis ad rem tam præclaram & optatã seriò accingamur, ut antiqua societas & amicitia non tantum renovetur, sed arctioribus Fœderum vinculis constringatur, id quod candidè sincerè, & optimâ fide vobis offerre nobis in speciali mandato est, ut, si fiat, & unitis animis & armis res communes tueri velimus, ne Alexander quidem ipse nodum istum Gordium nobis dissolverit, imò non facilè quis inter incudem & malleum digitos aut manum injecerit, & (sine jactantia dictum sit) navigiis nostris etiam exteræ nationes hoc dictum inscripturæ sunt:

Nemo hos impune lacesset.

Agite dum igitur cum Bono DEO pangamus Fœdus ære perennius, pangamus inquam fœdus, quod

Nec Jovis ira, nec ignes,

Nec

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Audiat hoc Genitor qui fulmina fœdera sanxit,
Et valeant, qui inter nos dissidium volunt.

XXVII. Nunc aggredimur Dispositionem, qualem susciperet Interpres. Nam Thesis sane principalis est hæc: *ANGLI ET BATAVI COLERE DEBENT AMICITIAM.*

EXORDIUM à re ipsa, *seu statim* à Protasi Tractationis: *Nos accessimus Pacis causa.*

TRACTATIO: Suademus ergo, velitis amplecti Pacem. Probatur *è triplici fonte:* nam Pax & Amicitia suadetur

A REGULIS PRUDENTIÆ
in THESI

1. Robur Civitatum consistit in amicis.
† *Nominantur hic per Remotionem alia, quæ civitatis robur conciliare creduntur.*

2. Optimi autem sunt amici, quos commendat Vicinia.
Ætiol. 1. *Nam ferendis auxiliis sunt utiles.*
Amplif. à Proverbio, *seu à Comparatione vicini & fratris remotioris.*
A TESTIMONIO POETAE.
Ætiol. 2. *Nam vicinæ gentes moribus & ingeniis inter se magis congruunt, adeoque sunt servandis amicitiis aptiores.*

A RELIGIONE
in THESI

Magis

Magis ſe amant, qui eandem habent Religionẽ.

Ætiol.1.è Loco Notationis : *Nam Religio dicitur à Ligando.*

Ætiol.2.à Contrario: *Nam diverſarum Religionum fœdera rarò manſerunt diuturna.*

A REGULIS PRUDENTIÆ.

In HYPOTHESI

1.Nos ſumus vicini, *Illuſtratur hoc è loco Comparationis. Cato credidit Romæ vicinam Carthaginem, quod inde aſportarentur ficus recentes: Nos viciniores, quod è fornis transmitti poteſt panis adhuc calidus.*

2.Nos jam probavimus utilem viciniam. *Probatur hoc à Victoria adverſus Hiſpanos, quam conjunctis viribus obtinuimus.*

A RELIGIONE

In HYPOTHESI

Nos eandem Religionem diverſis Martyriis, ab Inquiſitorum rigore ordinatis, & probavimus & adhuc defendimus.

A CASIBUS FORTUNÆ aliisque ſingularibus.

1.Nos ſimul pertulimus ærumnas, ſimulque nun fruimur quiete.

Amplif. à Minori ad Majus: *Æneas dixit, Deus* DABIT *Finem: nos dicimus,* DEDIT.

2.Nos habemus ſimilem Reip. formam.

† *Verum hoc erat poſt occiſum Regem, ubi ſub libertatis Umbra Cromwelus occupabat ſupremam poteſtatem.*

3.Lingua noſtra in vocabulis ad victum pertinentibus, & quæ deſignant membra Corporis,

ris, utrobique conveniunt: imo Anglorum monoſyllaba, *h.e.* Primitiva ſunt Teutonica.

Amplif. per argutias: *E victu innuitur convivendi neceſſitas; è Membris, velut unius Corporis concordia.*

Amplif. à Comparat. *Si Deus pœnæ loco dedit linguas diverſas: beneficii loco, h.e. in ſecuritatem & amicitiam linguas indulſit ſimiles.*

4. Nos Commerciorum habemus arbitria per univerſum Orbem; Iſtam igitur potentiam ſuſtineamus conjunctis viribus.

5. Non ſumus amici debiles. *Vidiſtis enim 1639. à veſtro littore, quid potuerimus.*

Inde ſuccedit Epiphonema: Veteres Amicos non negligendos.

CONCLUSIO,

quæ continet Complimentum. h. e.

PROPOSITIONEM. *Cujus* Antecedens, *Venimus ad tractandum.* Conſequens, *Rogamus, ut deſignetis Commiſſarios.*

INSINUATIONEM

Oblatione ſinceritatis

In Eventum ſecuritatis,

Invocatione Numinis Divini, ſeu voto.

XXVIII. Plura quotidie damus in Lectionibus noſtris Oratoriis, &, ſi accedat Præceptoris induſtria, dari poſſunt quam facillimè. Sed eſt aliqua interpretis licentia, quoties eruere jubetur diſpoſitionis artifici-

ficium. Si enim vel centum Philologi ad unius Orationis interpretationē admitterentur, crediderim ego, ne paucissimos quidem in designandis partibus fore concordes. Hic forte agnosceret Ætiologiam, quæ aliis videretur Amplificatio: Alius diversa daret membra, cum hic omnia vellet conjuncta: Etiam in nominandis Locis Topicis varia emergeret speculatio. Quamobrem non dicitur, quid cogitaverit Auctor, dum scriberet; sed quomodo procedere possit Interpres, Auctoris mentem declaraturus.

XXIX. Carminum & Inscriptionum difficilior est resolutio, quo majorem in captandis argutiis habent licentiam. Sed pleraq; fortasse hic fuerunt ordinata, ut vel habeant *Thesin ejusque variam Confirmationem*, vel porro *Propositionem, Applicationem & Conclusionem*, vel *Antecedens* ponatur *& Consequens* vel tandem *unius Subjecti arguta & nervosa colligantur Prædicata.*

XXX. Sane de Prolixioribus idem esto judicium, quod supra nobis placuit de Scriptis Senecæ: parique modo nuper disposuimus utrumque Claudiani Carmen de Laudibus Stiliconis. Nunc placeant Epigrammata breviora.

XXXI. Nuptiale habet Martialis *Lib. 4. Epigr. 13.*

Clau-

Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto tædis, O Hymenæe, tuis.
Tam bene raro suo miscentur Cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.
Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plus locus aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,
Tamque pari semper sit Venus æqua jugo.
Diligat ipsa senem quondam, sed ut illa marito,
Tunc quoque, cum fuerit, non videatur anus.

XXXII. Dispositio, remotis coloribus Oratoriis, ita se habet:

ANTECEDENS. 1.
Claudia nubit Pudenti.
CONSEQUENS.
Connubium sit felix.
ANTECEDENS 2.
Optimè junguntur in Amore pares.
CONSEQUENS.
Adsit jam constantia, nec minuatur hic Amor in Senectute, ubi minuuntur omnia.

XXXIII. Parem inventionem habet Ausonius *Epigr.18.* ad Uxorem:

Uxor vivamus, quod viximus, & teneamus
Nomina, quæ primo sumpsimus in thalamo.
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo:
Quin tibi sim juvenis tuque puella mihi.
Nestore sim quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben,

Nos

Nos ignoremus, quid ſit matura ſenectus.
Scire ævi meritum, non numerare decet.

XXXIV. Quam illuſtrabit ſuccincta hæc diſpoſitio:

THESIS eſt:
Uxor, amemus conſtanter.
ILLUSTRATIO
ab Adjuncto poſitivo.
Amemus ut amavimus in thalamo nuptiali.
à Remotione Adjuncti contrarii.
Ne patiamur à Senectute minui amorem.
PROBATIO incluſa arguto Epiphonemati:
Illi ſenes laudantur, qui non numerant annos, ſed mutua amoris officia.

XXXV. Repetendus eſt Martialis, cujus *Lib.6. num.3.* hoc eſt Natalitium in Filium Domitiani Cæſaris:

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Jülo,
Vera Deûm ſoboles: naſcere magne puer.
Cui pater æternas poſt ſecula tradat habenas,
Quique regas Orbem, cum ſeniore ſenex.
Ipſa tibi niveo trahet aurea pollice fila.
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

XXXVI. Diſpoſitio talis eſt:

THESIS:
Nativitas tua eſt lætiſſima.
PROBATIO:
1. Nam portendit longævitatem.

2. Nam portendit ſplendidiſſimam annorum felicitatem.

XXXVII. Contribuat Epigramma ſuum Claudianus, de ſene Veronenſi, qui ſuburbium nunquam fuerat egreſſus.

Felix, qui patriis ævum tranſegit in agris;
Ipſa domus puerum, quem videt ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in quâ reptavit arena,
Unius numerat ſecula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis,
Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum;
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemque reducit.
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui Germine quercum
Æquævumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis;
Benacumque putat littora rubra lacum,
Sed tamen indomitæ vires firmisque lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit avum.
Erret & extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

XXXVIII. Cujus diſpoſitionem ſic eruimus:

THE-

THESIS

Felix, qui à pueritia usque ad ſenectutem eaſdem ædes incolit.

PROBATIO per remotionem.

1. Non errare cogitur per ignotas regiones.
2. Non ſenſit pericula mercatorum, vel militum, vel reorum in foro.

PROBATIO poſitiva.

1. *Per Comparationem.*

Cœlum ipſe adſpicit; cum alii curent negotia humana.

Frugibus & floribus annum notat; cum alii ſpectare cogantur ad confuſa Conſulum nomina.

Solem ibi videt occidentem, ubi vidit orientem; cum alii erroribus compreſſi, alio loco utrumque videant.

Gaudet ſurculos ſecum creviſſe in magnitudinem ſylvæ; cum alii mutatis ſubinde habitationibus, eam lætitiam ſperare nequeant.

Nec Veronam curat, nec lacum Benacum; cum alii de Indis & remotis maribus ſint ſoliciti.

2. *In ſenſu abſoluto*

Robuſtum & conſtantem habet vigorem.

CONCLUSIO

Felicior igitur eſt reliquis, qui plus occupantur, non plus vivunt.

XXXIX. Alienum ab his ſtudiis etiam non eſt, reſpicere interdum ad Cantiones ſacras in Eccleſia obſervari ſolitas: præſertim ſi tempus poſtulet exercitium pietatis. e.g. Si quis artificium exquirat, deliteſcens in Hymno Ringevvaldi, **O JEſu CHriſt du hôchſtes Gut**; videbit initio ſenſum cujuslibet ſtrophæ minus ordinatum.

1. Jeſu ego ſum confuſus *ſ. premor à peccatis:*
2. Miſerere ac adjuva: Tu enim ſatisfeciſti; alioqui perirem.
3. Deſperarem, niſi adeſſet verbum Tuum.
4. Illud me recreat, quia pœnitentibus pollicetur gratiam.
5. Cum igitur experiri velim, quod aliis contigit;
6. Rogo humiliter, remittas mihi peccata.
7. Remitte peccata, & inſtilla propoſitum novæ Obedientiæ.
8. Da vires bene vivendi, bene moriendi.

XL. Inde collatis inter ſe lineis videbit univerſam Diſpoſitionem ſic ordinari:

THESIS

JUVA ME SALVATOR.

Ætiol. 1. *reſpiciens Peccatorem.*

Nam valdè affligor.

Ætiol. 2. *reſpciens Redemptorem.*

Nam tu ſatisfeciſti.

Ætiol. 3. *reſpiciens utrumque.*

Alias

Alias ego perirem, nec apud me efficax esset tua Redemptio.

Ætiol.4. *resp. Redemptoris.*

Tu promisisti pœnitentibus gratiam.

Ætiol.5.

Tu alios recepisti in gratiam.

CONCLUSIO

E.& mihi remitte peccata.

AMPLIFICATIO *Conclusionis per distributionē:*

Tolle Præterita, Corrige Futura: in ipsis futuris, da bene vivere, bene mori.

XLI. Subnectemus Inscriptiones duas, alteram jocósam Emanuelis Thesauri, alteram magis seriam Petri Labbei, ut pateat, quibus disponendi artificiis sublevari debeat earundem Interpres.

XLII. Thesaurus de Lothi Uxore, versa in Salis columnam sic ludit *p.m.306.*

Quam stupes muliebrem statuam
Tanto artificio fictam,
Artifice caruit.
Genita fuit, & sine scalpello sculpta.
Et, quod impesius mirere
Olim spirabilis, & loquuta.
Brevi; Fœmina fuit.
Dicerem, est:
Nisi prodigium videretur.
Fœminam esse, & tacere.
Gorgonium vidisse illam putas?

Aut Ciconum bibisse fontem?
Erras: se ipsa finxit.
Nam contra Divinum præscriptum,
Dum Patriam spectat, se amisit,
Sola igitur Mortalium, nec imaginis, egens, nec sepulchri.
Ipsa suæ stupiditatis imago,
In semita hæret,
Et in sua statua tumulatur.
Licet igitur intra Metamorphoses numeretur
Fœminam ex verâ fictam:
Imo nunc veram, quia fictam
Nam quid in fœminis videas, nisi fictum?
Itaque mentiri solita, seipsam mentitur.
Mortua Vivam simulat, vel Viva Mortuam.
Magis mirere.
Quod insulsa, salsum migravit in lapidem:
In sale mortua, quo viva carebat.
Sic solent Fœminæ: sapiunt cum pereunt.
Ah fuge hunc salem, si sapis, Viator.

XLIII. Dispositio segregatis argutiis hæc est:

ADEST MULIEBRIS STATUA.

Hujus considerantur

1. ADJUNCTA velut inter se contraria.
 Sine artificio artificialis
 E Fœmina loquaci facta, & tacens.
2. CAUSÆ.
 falsæ removentur: *non vidit Gorgonium aut bibit fontem apud Cicones, unde homines redderentur lapidei:* vera ponitur: *nam Deo facta inobediens hanc sustinuit pœnam.*

3. CON-

3. CONSEQUENTIA

Ergo sic mirabiliter sepulta mulier.
Ergo semel mentita, adhuc fallit spectatores.
Ergo insulsa in salem abiit mortua.

CONSECTARIUM Epiphonematis loco additum:

Fuge hanc statuam.
Ea enim mulier sapuit, cum periit.

XLIV. Petri Labbei argutissima Inscriptio hæc est:

STA VIATOR.

Tangit te hæc jactura, quæ est publica.
Hic jacet D. J. de VICELIEU,
Regiarum causarum regalis Patronus.
Arbitratus, se esse Regis Advocatum & Regni,
Temperabat Regia jura publicis & publica Regiis,
Nec publica tantum jura defendit, sed privata.
Neminem accusavit, nisi nocentem,
Sæpe etiam excusavit nocentes.
Ut posset excusare, reddebat innocentes.
Eloquentiam hominis probant multa quæ scripsit.
Nulla est materia, quæ eruditum non fecerit.
Nulla est, quam ipse non erudierit:
Faciebant omnes scientiæ eloquentem,
Ipse omnes scientias faciebat eloquentes.
Nec humana tantum sciebat, sed Divina.
Idem Orator humanus & penè Theologus
Ratus injurias Divinas esse Regias,
Utrasque accusavit Advocatus Regni & Dei,
Ut posset accusare scelera, ipse purus sceleris fuit.

Nemo appellavit injuſtum, etiam dum ſeverus fuit:
Sola mors accuſavit lenitatis, quod ſæpè morti percerit.
At hæc ingrata crudelitas eſt:
Parcere homini debuit, qui ſæpè morti pepercerat.
Decepta tamen mors eſt: invenit immortalem, dum perimit.
Scilicet exhauſtâ carne, ſola mente vivebat.
Atque hæc immortalis, non interiit, ſed exiit,
Et aſſueta, quò ire conſueverat, eò ivit.
ABI VIATOR & futurus æternus
Inchoa æternitatem intra tempus.

XLV. Nervus Membrorum eſt hic:

EXORDIUM continens captationem attentionis:

Viator, at te pertinet, quod publicum eſt.

TRACTATIO

Hic ſitus eſt, Vir laudatiſſimus.

Probatur hoc

1. à Functione, quam geſſit.

Fuit Cauſarum Regiarum Patronus,

2. à Functione, quam bene geſſit: *Obſervando mediocritatem h. e. Æquitatem & Juſtitiam.*

3. ab Eruditione.

Fuit eloquens.

Fuit verſatus in omni ſcibili.

Curavit etiam res Divinas.

4. à Virtute.

Noluit nocere exemplo, qui accuſaturus eſſet vitia.

5. à Morte

Cujus

Cujus Antecedens: *Morbus acutiſſimus, quem patienter ferendo Morti viſus parcere, quod eandem non accuſaret crudelitatis.*

Concomitans: *Dum exhaurietur caro, vivebat mens.*

Conſequens: Exiit è miſeriis in gloriam cœleſtem.

CONSECTARIUM Epiphonematis loco:

Imitare ipſum, Viator, & in terra vivens cogita de cœleſtibus.

XLVI. Neſcio quæ politiorum exemplorum dulcedo me cepit, ut aliquantulum digreſſus à rigore Logico, in hac diſponendi luxuria verſarer diutius: Sed dabit veniam, quicunque intellexerit, quàm ſtudiis ſit commodum, ad hos ſtatim uſus applicare doctrinam Logicam. Nunc abſolvemus, quæ pertinent ad Interpretationem.

Caput IV.

De Senſu per Interpretationem eruendo.

I.

Aliud eſt judicare de Orationis Veritate & concinnitate, aliud nudum Auctoris ſenſum eruere. Ibi enim accedit Interpretis cenſura;

ſura; hic ſufficit mentem loquentis aſſequi. Hic quæſtio eſt, *quid dicatur?* ibi *quàm bene & laudabiliter dicatur?*

II. Videbimus jam de nudo ſenſu, qui colligitur è naturâ vocabulorum.

III. Et vero Logici aliquid tangunt, cum agunt de Suppoſitione: Ita enim vocant vocabulorum acceptionem, cum, rebus plerumque abſentibus, eorum loco ſubſtituantur vocabula, & velut vicaria ſupponantur.

IV. Habent Suppoſitionem Materialem, *cum vocabulum ponitur pro ſe ipſo* e. g. *Equus eſt diſſyllabum.*

V. Habent Suppoſitionem Formalem, *cum vocabulum accipitur pro ſuo ſignificatu.* Quæ quidem vel eſt Simplex, *cum accipitur pro conceptu communi in mente* e. g. *Equus eſt Species;* vel eſt Perſonalis, *quando accipitur pro rebus extra mentem exiſtentibus* e. g. *Equus vivit, generat, currit.*

VI. Norma autem, unde cognoſcitur Suppoſitio, eſt ſignum Univerſale vel Particulare: quod ubi locum invenit, Suppoſitio ſine dubio Perſonalis eſt. Sic dicere poſſum: *O. Equus vivit, Q. Equus generat, Q. Equus currit:* viciſſim non valet: *O.* vel *Q. Equus eſt diſſyllabum, O.* vel *Q. Equus eſt Species.*

VII. Cæ-

VII. Cæterum nobilissima acceptio est Personalis, quippe quod ipsa res designat, verumque sermonis finem assequitur. Inde nisi aperta causa id suadeat, ab acceptione Personali non est recedendum.

IIX. Personalis hæc dum gerit signum Universale, interdum admittit exceptionem. Primo in Suppositione, quam dicunt *Accommodam*. Quando enim dicitur *Cælum tegere omnia*, ipsa ratio hanc exceptionem dictitat, *Omnia præter seipsum*. Deinde quando non designantur *singula Generum*, sed *Genera singulorum*, vide quæ diximus *Lib. 1. Cap. 4. th. 5. seq. pag. 22.*

IX. Ut accedamus ad ipsam rem, Sensus Orationum vel est *literalis & expressus*, vel *typicus, allegoricus & latens.*

† Non solum id de Sacra Scriptura dicitur, cujus Sensum agnoscimus & literalem & mysticum: sed etiam in omnibus Parabolis, Emblematibus, Ænigmatibus aliisque Oratorum & Poëtarum lusibus observari potest. *Tarquinius baculo frangens suprema papaveris capita, planè fovebat alium sensum, tollendos è medio Proceres.* Sic Savedra pingens *Canem, qui morsu fertur in clavam aculeatam, invidiam depingit, sibimet noxiam.*

X. At Sensus hic latens vel est *acceptus*, cum ipsa Auctoris intentio ad eundem respexit, istud-

iſtudque claris documentis demonſtrari poteſt, vel *illatus*, cum aliquis ea conatur eruere, de quibus Auctor nunquam cogitavit.

† Sic ſi tempore Peſtis occidi jubeantur Porci & Anſeres, latentem aliquis eruere ſenſum poſſet, voluiſſe Legislatorem, ut à ſingulis abeſſet intemperantia, & nimia garrulitas, quæ dum quærit Converſationem, velut incidit in occaſionem contrahendæ infectionis. At certè ſenſum hunc à legente non inventum, ſed illatum, nunquam admitteret, cui commiſſa eſſet Legis executio.

XI. Sic notanda Regula: *A ſenſu literali ad ſenſum latentem abire non licet, niſi Auctor expreſſè hoc ſignificaverit.*

† Sic plerique Emblematibus addunt Lemmata, ſeu breves titulos. Sic Chriſtus probaturus Parabolas plerumque utebatur hoc Proœmio: *ſimile eſt Regnum Cœlorum*, ut cognoſcerent Auditores, intelligi non tantum quoad Senſum literalem, ſed etiam quoad parabolicum debere ſermones.

XII. Senſus literalis varias habet difficultates, quotiescunque occurrunt vocabula ambigua. Nimirum ea vel accipiuntur *Propriè vel Tropicè*, Deinde *latè vel ſtrictè*, Tertiò planè ſunt *Polyſema* ſeu *de multis dici poſſunt Æquivocè.*

XIII. Sen-

XIII. Senſus vocabulorum proprius judicatur ex Uſu, ſeu ut nominemus potiora Uſus adminicula, è Lexicis. Sunt verò Lexica vel *Grammatica*, quæ rerum notiones primas in conſuetudine civili uſitates colligunt; vel *Philoſophica* ſeu *technica*, quæ terminos in quavis diſciplina uſitatos declarant, adeoque afferunt Notiones ſecundas.

XIV. Hinc quælibet diſciplina locum habet declarandis terminis deſtinatum; adeoque ſemper judicantur feliciores, qui profecerunt ſub Præceptore, ſimul adſuefacti receptis phraſibus, præ Autodidactis, quorum in mutandis terminis inepta ſæpe eſt licentia.

XV. Certiſſima enim Regula eſt hæc: *In vocabulis communibus prævalet Uſus, in terminis diſciplinarum Conſenſus artificum præcipuorum.*

XVI. Sed interdum Senſus literalis propriè acceptus videtur involvere Contradictionem vel abſurditatem, unde arripienda eſt acceptio tropica, e.g. *Si Riſus eſt amœna excitatio lineamentorum in vultu humano; facile apparet, in ſenſu proprio id Horto vel Prato competere non poſſe, quippe quibus non eſt humana facies: Inde arripienda Metaphora, quâ Riſus amœnum adſpectum in genere deſignat.*

XVII. Sem-

XVII. Semper tamen in promptu ſit hæc Cautio: *Non eſſe deſerendum Senſum proprium, niſi ipſa ſuadeat neceſſitas.* Cur enim deſeratur via trita, ſi nihil nos adigit ad diverticula.

† Iſta verò neceſſitas non eſt alia, quam certisſima contradictio. Quin etiam in negotio fidei nondum valet, aliquid contradicere rationi, ergo verum non eſſe in myſterio: ſed videndum potius, an etiam Scriptura de myſteriis agens contradicat.

XVIII. Qui porro ſcire velit, quomodo ſe habeat vocabulorum acceptio lata & ſtricta, is evolvat, quæ ſupra de Ampliatione & Statu *pag 15.* item de Analogis *pag. 108.* dicta ſunt.

XIX. Nam de Analogis certa eſt Regula: *Stare ea in ſenſu famoſiori ſ. magis recepto, ſi ponantur ſine addita determinatione.*

e. g. Si Rex vel Princeps dicat, cordi ſemper fore ſibi Reip. ſalutem: nemo tam fuerit inſanus, ut ſtatuat, Principem declaraſſe ditionem pro libera Rep. ſed intelliget Remp. in ſenſu lato, quemadmodum is apud Politicos magis eſt receptus.

XX. Quomodo accipi debeat Ampliatio & Status, id recepta habet Regula; *Verba accipienda eſſe cum effectu;* h. e. ſic interpretanda, ut ad rem præſentem pertineant: Quippe nemo creditur velle abſurda vel inutilia.

† 1. Si quis promiserit redditurum se ablatos equos, nihil præstabit, si accepto vocabulo in Ampliatione reddat mortuos: cum nullus promissi sit effectus, nisi, in Statu & strictè, exhibeantur vivi.

† 2. Vicissim si quis locaverit hospitium in quatuordecim dies, necesse est vocabulum accipi in Ampliatione, ut simul includantur noctes: nam alias conductor effectu careret, quem sibi proposuisset.

† 3. JCti distinguunt inter *favorabilia*, quæ præmium vel immunitatem important, & *odiosa*, quæ pœnam vel onus concernunt. Adeoque arguunt *Favores esse ampliandos* h. e. Favorabilia omnibus adjudicari debere, quæ vel in sensu lato reduci huc possunt, ut plures exhilarent; sed Odiosa in sensu strictissimo interpretanda, ne pluribus noceant.

e.g. Si quis personas miserabiles singulari Privilegio afficiat, id sanè extendi posset ad Ecclesiam; sed si tales personæ jubeantur pati aliquod onus, non est, cur Ecclesia eo debeat referri.

XXI. Polysema sic interpretanda sunt, ne Prædicatum Subjecto contradicat. e. g. *Si quis dicat tempestatem tunc esse calidissimam, cum Sol splendet in Cancro, quis salvo aliquo sensu, possit hoc intelligere de Splendore Solis in Cancro Amphibio.*

XXII. Hæc de Vocabulis. Sed magna interpretationis efficacia est è collatione integri Tex-

Textus, si conferantur Antecedentia cum Consequentibus. Si expendatur Auctoris Scopus, & alia multa, quæ non tam à Logicis, quàm à Theologis & JCtis doceri possunt, quippe quorum cura est inquirere in sensum, Scripturæ & Legum. Proinde & hinc licebit sectari brevitatem, cum sufficiat Auditores admonuisse, quid in agnoscendâ veritate discere queant ab aliis. Nam si denuo laudare par est Paraphrasin, obscuritatis diluendæ commodissimam Magistram: repeti velim, quæ supra locis quàm plurimis fuerunt ostensa.

Caput V.

De Veritate per Interpretationem eruenda.

I.

VEritas in se pertinet ad Disciplinas reales; solumque veritatis indagandæ modum Logica sibi reservat. Quamobrem nunc dicere non attinet, quomodo quis de rerum propositarum Veritate judicare, easque vel recipere vel improbare debeat.

II, Sed in hoc versabitur officium Logici, ut de natura argumentorum despicere, eorumque

rumque vel certitudinem vel probabilitatem designare queat.

III. Inde magna Doctrinæ Topicæ utilitas hic etiam deprehenditur, ut nunquam melius succedat interpretatio, nisi cum accuratè cuivis probationi designantur sui loci, unde processerit.

IV. Sed quicquid erui possit è Topica, considerandum tamen adhuc est, cujus generis sint allata Argumenta. Certè enim, ut Interpretationis Magistri volunt, ea sunt 1. *Explicantia* 2. *Probantia* 3. *Amplificantia* 4. *Illustrantia*.

V. Explicantia sunt, *quæ Subjecti & Prædicati genuinum sensum veramq; naturam exhibent.* Probantia, *quæ ostendunt Subjecti & Prædicati convenientiam.* Amplificantia, *quæ utriusq; Proprietates & Circumstantias ulterius indagant.* Illustrantia, (quæ referri commode possent ad Amplificantia,) *quæ à Similibus, Exemplis, Testimoniis, aliisque Comparationibus lucem aliquam accendunt Interpretationi.*

VI. Applicemus ista ad nobilissimum Senecæ Locum, quem habet de *Beneficiis Lib. cap. 6.*

Quid est beneficium? Benevola actio tribuens gaudium, capiensq; tribuendo, in id quod facit

prona, & sponte sua parata. Itaque non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. Quia beneficium non in eo quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen, vel ex hoc intelligas licet, quod beneficium utique bonum est: id autem quod fit aut datur, nec bonum nec malum est. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita dehonestat: ipsa, quæ appetuntur, neutram naturam habent, nec boni nec mali: refert, quo ille rector animus impellat, à quo forma datur rebus. Non est ergo beneficium ipsum quod numeratur aut traditur. Sicut nec in victimis quidem, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos; sed pia ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fritillâ religiosi sunt: mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.

VII. Scopus Orationis est exponere naturam BENEFICII, quod fit per hanc Thesin:
Beneficium consistit in læto & prompto animo.

Itaque conferuntur Argumenta

EXPLICANTIA:

Nam exprimitur Beneficii

CAUSA EFFICIENS

Est Actio benevola, *procedens ex Amicitia seu ut Christiani loquimur, ex Amore Proximi.*

FINIS

Tribuere gaudium accipienti, & gaudium sentire tribuendo.

FOR-

FORMA

Tribuere id prona & spontanea voluntate.

OBJECTUM

Personale: *Is qui beneficium accipit.*

Reale: *Id quod exhibetur, & consistit vel in faciendo, vel in dando.*

PROBANTIA:

1. Quod Beneficium non consistat in rebus exhibitis.

Qc. bonum est, non potest consistere in eo, quod nec bonum nec malum est.

Atqui beneficium bonum est: quippe operatio virtutis, &c. E.

2. Quod beneficium judicari debeat ex animo.

Qc. omnibus rebus dat pretium, id etiam judicare debet beneficia.

At animus &c. E.

AMPLIFICANTIA:

A Natura Animi, *quantum extollat sordida, deprimat splendida.*

à Natura rerum externarum, *quantum sint indifferentes.*

ILLUSTRANTIA:

Capta Comparatione à victimis, *quæ quidem à diis non æstimantur ex pretio, sed ex animo.*

VIII. Sed dedimus exempla Argumentorum *insitorum* h.e. eorum, quæ in ipso Textu continentur: etsi prohibitum non est adducere simul Argumenta *aliunde assumpta*, si fortè in Textu probationis fundamentum non

apparet: Cui rei nimium quantum conducet *Exercitium Topicæ in probandis Sententiis* ſupra commendatum *pag.306.ſeqq* Sed videbimus nunc, quid Logica Exercitia valeant apud futurum Concionatorem.

CAPUT VI.
De Artificio Sacrarum Concionum.

I.

DE Concionandi Methodo extant Libelli ſatis multi: non tamen vidi accuratiorem HODEGETICO Dn. Carpzovii, poſtquàm in nupera editione 1675. Unius Dicti interpretationem centum diſpoſitionibus variatam, ſic habet adjectam, ut cœcum eſſe oporteat, qui è manuductione tam clara nolit proficere.

II. Quamobrem ſatius fuerit Auditores eo ablegare, quàm vel exſcribere ejus meliora, vel ſubjicere deteriora. Cum præſertim diſponendi vim, & quicquid ad Conciones pertinet, in Exemplis Politicis jam videamus exhibitam *pag. 377. ſeqq.* item *pag. 391.*

III. Interim cum Præceptoris Scholaſtici officium ſit, præparare Auditores ad Academiam,

miam, excitatoque rerum ibi tractandarum praegustu, faciliorem Professoribus laborem reddere: non est, cur quis improbare possit triplicem hanc industriam, 1. *Formandi varias Dispositiones.* 2. *Eruendi Argumenta.* 3. *Eliciendi Consectaria.*

IV. Si enim vel maximè singula ostendi queant in exemplis Politicis: est tamen aliquod momentum in eo positum, ut nota fiant dicta Biblica, juvenumque animis tempestivè commendentur arma adversus Heterodoxos, adversus Affectuum impetus, imo adversus Calamitates futura commodissima. Neque timeri possunt studiorum humaniorum aliqua impedimenta, si Lectiones Theologicae sic instituantur, ut praecipuum cujusvis Articuli dictum, in quo maxima vis collocari solet, secundum artificia modo nominata, variis Dispositionibus applicetur, eademque opera, & studium Pietatis, & virtus orationis exerceatur.

V. In Dispositionibus observatur Methodus *Analytica vel Synthetica*: quos terminos jam dedimus quidem *Lib. 2. cap. 2. p. 327.* nunc tamen ob receptum sic usum, paulo explicamus vel illustramus aliter.

VI. Nimirum Analytica ſpectat explicationem Textus, adeoque occupatur in ejus Reſolutione: Synthetica è Textu ſeligit Locum Communem, quem exinde velut componit, ut proinde ſibi quam pulcherrimè conſtet denominationis ratio.

VII. Sed tyrones utiliorem ſuis exercitiis habebunt Methodum Analyticam, quippe quæ natura prior eſt: cum ex adverſo ad Syntheticam nemo temere procedat, niſi qui jam de Textus Senſu & Scopo per Analyſin fuerit informatus.

IIX. Quamobrem detur opera, ut non modo Subjecti & Prædicati juſta adſit cognitio: ſed etiam ut artificiali converſione novum ſubinde Subjectum erui queat è quovis vocabulo, cujus in Textu fit mentio.

IX. Quin etiam ſi quis in ſenſu proprio Diſpoſitionem ordinaverit, ſtatim cogitet, quem ſplendorem ea nanciſci poſſit adjecta Allegoria, quæ variationis copiam, præſertim apud juvenes alia Realium copia adhuc deſtitutos, mirificè largitur.

X. Ea tamen malim ſuſcipi linguâ vernacula: cum Termini Latini eruditionis aliquam opinionem, non vero ſingularem fructum apud imperitiores ſoleant excitare.

XI. Da-

XI. Dabimus exempla, ſed pauca: cum plura ſuppeditentur per diligentiam privatam. In Loco de Sacra Scriptura Dictum non poſtremum eſt Joh. 5, 39.

Suchet in der Schrifft. Denn ihr meynet / ihr habt das ewige Leben drinnen / und ſie iſts / die von mir zeuget.

XII. Genuinus Dicti Senſus, ſi comparentur verba Chriſti antecedentia, includitur hoc Syllogiſmo.

De quocunq; teſtatur ea Scriptura, in qua creditis contineri vitam æternam, ille eſt verus Meſſias.
De Chriſto teſtatur &c. E.

Si tamen ſpectetur in ſe, quatenus exinde probari jam debet Scripturæ Auctoritas, ſic diſponetur quàm optimè:

Subjectum *eſt Scriptura,*
Prædicatum *eſſe ſcrutandum*
Medius Terminus

1. à Fine: *Nam continet vitam æternam.*
2. ab Objecto: Nam teſtatur de Chriſto, quem habemus vitæ Auctorem.

XIII. Sic emerget Diſpoſitio plane naturalis & ordinaria, dum conſideranda proponitur.

Die Heilige Schrifft/

1. Dem Gebrauche nach.

Est scrutanda.

2. Dem Nutzen nach.

Habet vitam æternam.

3. Der Versicherung nach.

Testatur de Christo.

XIV. Si loco Subjecti assumatur vocabulum SCRUTARI, eadem facilitate exhiberetur:

Das Christliche Suchen einer gläubigen Seele/

Wie solches erscheinet,

1. Im Fleisse,

Nam perquiritur Scriptura.

2. In der Hoffnung,

Nam expectatur inibi Salus æterna.

3. In der Liebe,

Nam ibi reperitur Christus Animæ amator.

XV. Porro Subjectum sit VITA ÆTERNA, unde profluet hic ordo:

Das ewige Leben/

1. Wie es gesucht wird.

Scrutando

2. Wo es gefunden wird.

In Scripturâ

3. Von wem es bestätiget wird.

A Christo, ad quem dirigitur Scriptura.

XVI. Sub-

XVI. Subjectum ſit CHRISTUS, cujus talia nunc emergent Prædicata:

Der himmliſche Bräutigam.

1. Wie er von der Seele verlanget wird.
Scrutamini Scripturas.
2. Wie er ſein Jawort giebt.
Scriptura teſtatur de ipſo.
3. Was er vor einen Mahlſchatz bringt.
Vitam æternam.

XVII. Ultimo Subjectum ſit TESTIMONIUM, quod illuſtrabitur his Partibus.

Das Zeugnüs von Chriſto/

1. Wen es angehet.
Homines qui jubentur ſcrutari.
2. Wo es zu finden.
In Scripturis.
3. Was daraus zu hoffen.
Vita æterna.

XIIX. Ita, ſi ſtatis diebus unum vel alterum Dictum pertractetur, non modo ſpes eſt, fore ut excitetur acumen judicii; ſed etiam gratum Deo peragitur opus, cui forte juvenes adducuntur felicius, quoties non tam ad nugas Ethnicorum, quam ad ipſos Iſraelis fontes reſpicere jubentur. Quid? ſi ſcrutari Scripturas ex mandato Chriſti debent omnes, cur non, qui ſic informandi ſunt, ut vitæ ſuæ vel profeſſionem vel confeſſionem collocare poſſint in ſolo Chriſto.

XIX. Cæterum Argumenta & Conſectaria, tyronibus vel ideo ſunt difficiliora, quod à Realium notitia nimium deſtituuntur. Sufficiat igitur ex aliis Concionibus, præcipuè quas accedere videmus ad Methodum Carpzovianam, ne primam induſtriam deterreat varietas, oſtendere, *quantum valeant Argumenta inſita, quantum aliunde allata, quantum Probatio differat ab Amplificatione, quomodo eruantur Uſus, DIDACTICUS & ELENCTICUS, PÆDEUTICUS & EPANORTHOTICUS, tandem CONSOLATORIUS, & quantum his pertractandis non ſufficiat attingere Theologiam Dogmaticam, ſed inſignem ſuam neceſſitatem ſimul probet Theologia Moralis, quæ cur à multis Studioſis parum æſtimetur, ratio certè proferri poteſt nulla.*

XX. Neque mirabitur Lector Benevolus, cur nimis brevem in nobilisſimo hoc capite me deprehenderit: nam ſatis ad declarandum ſciendi modum contulit, qui Auctores demonſtravit ad ulteriorem ſedulitatem commodos. Nunc animus eſt in ultimo Libro; nam aget de arte diſputandi, quam quidem potiori jure ſuam dicere poteſt Logicus.

PAR-

PARTIS II. LIBER IV.

De ARTIFICIO DISPUTANDI.

CAP. I.

De Exercitiis Diſputatoriis in Genere.

I.

DIſputatio eſt amica opinionum contradictoriarum collatio, eruendæ veritatis cauſa.

II. Proinde nimium mihi videntur errare, qui vel ineptam gloriolam, vel vindictam minus glorioſam, in veritatis hac Palæſtra quærere non erubeſcunt. Sed de his infra, cum Regulas diſputationis enarravero.

III. Tria vero ſunt, quæ ad excolendum diſcentis animum faciunt, ſi conſcendere aliquando, & cum fructu, & cum aliorum applauſu velit cathedram.

IV. Pri-

IV. Primo reſolvere diſcat ſimplices Syllogiſmos, ita quidem ut reſolutioni adhibeat diſtinctiones ſupra expoſitas: ac viciſſim datis Theſibus ſciat certâ probatione confirmare Theſin contradictoriam. Ut enim catenam nemo confecerit, niſi cui primo ſucceſſerint annuli: ſic etiam ad integrum diſcurſum ſemper futurus eſt ineptiſſimus, qui minutiores has particulas expolire neglexerit.

V. Deinde fiat progreſſus ad formales diſputationes, novis ſubinde Inſtantiis continuandas: Quas ſane quam feliciſſimè provehit Auditus aliorum: ſicut eam ob cauſam nemo diſputationis laudem temerè occupabit, qui Academicis Exercitiis nunquam interfuit. Interim habeo ſubſidium haud omnino contemnendum, præſcriptis Diſputantium Colloquiis, Actum diſputatorium velut ſiſtere in Ideâ, quod quantum æſtimari debeat, exempla docebunt.

VI. Ultimo de machinis Sophiſtarum agendum, qui ſolicitum adverſarium de veritate, nugis & fallaciis abripiunt in diverticula, nihilque minus intendunt, quàm vel modum ſciendi, vel veritatem. Nam ſi Medici venenorum naturam explicant, non ut noceant, ſed ut aliorum nocumenta promptius avertant;

vertant; sic planè sentiendum de Sophistarum fraudibus (quibus utinam inferiores sæpe non fuissent Viri alioquin eruditissimi) parandas esse, ut termino Politicorum utar, non in Offensionem, sed in Defensionem.

CAPUT II.

De Modo Respondendi ad Syllogismos.

I.

QUomodo resolvi possint Syllogismi quoad Formam illegitimi, jam ostensum fuit *pag 94. seqq.* nunc de iis agendum, qui vitium seu ambiguitatem fovent in Materia.

II. Qualiscunque igitur Syllogismus proponatur, cujus aliqua apparet falsitas, is cui impositum est respondendi negotium, ante omnia sciat, repetendum esse Syllogismum ipsissimis verbis, ac ab altero fuit prolatus. Deinde videat, an Præmissæ adhuc sint obscuræ: sic enim petenda earundem probatio, antequam succedat responsio. Tandem cogitet de modo eruditè respondendi.

III. Et fieri quidem potest, ut simpliciter negetur aliqua ex Præmissis: communiter tamen

tamen optima medela venit à Diſtinctione ſive ea ſit Realis ſive Inſtrumentalis, *vid. ſupra pag. 179. ſeqq.*

IV. Quamobrem ſi placet Diſtinctio, proponenda ea & explicanda perſpicuis verbis, imo ſi poſtulet occaſio, illuſtranda ſimul aliquot exemplis; ut poſtmodum applicari queat vel ad Majorem vel ad Minorem, ac in iis vel ad Subjectum vel ad Prædicatum.

† Do Exemplum. Quodſi enim opponatur Syllogiſmus:

Qc. eſt imperfectum, in eo non conſiſtit Summum Bonum.

Virtus hominis eſt imperfecta. E.

In virtute hominis non conſiſtit Summum Bonum.

Reſponſio formari dupliciter poteſt, limitato videlicet Subjecto & Prædicato.

Primo ſic diceretur: *Diſtinguo inter imperfectionem, quæ adeſt per ſe & neceſſario, & quæ adeſt per accidens. Quod per ſe eſt imperfectum, id in ſua natura gerit imperfectionis cauſam, ſicut plumbum dicitur imperfectum ad aſſumendam gladii formam, quia reſiſtit ipſa & naturalis ejusdem mollities: ſed quod per accidens imperfectum eſt, id ab alio & externo impeditur vel corrumpitur, ſicut vinum generoſum in dolio putrido fit minus perfectum.*

Jam ſequitur Applicatio: *Quamobrem limito Subjectum Majoris: Qc. eſt imperfectum per ſe, in eo*

non

non consistit Summum Bonum. Sic concidit Minor.

Subnectitur ratio, cur Minor concidat: *Nam Virtus in sua naturâ non respuit aliquam perfectionem, nisi impedimento esset Subjecti h. e. hominis corruptio, ut, velut vinum in dolio, contrahat aliquid iniquitatis.*

Alio modo sic posset responderi: *Distinguo inter Summum Bonum in Sensu absoluto vel respectivo consideratum. Sensus absolutus est, cum quid Summum dicitur ubique, omni respectu, & citra exceptionem: Respectivus est, cum quid aliquo saltem loco, inter quosdam dicitur Summum.*

Applicatio. Jam limito Prædicatum Majoris: *Qc. est imperfectum, id non est Summum Bonum in Sensu absoluto. Sic concedo totum argumentum.*

Ratio Applicationis: *Nam nos solum quærimus, quod Bonum inter humana & possibilia summum locum obtineat, non quid omni loco & tempore, etiam apud Deum, apud Angelos, apud Glorificatos sit Summum. Et sanè, posse etiam in rebus imperfectis aliquam cæteris esse superiorem, nemo negaverit.*

V. Certè variam utilitatem habet Distinctionem perspicua illustratio. Primo enim tollitur omnis obscuritas, quæ raro evitatur ab iis, qui gloriosum putant breviusculis terminis, velut gladio Alexandri, secare universum dubium.

†I. No-

†1. Novi hominem, qui vel ideo apud imperitos celebrabatur, quod omnibus Objectionibus non nisi tria vel quatuor vocabula reponeret, & ea quidem adeo ponderosa, scilicet, ut semper exhaurirent universi negotii difficultatem. Nam qui Distinctiones non intelligebant inter Auditores, vel qui applicationis extemporalem felicitatem non assequebantur, ex Opponentibus, facile lauream tribuebant ei, quem apertè refutare non possent. Interim quæ Veritas, quæ Materiæ ulterior notitia redundaverit in præsentes, judicare cordatiores nondum audivi.

†2. Forte non fuerit injucundum legere disputationis tam heroicæ Exemplar, ubi Opponens satis accurate progressus, Respondentem Laconicis ineptiis superbum nanciscitur.

Sit Thesis:

POLITICA EST PRUDENTIA.

OPP. Notitia incerta non est Prudentia.
Politica est notitia incerta. E.
Politica non est Prudentia.

RESP.* *Incerta absolutè non hypotheticè.

OPP. Quantum judico, Dn. Respondens innuit Politicam omnibus numeris non certam, aliqua tamen adhuc certitudine esse instructam; quæ dici possit hypothetica. Sed quoniam optimi sæpe Politici falluntur, novum mihi enascitur dubium:

Ubi

Ubi positâ conditione non ponitur Consequens, ibi non est certitudo hypothetica.

RESP: Certitudo non absolutè sed relatè.

OPP. Sed quæ est illa relatio, quæ fundare possit certitudinem.

RESP. Non semper sed ut plurimum.

OPP. Crediderim Dn. Respondentem non semper esse obscurum, fortasse tamen ut plurimum. Quantum enim ex hoc ænigmate licet augurari, Politicæ conclusiones aliquando fallunt, sed in plerisque tamen casibus suam certitudinem comprobant. Interim quis ejusmodi certitudinem credat sufficere ad Prudentiam.

RESP. Non in statu ideali sed possibili.

OPP. Eadem opera ego dixerim, in Statu possibili seu imperfecto nullam esse Prudentiam.

RESP. Perfectam, bene tamen imperfectam.

OPP. Sed Prudentia in essentiali suo conceptu non vult esse imperfecta.

RESP. Non essentialiter sed gradualiter.

OPP. Sanè Prudentia, quæ est habitus in gradu remissiori vocatur Dispositio: sed loquimur de habitu h. e. de Prudentia in gradu intentissimo, quam mihi nunquam es exhibiturus.

RESP. Comparatè non absolutè.

OPP. Sed Comparatus hic ſenſus involvit poſſibilitatem ad deceptionem, unde ſic argumentor:

Qc. fallit & fallitur non eſt Prudentia.
Politica fallit & fallitur. E.

RESP. *Fallit à principio non interno ſed externo.*

OPP. Oedipo forſan opus eſt, ſi Sphyngem tuam ſubinde intelligere jubear: Quæro itaque, quid vocetur Fallaciæ Principium internum & externum?

RESP. *Quid eſt fallacia cauſalis & caſualis?*

OPP. Quæ ſunt diſputationum fatalia & fatualia? Nondum certè mihi ſatisfactum eſt.

RESP. *Quid fallacia data & accepta:*

OPP. Idem fortaſſis, quod tua reſponſio, quam obſcurè das, ne clarè accipiam. Sed liceat augurari: fortaſſe Prudentiam comparas Sutori, qui ſi malus eſt, è Principio interno h.e. ex inordinato ſuo habitu, corrumpit calceos; ſi bonus eſt, è malo corio, urgente ſic Principio externo, calceos facit deteriores. Ut adeo ſpectes ad ſtatum corruptum, in quo Prudentia ſatis perfecta, non tamen ſcopum obtinere poteſt ſua perfectione dignum, obſtante ſcilicet hominum gubernandorum malitia: quæ quoniam ponitur extra Prudentiam, non niſi extrinſecam imperfectionis denominationē ipſi tribuere poteſt. An ſatisfactum ænigmati?

RESP.

RESP. *Materialiter non formaliter.*

OPP. Faciam periculum, quantum hic Syllogismus ferire velit tuam assertionem.

Quales actiones extrinsecæ, talis Prudentia intrinseca.

Sed actiones extrinsecæ sunt imperfectæ.

RESP. *Judicamus ex Objecto formali non materiali.*

OPP. Nova liberalitas, quæ argumentum meum dignatur sex vocabulis. Quid si Creticem cum Cretensi? Et formale & materiale.

RESP. *Quoad intentionem & executionem.*

OPP. In theoreticis non in practicis.

RESP. *In operativis non in directivis.*

OPP. In directione Usus & Praxeos.

RESP. *In Praxi plena & inchoata.*

OPP. Cur non in catapodiali & reflexiva? Video me esse victum. Pedem igitur figo, & quando Veritatis causa non disputavimus, nec palmam in re omnium intricatissima quispiam alteri est adjudicaturus; implicitè & explicitè, latè & strictè, distinctè & confusè meam personam amicitiæ tuæ volo commendatam.

VI. Altera Utilitas est, quod Respondens è loquendi materia nondum satis instructus, intelligere sic incipit, ex quo fonte capienda sit

cathedralis hæc eloquentia: Ac proinde quivis judicet, quam proficua Præceptoris ſit induſtria, ſi applicatis argumentis ad diſtinctiones ſupra enarratas, efficiat, ut ſingulæ percipiantur rectius, dataque occaſione facundiam adjuvent commodius.

VII. Noſtrum igitur opus nunc erit, oſtendere modum inveniendi & applicandi has Diſtinctiones, cum de interpretatione & explicatione jam ſatis doceant ſuperiora. Adeoque ſuccedent varia argumenta, qualia quidem à Præceptore ſuis Auditoribus proponi poſſunt pro lubitu.

I.

Qc. procurat hominum interitum, id non eſt Virtus.

Juſtitia punitiva procurat &c. E.

NB. Statim apparet ambiguitatem fore in Subjecto Majoris: quia enim Virtus Adjunctum neceſſarium habet Amicitiam, abſurdum foret aliquam è Virtutibus violare Leges Amicitiæ. Quæro igitur, quomodo ea procuret interitum? ſcilicet ſub hac conditione, ſi aliter corrigi non posſint. Sic in mentem venit Diſtinctio *num. II. pag. 179.* ac limitatur Major:

Qc. procurat hominum interitum *abſolutè*, id non eſt Virtus.

Sic concidit Minor, quia Juſtitia id tantum facit hypotheticè.

2. Qc.

2.

Qc. intendit hominum destructionem, non est Virtus.

Fortitudo bellica intendit &c. E.

NB. Hic rerum quæritur, quomodo se habeat Fortitudinis intentio? nimirum ea intendit sui defensionem, & si forte vix licet impetrari, tum demum proceditur ad læsionem alterius. Sic incidunt distinctiones *num. XIII. p. 186. XLI. p. 205. XLIII. p. 207*, ac limitatur Major:

Qc. intendit hominum destructionem *directè, per se & primario*, id non est Virtus.

Sic concidit Minor: nam Fortitudo id saltem intendit *indirectè, per accidens & secundario.*

3.

Qc. non est in hominis potestate, id non pertinet ad Summum Bonum & consequenter non est Virtus.

Liberalitas non est in potestate Pauperis. E.

NB. Quomodo Pauper Liberalitatem non habet in potestate? certe non deest Voluntas sed abest facultas. Inde succurrit distinctio *num. VI. pag. 182.* Limitaturque Major:

Qc. non est in hominis potestate *Actu primo* &c.

Sic concidit minor, quia saltem negatur interdum *Actus secundus.*

4.

Qc. concurrit ad Virtutem, pertinet ad Summum Bonum.

Opulentia (in Liberalitate) concurrit &c. E.

NB. Video Opulentiam esse extra Virtutem, quæ abolita etiam opulentia non statim annihilatur. Ergo conjicio, utiles fore distinctiones *num. XVI. pag. 189. & num. XXXII. p. 199.* Sic limitatur Major:

Qc. concurrit ad virtutem *intrinsecè & essentialiter &c.*

Sic concidit minor: quia Virtutem essentialiter constituit mediocritas, seu habitus mediocriter dispensandi divitias, cum adsunt, vel mediocriter appetendi, cum absunt.

Qc. adesse potest salva Conscientiâ, id non est vitium, Rusticitas Urbanitati opposita adesse potest &c. E.

NB. Prædicatum Majoris agit de vitio, quod arguit extremam malitiam: sed qui Rusticitatem dicit Vitium, eandem in Societate civili arguere putat imprudentiam. Inde limitatur Majoris Prædicatum ex distinctione *XLIII. pag. 207.*

Qc. adesse potest S. C. non est vitium *in sensu primario.*

Sic conceditur totum argumentum: quippe ut virtutes Homileticæ saltem tales sunt in sensu secundario, non est cur alium respectum habeant vitia Virtutibus Homileticis opposita.

6.

Incitamentum Virtutis non potest esse ejus Adjunctum vel Consequens

Amicitia est Incitamentum Virtutis. E.

NB.

NB. Cogito primum, quo ſenſu Amicitia Virtutis ſeu Summi Boni dicatur Conſequens: nam qui ſentit incomparabilem Virtutis præſtantiam & felicitatem, libenter vellet alios hujus etiam felicitatis reddere participes: unde hæc Amicitia eſt propenſio ad communicandam aliis felicitatem. Sed Amicitia, quæ incitamentum Virtutis eſt, e. g. quæ ad Liberalitatem, ad Manſuetudinem me incitat, eſt generalis ea propenſio, qua homo, jubente ſic ſimilitudine naturæ, id aliis facit, quod ſibi viciſſim cupit fieri. Sic in promptu eſt diſtinctio *num. XXVIII. pag. 197.* & limitatur Minor:

Amicitia *in ſenſu generali* eſt incitamentum Virtutis.

Sic conceditur Argumentum: nam theſis loquitur de Amicitia in ſenſu plane ſpeciali.

7.

Qc. eſt negativum, non eſt Virtutis differentia. Mediocritas (h. e. Excluſio duorum Extremorum) eſt negativa E.

NB. Mediocritas cum audit differentia, potius reſpicit poſitivam rectitudinem ſeu appetendi temperatam facultatem. Inde habemus Diſtinctionem *XLII. p. 207.* Mediocritas vel accipitur in ſenſu *poſitivo*, vel in *negativo:* ſi quis agnoſcat ſenſum poſteriorem, concedi poteſt univerſum argumentum.

8.

Qc.cum Virtute simul existit, illud non est ejus consequens.

Voluptas &c.E.

NB. Ideo Voluptas dicitur Consequens, quia in abstracto Virtus habet rationem causæ, & Voluptas rationem effectus: siquidem ideo resultat lætitiæ radius, quia præsentem habemus Virtutis Solem. Inde succurrit *num. XLV. p. 208* adeoque limitatur Major:

Qc.cum Virtute existit simul *& tempore & natura.* Sic concidit Minor, ex jam dictis.

9.

Qc. omisit Pietatem, illius Ethica est insufficiens.

Aristoteles omisit Pietatem &c. E.

NB. Statim cogitandum, quis Ethicæ Aristotelicæ fuerit scopus: nimirum, quod is Ethicam & Politicam agnoscere pro eadem disciplina, satis esse credidit eas Virtutes enumerare, quæ externè & directè facerent ad Felicitatem Politicam: ideoque respicientes ad Distinctionem *num. X. pag. 184.* limitabunt prædicatum Majoris:

Qc.omisit Pietatem, illius Ethica est insufficiens, *si quis sectetur Studium Morale completum.*

Sic conceditur totum argumentum: quippe ad hujus studii Complementum præ cæteris necessaria est Theologia moralis.

10. Qc.

10.

Qc.sine fide est, Peccatum est,
Aristotelis Virtutes sunt sine fide. E.
Peccata sunt.

NB.Non discimus Aristotelis Virtutes, quatenus eæ fuerunt in ipso; & labem contraxerunt ab ejus corruptione; sed quatenus ab eo saltim fuerunt repræsentatæ in idea, quamobrem habemus distinctiones *Num.XI.pag.185.& XV.pag.188.* Inde limitatur Minor:

Aristotelis virtutes *in concreto & respectu existentiæ* sunt sine fide.

Sic conceditur totum argumentum.

Nos autem Virtutes consideramus *in abstracto & respectu essentiæ*, quatenus prædicari etiam possunt de Subjecto credulo.

VIII. Ita sehabent Responsiones, quæ procedunt ex artificio Distinguendi: sed interdum valet Retorsio, interdum simplex Inficiatio; quod duobus exemplis demonstrasse sufficerit.

I.

Qc.proponitur in Decalogo, id non opus est, ut reputatur in Ethica.
Doctrina Virtutum &c. E.

NB.Considero Decalogum, cujus brevitas requirit illustrationem: cum igitur hæc illustratio pertineat ad certam disciplinam, facilè succurrit

Ethicæ munus fore, ut explicationem præbeat Decalago, inde Argumentum ſimpliciter invertitur:

Qc. proponitur in Decalogo, illud OMNINO OPUS EST ut repetatur in aliqua diſciplina.

2.

Qc. etiam in peccatoribus locum habet, non eſt Adjunctum Summi Boni.

Voluptas animi gaudens de bonis præſentibus &c. E.

NB. Cogito ſtatim in peccatoribus voluptatem de peccatis commiſſis adjunctum habere timorem & pudorem. Inde reſpondeo negando: *Voluptas Animi non habet locum &c.* additur ratio: *nam adeſt potius Angor animi.*

IX. Adhibui Exempla merè Ethica: nam in argumento reali & philoſophico rectius exerceri poteſt intellectus, quam ſi ad ſubtiles ſpeculationum nubes admittantur juvenes baſiatores. Neque tamen video, quæ diſciplina inter reales ſit commodior: nam 1. verſatur circa Actiones in vitâ communi ſatis notas 2. procedit è Principiis nobiſcum natis 3. differentias habet non abſconditas *vid. pag. 120.* 4. tractantibus aliquam affert utilitatem, dum ad honeſtatis fundamenta nonnihil contribuit.

X Si tamen quis moleſtum putaret Auditores horis ſucciſivis ad hujus diſciplinæ noti-

notitiam adducere, non deerunt argumenta ludicra, quorum pauca ſubjicimus Exempla.

I.

Qc. ante biennium fuit creatus, eſt bimulus, Magiſter ante biennium &c. E.

NB. Ambiguitas latet in vocabulo *creare*, quod non ſumitur pro natura corporis, ſed pro denominatione aliqua externa. Sic ad ductum *num. XXXV. pag. 202.* limitatur: Qc. creatus fuit *ſecundum naturam internam phyſicè.* Sic apparet, in minori Magiſtri creationem eſſe *ſecundum denominationem externam moraliter.*

2.

Qc. nihil agit, non eſt Cauſa.
Præceptor Diſcipulũ non informans nihil agit. E.
Non eſt Cauſa, & per Conſequens non eſt Cauſa ignorantiæ in Diſcipulo.

NB. Ambiguitas quærenda eſt in vocabulo *Cauſæ*, quæ hoc loco non ſumitur pro eo, quod aliquid efficit, ſed cui effectus aliqualiter imputari poteſt. Ergo iterum limitatur Major: Qui nihil agit, non eſt *Cauſa phyſica:* Sic Concluſio adhuc vera eſſe poterit de *Cauſa morali:* niſi velis repetere Diſtinctionem Cauſæ *efficientis & deficientis* item Mali *commiſſionis & omiſſionis.*

3.

Qc. diſcitur in Gymnaſio, non eſt tractandum in Academia.
Logica diſcitur &c. E.

NB.

NB. Difficultas reſidet in vocabulo *diſcitur*. Nam apparet proponi quidem tyſonibus Principia; ſed nobiliores controverſias remitti ad occaſionem diſcendi ſublimiorem. Inde ad ductum *num. X. p. 184.* Limitatur Major: Qc. diſcitur *completè* &c. Sic facile conſtat falſitas minoris.

XI. Hæc de Reſponſionibus, quas vocant *Directas*, quoniam accuratè diriguntur ad ſolutionem Dubii: ſed reſtant *Indirectæ*, quæ aſſumpto alio exemplo Præmiſſarum alteram arguunt falſitatis, licet origo & fundamentum falſitatis ſimul non explicetur. e. g. Quando nobis opponitur:

Qc. interpres addit vocabulum in textu originali non obvium, is peccat.
Atqui Lutherus Rom. 3, 28. addidit vocabulum Sola. E. *Lutherus peccat.*
Reſponderi poteſt indirectè per inſtantiam:
Qc. interpres addit vocabulum &c. is peccat.
Chriſtus repetens verba Deuter: 6, 13. Deo ſervies, *Matth. 4. 10. addit vocabulum* Soli, E.
Chriſtus peccat.
Concluſio eſt abſurdiſſima, ergo aliqua ex Præmiſſis. Non Minor, quæ eſt manifeſta, ergo Major, quæ eſt opponentis.

XII. Sed talia ſufficiunt ad repellendum Adverſarium, non ad plenam veritatem. Unde rectiſſimè ſuccedit Reſponſio Directa.

e. g.

e.g. Si dicas, aliqua in textu originali occurrere vel *explicitè* quoad verbum, aliqua *implicitè* quoad ſenſum: ac poſtmodum limites Majorem:

Qc. addit vocabulum in textu originali *nec explicitè nec implicitè* obvium, is peccat.

Sic in utroque Syllogiſmo concidit Minor.

XIII. Dabo exemplum è Politicis:

Qc. eſt à Deo, non poteſt conferri ab hominibus.
Majeſtas eſt à Deo. E.
Majeſtas non poteſt conferri ab hominibus, & per conſequens *Regna non dantur electitia.*

Reſponderi poteſt indirectè:

Qc. eſt à Deo, non poteſt conferri ab hominibus.
Bona Uxor eſt à Deo. E.
Non poteſt conferri ab hominibus.

Concluſio eſt abſurda: nam Uxor libero hominis arbitrio quæritur, libero viciſſim arbitrio tum ſuo tum Parentum promittitur, ergo aliqua ex Præmiſſis. Non Minor, quæ extat Proverb. 19, 14. ergo Major.

Sed ſuccedat Reſponſio directa:

1. Qc, eſt à Deo *tum reſpectu ordinationis & inſtitutionis, tum reſpectu executionis*, id non poteſt conferri ab hominibus.

Sic in Minori apparet, Deum inſtituiſſe Majeſtatem, ſed executionem hujus legis injunxiſſe hominibus.

2. Qc. eſt à Deo *immediatè*, id non poteſt conferri ab hominibus.

Sic

Sic iterum apparet, Bonam Uxorē, imo Reip. hanc poteſtatem, quatenus in ſpecie confertur huic Subjecto, à Deo venire *mediatè*, mediantibus hominibus, quorum miniſterio utitur.

XIV. Et his quidem regulis abſolvitur primum hoc Exercitium, quod etiam atq; etiam velim commendare Juvenibus ad Philoſophiam & proinde ſimul ad diſputatoriam hanc facultatem manuducendis. Sed ita, ut jubeantur quoque extemporales aliquos loquendi conatus probare.

XV. Nam ut hoc loco oſtendere liceat Morbum Scholis & Academiis graviſſimum, ſimulque afferre pharmaca, quibus reſtitutionem ſi non pleniſſimam, certe aliqualem obtinere hactenus conor, NIHIL JUVENES IN ARTE DISPUTATORIA MAGIS IMPEDIT, QUAM QUOD LATINE LOQUI NON ADSUEVERUNT. Niſi enim in proferendis verbis ſimus expediti, eo præſertim loco, ubi quicquid eſt virium, impenditur conſiderandis Realibus, unde quæſo advolaverint verba ſingulis momentis ad incurſum adverſarii neceſſaria.

XVI. Equidem video, quid in Scholis ſuis præſtent Catholici; nec immemor ſum meæ educationis, cum B. Parens meus domeſticam ſuam Scholam ſic ordinaret, ut ſi excipias

pias dies festos, ne syllaba quidem vernacula exaudiretur; eoque adeo multum adhuc puerulus quarto jam quintove ætatis anno, aliqua ex usu balbutire inciperem, quæ tamen ad ulteriores progressus singulare adjumentum loquelæ expeditioris præstabant. Sed cur imitari in hoc Scholæ statu rem maximè salutarem non licet, impedimenta obstant fere invicta.

XVII. Etenim hæc cura pertinet ad eos, qui præficiuntur primæ puerorum ætati, non ad mei similes, qui fundamentis jam qualitercunque positis, saltem vocantur ad expoliendam structuram. Unde si annum quis habeat decimum & sextum, cujus generis Auditores communiter meam curam ingrediuntur, an isti facile induratum vernaculæ usum deponent? an sufficiet Corycæus annotandis garrulis? an consentient Parentes, quorum filii post silentia Sholastica domi confabulationibus familiarum miscentur? Quid? nonne tacebunt potius, si nec integrum sit loqui germanice, nec sine metu festinare debeant latina.

XIIX. Sanè medelam aliqui jam afferre voluerunt, nescio, an malo dederunt augmentum, qui Disciplinas stylo Germanico posse

con-

concipi vel crediderunt, vel etiam tentare sunt ausi. Nam isti tum opinionis suæ plures agnoscerent defensores, si vel in sola Germania curiosam eruditionem possideremus, vel omnes Eruditi sic in nostram linguam consentirent, ut olim hæc felicitas contigit Philosophis in Græcia viventibus. Nunc profecto qui suas inventiones conferre nequit exteris, vel ut solus sapiat, vel ut secum suaviter insaniat necesse est.

XIX. Provocant aliqui ad Votum Obedientiæ, quod sicut olim & hodie in Monasteriis, ita credunt in Scholis abrogari non debere. Sed profecto efficere possumus severa disciplina, ne quis loquatur Germanicè: an autem rupto silentio quis familiares sermones habeat Latinè, nec taceat potius, id in nostra potestate non est. Præsertim apud eos, qui ludibrium metuunt, & difficultatem.

XX. Alii suasores existunt, ut ipsi discentes factâ societate necessarium Latinæ Linguæ usum paciscantur, multamque pecuniariam secus facientibus injungant: Nec omnino res videtur incommoda, siquidem obedientia semper videtur esse promptior, quæ procedit à libero velut arbitrio, quam quæ redolet superioris coactionem. At enimvero in paucas septi-

ſeptimanas plerumq; voluntarius hic fervor extenditur. Sive enim aliquos pauperiores deterret repetita mulcta, ſive ditiores contemnunt, hanc pecuniolã, ſive in certis caſibus omnium conſenſu relaxantur Leges, ſive ob ſingulorum libertatem res tandem degenerat in rixas & pugnas: levis in fine deprehenditur utilitas.

XXI. Quamobrem id ago quam diligentiſſimè, ut Informatio mea perpetuum ſit examen, unusque adeo poſt alterum provocatus jubeatur repetere, quæ fuerint à me dicta, ſubſtitutis ſubinde novis exemplis, quæ Regulam ſemel declaratam denuo illuſtrent. Sic ad minimium eam materiam ſibi reddunt familiarem, quæ ſolet occurrere in diſputationibus: quicquid interim ſit de Latinitate culinari, cujus voces minori detrimento abſunt ab homine ſtudiis principalibus dedito.

XXII. Deinde à provectioribus rogo, interdum poſtulato ſpecimine exigo, ut poſtquam audiverint unius vel alterius Lectionis explicationem, domi deſtinent horam, repetitioni ſuſcipiendæ commodam: ubi velut aliquos nacti Auditores apud ſe diſſerant; nec deterreantur ſtatim, quoties dictionem interrumpit vel hæſitatio vel ignorantia: cum certè uſus aliquot menſiũ introducturus ſit agilitatem jucundiorem.

XXIII. Præſertim quoties aggredienda videtur publica diſputatio, id Reſpondens ſui putet officii, ut quamlibet Theſin prolixo diſcurſu illuſtrare, adductis exemplis deducere, & genuinum ejus Senſum Auditori, ſubitaneo diſcurſu exponere valeat. Nam ſi nulla datur Objectio, quæ Theſin non feriat, vel jam habebimus præconceptam loquendi materiam vel ſi difficultas ſupra captum ſit, explicabimus Theſin, ne Auditores, & qui maximum plerumque numerum faciunt, imperitiores, nos nihil reſpondiſſe arbitrentur.

XXIV. Quo ipſo tamen illis nolim patrocinari, qui conquiſitis formulis, quæ faciunt ad Theſium illuſtrationem, ſatis eſſe putant easdem decantare, quicquid interim ſibi velit Opponens. Nam adminicula inferiorum, inſervire nunquam debent abuſui provectiorum, &, præfiſcini, ſuperiorum.

XXV. Dabo exemplum hujus diſputationis, quale quidem meis auribus olim fere ſecundum ſingula artificia fuit exceptum.

1. Sit Theſis:

PAX CUM TURCIS EST SERVANDA.

OPP. *Qc. nocet Chriſtianis, non eſt ſervandum. Pax cum Turcis nocet &c. E.*

RESP.

RESP. Respondeo: Turcas simul esse homines, E. ipsis denegari non posse jura humanitatis: vel si turpe est servare pacem, turpius certè fuisset promittere.

OPP. *Quid negas aut quid concedis in meo argumento?*

RESP. Satis clarè dixi, Jus Naturæ cadere simul in Turcas, alioqui nec valeret emptio, venditio cum iis suscepta.

OPP. *Ita autem non respondetur ad meum argumentum. Aut enim evertatur Major vel Minor: aut ego non desinam provocare ad salvam meam Conclusionem.*

RESP. Thesis mea est firmissima: nisi quis dicere velit, Christianis licitum esse perjurium.

OPP. *Ego vero sic argumentor:*
Qc. nocet Christianis &c.

RESP. Nescis, quid contigerit fœdifragis Christianis ad Varnam?

OPP. *Quid ad me ista clades? Fac ut cladem sentiat mea Objectio, nisi mavis everti tuam Thesin.*

RESP. Quomodo everti posset? Nonne sic aperitur licentia ipsis Turcis, ut simul frangant Pacem?

OPP. *Quamdiu pugnamus Andabatarum more? Quæro ex te, Nonne Pax cum Turcis nocet Christiano orbi?*

RESP. Cogita saltem istud: Turcas suam Majestatem habere à Deo.

OPP. *An sic respondetur ad meam quæstionem?*

RESP. Ego defendo meam Thesin.

OPP. *Fac ut defendas ex Lege disputationis, & ut corruat vel recipiatur mea Objectio.*

RESP. Jam corruit totum Argumentum. Et addo etiam hoc, Turcas pacifico nostro animo invitatos, concipere posse desiderium Christianæ religionis.

OPP. *Præter mentem tuam respondes ad Objectionem: negas enim Minorem adducta scilicet utilitate, quam post se trahere queat pax. Sed argumentor ulterius:*

Bonum remotum incertum & per accidens non debet attendi, cum adest malum proximum certum & per se.

Sed speratum tuum bonum est remotum &c. E. Quid sentis de hoc Argumento?

RESP. Quid sentiam, ubi Thesis mea est clarissima?

OPP. *Sic non disputamus formaliter.*

RESP. Forma disputationis meæ est veritas. Quæro ex te, an peccatum est, pacem servare cum Catholicis?

OPP. *Ego sum Opponens, meum est quærere, tuum, quæstiones resolvere.*

RESP. Sic respondeo: Tu dic saltem, an pacem cum Catholicis pronuncies injustam?

OPP. *Quid si pacem hanc crediderim esse justam? an sic vel mica decedet Objectioni meæ?*

RESP. Provoco ad universum auditorium, an aliquis malit perpetuum bellum, quam pacem ex jure fortassis iniquam & dubiam.

OPP. *Nesciebam ideo Respondentem prodiisse, ut testaretur, quibus argutandi formulis defenderet Thesin suam: ignosces igitur, me ignorantia invincibili constrictum, toties provocasse ad receptas disputantium regulas.*

XXVI. Deduxi hæc latius, ne quis respondendi hunc modum à me prætermissum, vel provectioribus nunc commendatum putet. Interim ordo nos vocat, ut dispiciamus de artificio inveniendarum Objectionum.

CAPUT III.

De Modo Opponendi s. formandi Objectiones.

I.

OBjectio est Syllogismus, cujus Conclusio vel expresse, vel implicitè & per Consequentiam continet Theseos propositæ Contradictoriam.

†1. Expressa contradictio talis est. e.g. Si Thesin Respondens proponat: ALIQUOD BELLUM

EST JUSTUM, & Opponentis hæc succedat Argumentatio:

Qc. convellit humanam Societatem, id non est justum.
O. Bellum convellit humanam Societatem, E.
N. Bellum est justum.

† 2. Ad expressam referri etiam potest hæc:
Ex quo sequitur vitia esse justa, id est absurdum:
Sed ex hac Thesi, quæ bellum dicit justum, simul sequitur vitia, quæ bellum necessario comitantur, esse justa. E.
Hæc Thesis est absurda.
Nam facillimè fieri potest hæc Reductio:
Qc. habet vitia necessaria, id non est justum.
O. Bellum habet vitia necessaria. E.
N. Bellum est justum.

† 3. Implicita Contradictio est hæc:
Ubi dominantur vis & rapina, ibi silent leges.
In bellis dominantur &c. E.
Silent Leges.

Licet enim in Thesi nihil expressum sit de Silentio Legum, ut adeo manifestam Contradictionem nemo agnoscat: tamen facillima est Consequentia: *In quocunque Statu silent Leges, eum non esse justum:* siquidem justitiam constituit Legum observantia.

II. Quæritur nunc, quo artificio eruendæ sint Objectiones? nam si quis dicat, *unicum Stultum plura quærere posse, quàm à decem Sapientibus responderi queat*, & ideo facili-

orem

orem esse opponendi quàm respondendi provinciam: is equidem nos habiturus est consentientes, si quaslibet stultorum nugas referre licet ad Palæstram Scientiæ. Interim si cum ratione dubitandum est, minor profecto Respondentis fuerit labor, quippe qui Thesin posuit fundamenti loco, quàm Opponentis, qui velut aranea, ex seipso ducere jubetur contrariæ opinionis argumenta.

III. Sit igitur prima cautio, *ut Objectio sit contra Thesin*, & ita quidem, *ut ejusdem habeat contradictoriam.* Si enim quis nondum cognovit, quàm absurdè negligatur hæc regula; forte in promptu erit exemplum.

Demus Thesin:

POLITICUS DEBET ESSE ORATOR.

Demus vicissim Opponentem, qui legerit discursum, *de Grammaticâ Politicis non admodum utili*, adeoque velit eadem Argumenta nunc jactitare: tunc certè enasceretur elegantissima hæc disputatio.

OPP. *Sine quocunque absolvi potest Prudentia, id non requiritur à Politico.*
Atqui sine Grammatica &c. E.

RESP. Contra quam Thesin dirigitur hoc Argumentum?

OPP. *Contra vestram Disputationem.*

RESP. Neque tamen Grammaticæ facimus mentionem. Et ſanè Diſputationem tangere non poteſt, qui nullam deſignat Theſin, quæ tangitur.

OPP. *Nonne dicitis Politicum eſſe debere Oratorem?*

RESP. Non diffitemur: ſed quid inde?

OPP. *Sic repeto Argumentum modo prolatum: Sine quocunque &c.*

RESP. Sic repeto Poſtulatum meum, ut deſignetur Theſis, quam feriat hæc Contradictio.

OPP. *Cogita ſaltem, quot vixerint homines, in ornanda Rep. clariſſimi: quos ſi miſiſſes ad Examina Grammaticorum, forte collocandos judicaſſes ad infima tyronum ſubſellia.*

RESP. De iſtis cogitabo, cum fuerit otium. Nunc doleo excogitare me nondum poſſe, quorſum ſpectet hoc Argumentum.

OPP. *Miror à me poſtulari probationem ulteriorem. An rebus domeſticis non ſufficit, qui negligit voces exoticas.*

RESP. Concedo totum Argumentum ſalva Theſi.

OPP. *Neceſſe eſt, ut alter alterum intelligat. Quamobrem clarius ita argumentor:*

Qc. imperat Ineruditis, is non opus habet Grammaticâ.

Politicus imperat &c. E.

RESP. Et hic concedo totum Argumentum. Quis enim talia vocavit in controverſiam?

OPP.

OPP. *Probabo Minorem, ut tanto illustrior evadat Argumenti efficacia.*

RESP. Intempestiva hæc est liberalitas, quamdiu contemnitur mea Thesis.

OPP. *An igitur Grammaticam Politico credis necessariam?*

RESP. Quasi vero hæc quæstio pertineat ad hanc cathedram. Nam me nescias, disputamus de Oratoria, non de Grammaticâ.

OPP. *Integrum tamen fuerit exercitii gratia quæstionem hanc movere.*

RESP. Si materia id postulet, vel si consentiat Respondens: mihi vero constitutum non est, transgredi Thesium limites.

OPP. *Credo hoc non injucundum fore Auditoribus.*

RESP. Non deerit jucunditas in ipsis Thesibus.

OPP. *Ergo progredimur ad alia.*

IV. Quia tamen Omnis Contradictio non statim est vera, cum aliqua inter se pugnent apparenter, Pulchrum est *formare Statum Controversiæ*, in quo sensu Thesis ventilari, & quid potissimum ex eâ vocari debeat indubium.

† Hoc etiam adjuvat disputantis eloquentiam, ne planè jejunus vel imparatus accedat ad solennem hunc discursum, e.g. Si repetamus Thesin superiorem, quæ statuit, *Politicum esse debere Oratorem.* Aliter atque aliter accipi potest POLITICUS, in diverso etiam sensu valere

poteſt ORATOR. Quamobrem variis modis formari poteſt Status Controverſiæ.

1. Video à Politico requiri Oratoriam; cum itaque Oratoria ſine dubio ſic à vobis accipitur, ut Diſciplinam deſignet in Scholis tractatam, Scholaſticis difficultatibus undique cinctam, ſic libet argumentari:

Qc. hominem avocat à Praxi, id non eſt requirendum à Politico.

Atqui Oratoria &c. E.

2. Accingo me ad Theſin, quæ Politicum eſſe vult Oratorem: ubi ſanè crediderim non intelligi Oratoriam, quæ viget in declamationibus Scholaſticis, ſed eam potius, quam Oratores dicunt Heroicam, & quam in adlocutionibus ſolennioribus ſæpe fuiſſe neceſſariam cognoſcimus. Sed cum iſta etiam facultas, ſaltem per accidens requiratur â Politico, cujus officium principale eſt conſultare, quæ ſint commoda Reip. ſic argumentor:

Cujus requiſitum præcipuum eſt Prudentia, ab eo neceſſario non requiritur Eloquentia.

Sed Politici requiſitum præcipuum &c. E.

3. Formari Status Controverſiæ poteſt per Quæſtionem. Video hic agi de Politico: cum autem ea vox deſignare poſſit hominem ſtudiis Politicis deditum, deinde hominem negotiis Reip. causâ ſuſceptis occupatum; quæro ex Reſpondente, in quo ſenſu Theſin velit intelligi?

V. Cum

V. Cum itaque Conclusio Opponentis Contradictoriam Theseos exhibet, Officium ejus fuerit *Invenire Medium Terminum, quo probetur contradictoriæ hæc Antithesis.*

VI. Sed cavendum, *ne Medius Terminus nimium sit remotus & generalis, ut ejusdem* connexio non nisi per varias probationes seu per Prosyllogismos, cum tædio Respondentis & Auditorii demonstrari queat.

† Retineamus Thesin de Politico, an debeat esse Orator. Cui sanè sic contradiceret ineptus Opponens:

Ubicunque Subjectum & Prædicatum se mutuo excludunt, ibi Thesis est absurda.

Atqui hic id contingit. E.

Nam in summa assertionis generalitate, necessario peteretur probatio Minoris: quæ itidem daretur ineptè.

Ubicunq; Orator prædicatur de Politico, ibi Subjectum & Prædicatum se mutuo excludunt.

Atqui in hac Thesi &c. E.

Sic iterum postularetur probatio Majoris: quæ fortasse ne sic quidem responderet expectationi.

Ubi de Politico prædicatur destructivum Politici, ibi Subjectum & Prædicatum se mutuo excludunt.

Atqui hoc loco &c. E.

Nam nova opus esset Minoris Probatione.

Quam-

Quamobrem relinquendus hic lusus aliis, qui repetitis Syllogismis volunt videri aliquid dixisse, & Instantiis Instantias cumulasse. Certè quem accuratior delectat concertatio, contractis in compendium Syllogismis ita fuisset dicturus:

Qc. impedit actiones, destruit Politicum.
Disciplina Oratoria &c. E.

† Ad hanc classem referuntur omnes, qui Syllogismos crepare non possunt, qui Majorem adeo generalem non habeant: *Qc. Definitio non reciprocatur cum Definito, illa est vitiosa. Qc. Divisio non est adæquata Diviso, illa est illegitima &c.* Cum enim videant necessariã fore Minoris probationẽ, satis profecto esset, eam probationem statim allegare in vicẽ Medii Termini.

VII. Fontes Mediorum colligi possunt ex iis, quæ supra dicta sunt de Exercitiis Topicis *p. 306. seqq.* Sed hic sciendum, Modos inveniendi vel esse *Ordinarios* & faciliores, vel *Extraordinarios* & abstrusiores.

IIX. Qui Modum sectatur ordinarium, *primo explorat Thesin Adversarii*, an firmis argumentis ea probari, & in quantum probationibus istis occurri possit: *deinde expendit Thesin Contradictoriam*, an, & ex quo Loco peti queat ejusdem Confirmatio.

Do Exemplum. Quod si proponatur Thesis: *Summum Bonum consistit in bona Conscientia.*

Primo

Primo cogitatur, in quantum hæc Thesis sit vera, & quomodo responderi debeat Argumentis.

1. *Nam habet requisita Summi Boni.* R. Conscientia in sensu Composito, quatenus simul includit Virtutem, habet ista Requisita, non in sensu Diviso, quatenus a Virtute, tanquam ejus Consequens separatur.

2. *Nam Conscientia est id, in quo Virtus acquiescit.* R. non ut in fine & scopo, sed ut in termino seu Consequente.

3. *Nam Virtus est medium perveniendi ad Conscientiam.* R. Negatur, quippe Conscientiæ causâ Virtus non est bona, sed vicissim Virtutis causâ bonam judicamus Conscientiam.

Equidem talia qui secum perpendit, nondum ad Objectiones sese præparavit formaliter; interim effecit, ut res sibi evaderet notior, sermonesque de re notiori postmodum redderentur expeditiores. Siquidem de ignoto nulla facundia.

Itaque succedat judicium Antitheseos: *Summum Bonum non consistit in Conscientia.* In quantum ea confirmari possit per Medium Terminum.

Spectatur autem Definitio Subjecti, an stare possit cum hoc Prædicato, & Definitio Prædicati, an stare possit cum hoc Subjecto.

Definitio Bonæ Conscientiæ est *Lætitia ob præsentem felicitatem.* Unde statim enascitur Objectio:

Læti-

Lætitia de felicitate non est ipsa felicitas seu S. B. Atqui Conscientia est &c. E.

Definitio Summi Boni est *Operatio rei perfectissimæ.* Jam enascitur hoc Dubium:

Qc. consistit in statu seu quiete, non est S. B. Conscientia consistit &c. E.

IX. Modus Extraordinarius ad Historiam Philosophicam excurrit: *num ad hæresin seu novitatem aliquam Thesis inclinet? num periculosum sit talia doceri vel defendi? &c.*

Si quis Thesin hanc de Bona Conscientia perpendit accuratius, facile deprehendit, natam eam esse in Schola Epicuri, cujus hoc fuit Principium: *Summum Bonum consistere in voluptate.* Quamobrem si disputare adversus eundem velim efficaciter, necesse est scire, quibus fundamentis innitatur Epicurus, quod *ex Philosophia Epicurea Gassendi, ex Officiis Scharockii* & aliis peti potest, quàm commodissimè.

X. Ex his verò patet *Objectionem formari non posse, nisi materia probè sit nota.* Adeoque singulos, qui velut naturæ suæ inclementiam accusaturi, omnem refugiunt disputandi occasionem, remitto ad exempla facillima, quæ ventilari etiam possunt inter plebejos: ut si probandis iis sufficere ingenium sentiant, obscuritatem agnoscant facilè corrigendam.

† Ridiculum fere est quod ago: sed rideatur per me, si non fallit eventus. Quamobrem antequam

quam Auditor admittatur ad quæstiones serias, suscipiantur Controversiæ Opificibus etiam notæ.

e. g. Pono thesin: *Calamus, quo hæc scribo, valet octo grossos.*

An difficile foret vel tyroni, allegare rationem contrariam? nonne statim diceret? *Qua pecunia, redimi potest totus Anser, ea non constabit calamus, velut minutissima ejus particula*

Si respondeam, non esse mihi sermonem de calamo naturaliter, sed artificialiter considerato, quatenus temperaturam nactus est planè extraordinariam: nonne iterum suppeteret ratio? *Artificium non esse tanti, quod vel momento temporis absolvi, vel à quovis puero præstari queat.*

Si denuo limitem: Calamum non esse temperatum modo vulgari, inde caritatem venisse à raritate. Non deforet Instantia: *adesse effectum planè vulgarem, Ergo etiam adesse suspicionem artificii vulgaris.*

Do aliud exemplum. Si Filius Parenti redditurus rationem sumptuum Academicorum, *nominet decem taleros insumptos Atramento*, an opus esset magna Eruditione, ut succurreret hæc Objectio:

Qui Atramentarium satis amplum replere potest sumtu dimidii grossi, is per annum in solam hanc mercem erogare nequit decem taleros.

Si limitet alter Prædicatum Majoris: *Nisi continua scriptio sæpius evacuet Atramentaria.*

Aderit

Adderit Inſtantia: *Atramentarium ſemel plenum vel decem Scribis ſufficere in ſeptimanam.*

Si denuo limitetur: *niſi vel inareſcat humor, vel ſitu corrumpatur nigredo.*

Salva tamen Inſtantia: *de aridis atramentariis conqueri ſaltem eos, qui ad ſcribendum ſingulis tantum Noviluniis accedunt &c.*

XI. Sanè ex his colligitur, quod ſupra dictum eſt, antequam cogitetur de probatione Theſeos contradictoriæ, cogitandum prius eſſe de ſenſu Theſeos propoſitæ, ut inde in materia ſatis cognita, facilior dubitandi opera ſentiatur.

XII. Sed incidit dubium, cujus deciſio ad rem præſentem pertinet. Diximus, in proponendis Objectionibus ſimul cogitandum de Probatione, cum apud JCtos, *Actore non probante abſolvatur Reus*, & apud Diſputatores *Opponente non probante abſolvatur Reſpondens.* Interim dari poteſt caſus, ut Opponens habeat Propoſitionem negativam: inde, ſi verum eſt, *non Entis nullas eſſe Affectiones*, verum quoque erit, *probationem h.e. demonſtrationem Affectionis per Cauſam, ibi locum non invenire, ubi nec Affectio nec Cauſa exiſtit.*

XIII. Sanè quam diu Opponens puram habet negationem, ad Reſpondentem recidit onus probandi, quicquid ineptiant Sophiſtæ, qui-

quibus nugari & diſputare pari paſſu ambulant. Nam Finis Diſputationis eſt Veritas: Et quæcunque via propior eſt ad Veritatem, ea profecto ſimul futura eſt optima in diſputando. Jam certum eſt, facilius à Reſpondente, quam ab Opponente præſtari poſſe probationem, imo dari caſum, ubi probatio Opponenti plane ſit impoſſibilis.

e. g. Si quis theſin ſtatuat, *Fures à ſuſpendio eſſe liberandos*, Opponens vero ſic argumentetur:

Qc. in nulla Rep. receptum eſt, id non eſt ſtatuendum.

Libertas Furum à ſuſpendio in nulla Rep. recepta eſt. E.

Quo Fine Reſpondens peteret probationem minoris? nam ſatis foret Opponenti dicere, nunquam ſe reperiſſe Gentem, quæ conſenſiſſet in Legem contrariam. Ergo dubitationis compendium faceret Reſpondens, ſi Gentem aliquam, velut Judaicam allegaret, eoque Minoris univerſalem veritatem everteret. Si enim Opponens facta inductione, vel aliquos Gentium allegaſſet millenarios, qui ſuſpendia comprobaſſent, poteſt tamen vel unum exemplum omitti, cujus obſervantia valet in contrarium.

XIV. Video cur aliqui decipiantur. Datur enim negatio, quæ non eſt pura, ſed quæ tacitam includit affirmationem: quo tandem

caſu, negans non *adigitur ad probationem negationis, ſed deliteſcentis in Aſſertione Affirmationis.*

†. 1. JCti rem accuratè exponunt, quoties applicanda venit quæſtio *de Actionibus Negatoriis:* ſed eſt etiam è re Logica, ſenſum Diſtinctionis intelligere.

† 2. Quamobrem ſic dicimus: Ut ſupra *pag. 52.* dedimus Enunciationes Exponibiles, quæ in ſpeciem Affirmantes, virtualiter ſunt negativæ; ſic viciſſim ſunt Exponibiles diverſi generis, dum aperte negant, implicitè fovent Affirmationem.

† 3. e.g. Si quis adverſus Præceptores, qui Scholam adeo volunt eſſe Poëticam, ut Cornelii Nepotis hiſtorias, & neſcio quas Diſputationes redigere jubeant in Carmina, pene dixiſſem Crimina, ſic diſputaret: *Poëſin non ſufficere Eruditioni;* Aperta ſane eſt negatio: ſed quia vocabulum *ſufficit* in ſe excluſivum eſt; proniorem veritatis viam habebit opponens, *ſi nominet eas diſciplinas, quæ ſimul conſtituant Eruditionem.*

† 4. Ita ſi quis dicat, *Magiſtratum oppidanum non habere plenam Jurisdictionem*, Affirmanti non incumbet probatio, qui pugnat pro plenitudine, ſed neganti, penes quem eſt ſenſus hic implicitus, *Alius præter hunc Magiſtratum quoque habet Jurisdictionem.*

† 5. Ita ſi Philoſophus judicet de termino Logico vel Metaphyſico, quem in ſenſu minus recepto adhibuiſſet vel Theologus vel JCtus, adeoque

Oppo-

Opponens insurgeret, *Philosopho non competere Jus decidendi vocum controversias:* equidem haberet Respondens argumenta satis clara, quibus suam vel Philosophorum jurisdictionem defenderet: quia tamen Adversarius quasi geminam habet thesin: *1. Philosophis hoc non competit. 2. Alii sunt, quibus hoc competit.* Adigi Opponens debet ad probationem. Nec adeo rarum est quærere h. m. *Si Philosophi hoc non faciunt, nomina alios, quibus hoc competat?*

XV. Deinde datur Negatio, cujus absurditas demonstrari potest ab aliqua ratione, quod etiam JCti vocant *dare negationis rationem.* Ipsum Fundamentum jam expenditur in Topicis, e.g. cum dicitur *Negata Causa negari Effectum,* quid aliud innuitur, quam Conclusionem negativam posse probari. *Nemo cantavit, quia non adfuerunt Cantores.* Ita & ex aliorum Canonum fundamento dixeris: *Non est marmor, quia non est durum. Vestis non est empta centum taleris, alioqui non posset comparari à te, qui es pauper. Non potest distribuere S. Eucharistiam, quia non est ordinatus.*

XVI. Ex his ita concluditur. *Quandocunque Negatio concernit nudum factum, probatio incumbit Affirmanti: sed quando concernit rem à ratione judicandam, velut Causam, Effectum, Adjunctum, Consequens &c. tunc Opponenti competit Probatio.*

† Sic si quis neget, Constantinopoli esse Christianos, stultum esset petere probationem, cum alter nominato vel uno Christiano falsitatem theseos demonstrasset. Sed si quis diceret, Christianos Constantinopoli habitantes non esse orthodoxos, negans allata ratione, quem videlicet articulum habeant corruptum, ostendere posset theseos firmitatem.

† In quibusdam factis requiri potest ratio dubitandi, cur quis ad negandi audaciam processerit: sed cum ea ratio â circumstantiis Causarum, Adjunctorum, Consequentium, aliorum factorum &c. petatur, nihil novi dictum videtur.

XVII. Fortasse non fuerit incommodum subnectere Praxin, quatenus ad diversas theses applicari debet accuratum dubitandi artificium. Ubi saltim præmisero hanc protestationem, non potuisse me Objectiones formare, nisi absurdas: siquidem inter Contradictorias altera necessario falsa est. Interim viderit cordatus Lector, nullam me proposuisse Objectionem, quam corruptus hominum grex sæpe non judicet veram, adeoque ventilatione dignam.

I.

Utile est, Remp. habere Cives temperantes.

Considero 1. annon Contrarium Temperantiæ habeat utilitatem? ac ubi succurrit, è strenuis com-

compotationibus ſuſtentari Cereviſiæ viniquevenditores: jam enaſcitur argumentum:

Qc. impedit utilitatem, id non eſt utile.
Temperantia impedit, &c. E.

licet enim utilitas impediatur non vera, ſed apparens; habuit tamen Opponens, quod dubitaret.

2. Quæro quidnam dicatur utile: R. *quicquid Remp. vel novis bonis auget, vel acquiſita ejus bona defendit.* Mentio defenſionis efficit, ut cogitem de fortitudine, quam ſæpe videmus intenſiorem apud ebrios, quam apud ſobrios. Inde novum emergit dubium:

Qc. impedit Reip. defenſionem, id non eſt utile.
Temperantia &c.

3. Cogito porro de utilitate, quæ conſiſtit in augmento bonorum, & cum inter bona animi referatur etiam lætitia, ſuccurrit in comeſſationibus lætiores ſubinde Cives apparere, quam ubi ſitiendum eſt, & eſuriendum: ſic iterum in promptu eſſet dubitatio.

Qc. impedit Civium lætitiam, id non eſt utile.
Temperantia &c. E.

Fateor verſari me in Materia maximè abſurda: ſed tantò felicior futura eſt objectio adverſus Theſin dubiam & indifferentem, ſi dubitandi locus etiam relinquitur in Poſitionibus perquàm certiſſimis.

2.

Eruditio non nocet Reipublicæ.

1. Cogito naturam eruditionis, quæ consistit in libera rerum contemplatione, & in spontanea opinionum electione.

Cogito naturam Reip. quæ Ordinem continet Imperantium & Parentium. Cum itaque Libertas videatur resistere Legibus parendi, jam enascitur argumentum:

Qc. contrariatur Obedientiæ, id nocet Reip. Eruditio contrariatur &c. E.

2. Cogito quid significet *nocere?* h.e. vel minuere bonum præsens, vel adducere damnum. Jam subit animum, quantis sumptibus aliquorum redimatur eruditio, & quam vapulet Studiosi Patrimonium: nova igitur adest Objectio:

Qc. Cives reddit Pauperiores, id nocet Reip. Eruditio &c. E.

3. Novum damnum inde conjicitur, quod à studiis multi contraxerunt deteriorem Valetudinem: inde sequitur:

Qc. Civibus eripit commodam valetudinem, id nocet Reip.
Eruditio &c. E.

Iterum Objectiones sunt absurdissimæ: sed tamen, si accedat Opponens exercitatus, satis valent ad disputandum.

3. *Mu-*

3.

Musica decet Studiosum.

1. Quæro, quæ sit natura Musicæ? paratam esse ad excitandas hilaritates.

Deinde, quæ sit natura Studiosi? neglectis voluptatibus tractare seria. Sic ultro offertur argumentum:

Qc. turbat meditationes serias, id dedecet Studiosum.

Atqui Musica &c. E.

2. Quæro, quod Musicæ sit Subjectum ordinarium, seu cujus conditionis sint homines, quibus in Rep. committitur ejus cura? & cum pateat, esse Personas ad aliorum servitia destinatas, jam denuo dubitatur.

Qc. Animum liberum reddit servilem, id dedecet Studiosum.

Atqui Musica &c. E.

3. Quæro, quis sit finis Musicæ? *Delectare.* Quis finis Studiosi? *Prodesse*, jam sic ratiocinor:

Qc. alienum est à fine Studiosi, non decet Studiosum.

Atqui Musica &c. E.

4.

Exercitia Disputatoria sunt retinenda.

1. Quæro, quid retineri apud Studiosos Juvenes debeat? R. quicquid studiorum vel augmenta affert vel adminicula.

 Jam

Jam cogito, num Diſputationes ſint adminiculo vel Augmento, quia ſaltim aperiunt viam dubitandi? adeoque ſic argumentor:

Qc. Studioſos involvit dubiis, id non eſt retinendum.

Exercitia diſputatoria &c. E.

2. Quæro, quem effectum habeant Diſputationes? aut in pudorem conjiciuntur timidi, aut in iracundiam & vindictæ cupiditatem rapiuntur alii.

Qc. movet Affectus deteriores, illud non eſt retinendum.

Exercitia diſputatoria &c. E.

3. Quæro, quibus Adminiculis gaudeat diſputans? & deprehendo magis valere naturalem eloquentiam & judicii dexteritatem, quam eruditionis profunditatem, unde ſic dubitari poteſt:

Qc. non præbet ſpecimina Eruditionis, id inter Eruditos non eſt retinendum.

Exercitia diſputatoria &c. E.

XVIII. Plura Exempla relinquantur Præceptori. Et ſanè alias communiſſima hæc eſt via, perluſtratis Auctoribus, qui forte contrariam fovent opinionem, excerpere dubitandi fundamenta: ſed periculoſum hoc ſæpe eſt tyronibus, qui non perpenſis Sectis & hypotheſibus, dubia ſic eruunt, ut quid ſibi velint, plerumque neſciant. Cum vice verſâ quicquid procedit à propriis meditationibus, & probationes & inſtantias ſuppeditet multum faciliores.

CAPUT IV.

De Ordine Integrarum Disputationum.

I.

SI quis in formandis dubiis, ac præcipuè in modo respondendi jam fuerit exercitatus, occasio postulat progressum ad integræ Disputationis artificium.

II. Et verò sic observamus Ordinem, ut primo Respondens seu Præses (unam enim personam isti repræsentant) invitet Opponentem: hic Statum Controversiæ formet, distinctumque argumentum adversus certam thesin dirigat; Respondens dubiæ Propositionis petat probationem, eandemque nactus vel limitando, vel negando, vel alia via nodum resolvat.

III. Quæ quidem singula, quomodo tractari erudite possint, superioribus Capitibus fuit ostensum. Ast turpe est ad primum Respondentis ictum torpere Opponentem, ut proinde novas iterum instantias in promptu habere debeat, qui ausus est pugnam aggredi.

IV. Neque valet cœco impetu nugas deblaterare; quin potius, sicut prior Objectio accu-

curatam theſeos Contradictionem involvebat, nunc Reſpondentis Aſſertio quaſi nova theſis facta, novam contradicendi occaſionem ſuppeditat.

V. Ut res è fundamento pateat, reſpiciamus *ad pag. 462.* ubi triplex Reſpondentis officium deſcribebatur *1. ut explicaret Diſtinctionem. 2. ut eandem applicaret. 3. ut applicationis rationem adjungeret.* Nam integrum nunc fuerit, aut rejicere diſtinctionem, aut applicationem, aut ejus rationem.

e.g. ſi quis in theſi dixerit: *Muſicam Studioſo eſſe utilem*, Adverſarius autem ſic objecerit:

Qc. impedit ſtudia, id Studioſo non eſt utile.
Muſica id facit E.

Reſpondens porro diſtinguat inter impedimenta *recreantia & avocantia*, adeoque ſic limitet:

Qc. habet impedimenta avocantia, id non eſt utile &c.

Sic concidit Minor: nam Muſica ſaltem recreat.

Tum prima Inſtantia adverſus Diſtinctionem dirigi poteſt, ut theſis eſſe videatur, *O. Impedimentum eſt avocans.*

Qc. ſurripit ſtudendi occaſionem, eſt impedimentum avocans.
O. Impedimentum &c. E.

Alia Inſtantia dirigeretur ad Applicationem ſ. ipſam Limitationem, ut Theſis evadat: *Qc habet impedimenta recreantia, id ſtudiis non eſt utile.*

Qc.

Qc. commendat Voluptates, id studiis non est utile
Omnia impedimenta recreantia &c. E.

Tertii generis Instantia dirigetur ad rationem, qua Minor dicitur concidere, ut Thesis emergat:
Musica habet impedimenta avocantia.
Qc. colligit varias sodalitates, id habet impedimenta avocantia.
Musica colligit &c. E.

VI. Aliqui continuis superbiunt Syllogismis, omnesque Instantias proferre conantur formaliter: quia tamen evitandum inprimis est Auditorii fastidium, sufficit regerere materialiter h. e. afferre medios terminos seu rationes, unde statim construi posset Syllogismus formalis, si per occasionem ea prolixitas suaderetur.

VII. Dabo novum Exemplum, quod Praxin ipsam contineat. Nam ventiletur Thesis Politicorum vexatissima.

Subjectum Majestatis in Monarchia est Princeps.

Quod si jam opponens Principiis Monarchomachorum nixus ita objiciat:
Qc. potestas est Civitatis, ejus Subjectum est Civitas.
Atqui Majestas est Civitatis E.
Ejus Subjectum est Civitas, & per consequens non est Princeps.

Re-

Respondens sine dubio arripiet distinctionem, *Subjecti communis & Proprii*, quam explicuimus *pag. 114* adeoque limitabit:

Qc. potestas est Civitatis in sensu proprio &c.

Sic concidit Minor: quoniam Majestas de civitate prædicatur in Sensu *communi*, quatenus ea simul Principem includit.

Nunc opus est Instantiâ. Quamobrem Opponens ex Assertione Respondentis varia potest arripere, ut impugnet vel ipsam Distinctionem, vel ejus applicationem. Unde velut novas Theses habet:

1. *Subjectum vel est Commune vel Proprium.*
2. *Respublica habet Majestatem ut Subjectum Commune.*
3. *Resp. quatenus â Principe dividitur, non habet Majestatem.*

Nunc eligat aliquam pro libitu, quæ vocari possit in dubium. e.g. si placeat tertia thesis, cogitetur, quam sit absurdum, omnes Cives privare Libertate, & meros facere Servos. Inde jam suppetit argumentum:

Ex quo sequitur, Cives meros esse Servos, id est absurdum.

Atqui ex hac assertione hoc sequitur E.

Probatur Minor: quia Majestas & Libertas sunt Synonyma: adeoque vicissim absentia Majestatis & servitus pari passu ambulabunt.

NB. Poterat etiam citra formam Syllogisticam sic dici: *Limitas Majorem* &c. *sed inde sequeretur hac absurditas &c.*

Jam

Jam Respondens agnoscens pristinum suum officium, meminit in Politicis distingui Libertatem *Civilem*, quæ jus habet dirigendi negotia publica & *personalem*, quæ cuivis Patri familias competit in negotiis privatis, adeoque limitat:

Unde sequitur, Cives meros esse Servos personaliter, id est absurdum.

Sic negatur Minor: cum saltim sequatur, *Cives esse Servos civiliter* h. e. obligatos esse ad recipiendam Voluntatem Principis, si aliqua statuat circa Remp.

Ex hac Assertione fluit nova thesis: *Cives sunt servi, seu carent libertate Civili.*

Hanc itaque denuo impugnandam suscipit Opponens, qui deprehendens, Cives Principi Majestatem concessisse, argumentatur:

Sed Cives Majestatem Principi conferunt, E. eandem habent.

Probatur exemplo Regni Electitii.

Respondens iterum limitat: *Qc. contulit Majestatem, is eandem vel habet, vel habuit.*

Opponens audiens Cives habuisse Majestatem, instat eosdem adhuc habere potestatem hanc, quippe *quod Principes saltim sint Majestatis Administratores.*

Respondens memor à Politicis agnosci concessionem *abdicativam*, cum quis rem concessam planè amittit, & *cumulativam*, cum quis rei concessæ aliquod arbitrium sibi reservat; negat Assertum, *quippe quod valeat in concessione cumulativâ, non in abdicativâ, qualis est Principum.*

Et

Et ita continuari poſſet diſcurſus per iteratas Inſtantias, niſi jam pauca hæc ſufficerent.

VIII. Optimum eſt aggredi Exercitia, quorum prima ſemper Virtus AUDERE ALIQUID. Et tanto quidem facilior iſta fuerit Audacia, quo ſæpius audire licet diſputantes. Ut adeo promptiſſimam occaſionem habeat Studioſus Academicus, qui niſi frequentiſſimo ſuo acceſſu calefaciat Auditoria diſputatoria, dignus eſt, ut frigidam experiatur fortunam. Præſertim hoc loco diſſimulare non poſſum laudatiſſimam Lipſienſium Conſuetudinem, qui inter Philoſophos opponendi provinciam non concedunt, niſi Doctoribus, Profeſſoribus & Magiſtris, quorum exemplo tyrones excitari, & ab omni contentionum nugacitate tanto citius avocari ſolent. Faxit Deus, ut inclyta hæc Academia, variis olim meritis in me prona, nec iſtam, nec aliam laudem decurſu temporis vel eripi, vel imminui patiatur, ſemperque excreſcant ingenia, illuſtrandis & provehendis ſtudiis deditiſſima.

IX. Quod ſi tamen quis extra Lucem Academicam jubeatur inchoare diſputatorias ejusmodi concertationes, conſultiſſimum fuerit Præceptori ſuppeditare Colloquia diſputantium, ut legere ad minimum

pos-

posſint, quod audire non licet. Et habebit Lector benevolus in fine hujus libri Apparatum non exiguum, unde profectibus ſuis conſulere queant Incipientes. Nunc enim, ne turbetur Ordo docendi, vix erat conſultum inſpergere prolixiora.

X. Unicum adjicere neceſſitas jubet. Deprehendi enim Viros alioqui doctiſſimos, & in re Oratoria exercitatiſſimos, nimium reformidare Cathedras diſputatorias, ut arare potius malint, quam diſputare. Nec illi ſaltem morbo hoc laborant, quibus per naturam tardior loquela contigit, ſed quos extemporalis etiam facundia reddidit celebriores. Nam ne deſit Exemplum, quis illuſtrior fuit Boxhornio? is tamen ad diſputandum adigi non potuit, niſi pollicerentur Opponentes, ſe tum à Syllogiſmis, tum à rigore formalium Reſponſionum, omnino velle abſtinere. Quid autem hoc aliud eſt, quàm more Puerorum timere Manducos? An quod interdum Sophiſtæ abutuntur his Inſtrumentis, uſum quis cum abuſu proſcripſerit? Sane in probando firmiorem aut circumſpectiorem Boxhornio vix videre memini: inde ſi poterat judicare quæſtionum ætiologias, cur difficile fuiſſet ordinare medios terminos. Iterum igitur iterumque dico, falſam eſſe opinionem

captam

captam à Sophiſtarum nugis, ſi quis credat diſputationibus habendis ineptum ſe eſſe, vel imparatum.

XI. Nam poſſunt agitari Controverſiæ, remotis Logicorum formalibus, cujus generis aliquam exhibeo.

I. Sit Theſis:

PRINCIPI, DUM JUBET INIQUA, NON EST OBEDIENDUM.

OPP. Dicitis obediendum non eſſe Principi, cum jubet iniqua: ſed quoniam neceſſarius eſt Judex, qui determinet juſſa, num ſint æqua nec ne; & tamen id judicium vix cadit in Subditos, multo minus in Principem, non video, quomodo ſalvari queat veſtra Aſſertio.

RESP. Sunt aliqua ſic iniqua, ut per dictamen rectæ rationis probari poſſint. e. g. ſi quis à Miniſtro vel adulterium, vel abnegationem fidei, vel Incantationes diabolicas exigat, an quis adeo foret à ratione alienus, quin judicare poſſit iniquitatem?

OPP. Sed dictamen rectæ rationis ſæpe obtenditur, cum dominatur ratio corrupta. Sic in quovis mandato, quod Subditis forte non eſſet ad palatum, valeret iniquitatis exceptio.

RESP.

RESP. Quaſi vero ad hanc exceptionem ſufficeret ſuſpicio nullis fundamentis innixa? Neceſſe eſt iniquitatem in mandato occurrere manifeſtiſſimam.

OPP. Quid ſi Miniſter alleget Conſcientiam dubiam? ut enim volunt Moraliſtæ, ſtante hoc dubio nihil eſt faciendum?

RESP. Sed Moraliſtarum quoque Canon eſt, in re dubia ſequendum eſſe, quod videtur probabilius. Inde quamdiu non conſtat, mandatum eſſe iniquum, tamdiu Principis intentio præſumitur legitima.

OPP. Poſſet tamen eſſe minus legitima.

RESP. Qui peccant ex ignorantia, quam dicimus invincibilem, verſantur extra culpam: ſed cavendum, ne quis foveat ignorantiam affectatam.

OPP. Interim remanet hoc, reſiſti poſſe in Mandatis apertè iniquis, & adeo porta recluditur ſeditionibus.

RESP. Quando dixi eſſe reſiſtendum? dixi, non eſſe obediendum, ita ut tolerentur quævis potius, quàm conſentiatur in actionem moraliter malam.

OPP. Neſcis fortè, Principes longis manibus inſtructos, vim habere cogendi.

RESP. Coactio hæc valet quidem in membris: ſicut robuſtior etiam nobis invitis dextram noſtram impingere poteſt alterius capiti; ſed non valet in voluntate, ut quis me

possit adigere, ut suscipiam actionem minus probatam.

OPP. Metus mortis alia suadet.

RESP. Id si fiat peccatum est: nam satius est mori innocentem, quam peccando æternæ mortis periculum incurrere.

OPP. Crediderim, Subditum h. l. considerari ut Instrumentum, ac proinde culpam, si qua extat, residere in Causa Principali.

RESP. Quicquid serra delinquit vel malleus, in eo culpa quærenda est penes Scriniarium s. Fabrum: at Minister est Instrumentum intelligens, ut prolabatur in Societatem culpæ.

OPP. Intellectus hic solamen accipit ab Obligatione: quo ipso enim recepit Ministri officium, simul pollicitus est, obedire singulis mandatis, & velut serram, moveri ad nutum Scriniarii.

RESP. Obligatio ad veneranda Dei præcepta prior est, ut minui nequeat obligatione posteriori.

OPP. Satis clara sunt, quæ dicis. Ut facile sim contentus solidissimâ Responsione.

XII. Interim nisi disputantes accuratissimo polleant judicio, facilis lapsus est in diverticula, quibus præcavendis inservit formalis Syllogismus & obligatio ad formalem respondendi usum. Nam certè si liberum est Respon-

ſpondenti pro lubitu aliquid diſſerere, nec adeſt Opponentis coactio; diſcurſus ut plurimum abeunt ad nudam theſeos probationem, cujus generis clariſſimum jam extat exemplum *pag. 482.*

Caput V.

De Eloquentia Diſputatoriâ.

I.

Eloquentia Diſputantium duplex eſt, vel *interna* vel *externa*. Interna ipſas quæſtiones earumque merita concernit, ac adeo verbis maximè propriis & perſpicuis abſolvitur. Externa politis formulis indulget, quæ in amica hac concertatione Adverſarium reddant de quavis officioſitate ſecurum.

II. Et jam in Oratore Politico aliquam dedimus operam, ut in Capite de Orationibus Studioſorum diſputandi hæc Comitas patefieret, non ſolum quod attinet Formulas invitatorias & diſceſſorias, quas Rhetoricæ novimus propiores, ſed etiam quod facit ad molliendam opponendi vel refutandi invidiam: cum interdum contingat Adverſarius patrocinio ac beneficio nobis devinctus, quem corrigere vel impugnare vix decet.

III. Monitos autem velim omnes, qui ad exercitia diſputatoria procedunt, abſtineant ab odioſis formulis, quæ cenſoriam licentiam nimis aperte & dictatoriè præ ſe ferunt. e. g. *Qc. Theſis hoc ſtatuit, illa eſt inepta, illa eſt abſurda; illa eſt erronea: hoc eſt falſiſſimum, hoc eſt contra omnem veritatem, vos erratis, vos committitis crimen falſi: Poteratis rem proponere clarius. Rectius feciſſetis, ſi adjecta ſimul fuiſſet mentio Synonymiæ &c.* & quos floſculos ruſtica hæc facundia ſibi habet familiariſſimos. Si enim vel maximè cordatior Adverſarius talia diſſimulet, non tamen deſunt Cenſores in obſervanda ruſticitate nimium curioſi.

IV. At Regulis concludi vix poteſt, quod ſolam & diffuſam ſapit Praxin. Ut igitur in proponendis Complimentis uſus fui Comœdia, meris colloquiis ad Civilitatem diſpoſitis plena; ſic etiam ſatis informati fuerint Lectores, ſi datis exemplis officium diſcant intelligere.

V. Sit igitur primum Exemplum, ubi Reſpondens inferior Nobiliorem habet Opponentem.

Theſis.

JOCANDI STUDIUM NON EST PROHIBITUM.

OPP. *Qc. à natura rationali eſt alienum, id debet prohiberi,*
Jocandi ſtudium &c. E.

Reſp.

RESP. Nobilissimus Dn. Opponens singularem suam benevolentiam tenuitati meæ demonstraturus, adversus thesin sic argumentatur;

Qc. à natura rationali &c.

Sed optarim ulterius illustrari sensum Minoris.

OPP. *Minor est manifesta: Natura enim rationalis sciendi habet appetitum, & proinde seriis delectatur, quæ quidem jocis è diametro sunt contraria.*

RESP. Omnia rectissime se habent, nec negaverim ideo homini datam rationem, ut rebus seriis incumbat: sed distingui fortassis poterit inter finem rationis h. e. scientiam seriam, & media, quibus acquiritur seriorum notitia. Cum autem joci sæpe ad docendum, sæpe ad monendum & corrigendum sint commodissimi, sic limitabitur argumentum:

Qc. à natura rationali tum respectu finis, tum respectu mediorum est alienum, id debet prohiberi.

Sic dubito Minorem fore firmam, siquidem jam declaratum est, jocorum in acquirendis scientiis aliquam spectari utilitatem.

OPP. *An autem Scientia, quæ bonum quid est, medium habere debet in se malum? Quis unquam probavit eos, qui faciunt mala, ut exinde eveniat bonum?*

RESP. Nobilissima Tua Amplitudo Thesin ita videtur accipere, quasi per nos indiscriminatim quodlibet jocandi studium probetur. Jam sicut rejicimus jocorum intempestivas & illicitas ineptias, ita vicissim non videmus, quomodo condemnari debeat Urbanitas licita.

OPP. *Ego sic argumentor: Qc. ex mente Apostoli Eph. V, 2. dedecet Christianos, id est illicitum. Omnis jocus, omnis Evtrapelia seu Urbanitas dedecet &c. E.*

RESP. Instat Tua Ampl. *Qc. ex mente &c.* nec opus videtur petere probationem aliquam, quippe jam locus Apostoli fuit nominatus, sed pace Tua, Vir Amplissime, liceat inspicere dictum ipsum, ubi particula QUÆ videtur habere sensum non relativum, sed specificativum seu distinctivum.

OPP. *Nondum capio distinctionem.*

RESP. Neque hic mandatis defuero. Si quis unicum haberet Equum nigri coloris, servumque juberet afferre Equum, qui est niger, sensus certè esset Relativus, ut integrum Subjectum sine aliqua disjunctione designaret: Si vero plures adessent Equi, tunc jussus afferre Equum, qui est niger, intelligeret particulam QUI specificare s. distinguere Equum desideratum à cæteris.

OPP. *Quid autem facient Equi tui nigri ad dictum Apostolicum?*

RESP.

RESP. Agnoſco imbecillitatem judicii, qui debebam exemplo luculentiori negotium illuſtrare: ſed ſpero tamen non defore ſatis commodam applicationem. Cum enim Apoſtolus Urbanitatem nominat, quæ Chriſtianos dedecet, eo ipſo videtur innuere velle, nomine hoc ſpecificativo non omnem Urbanitatem, & eam ſimul, quæ Chriſtianos decet, fuiſſe prohibitam.

OPP. *Inſpice textum, niſi adeſt ſenſus, ut tu loqueris, relativus, ego aut Græca non intelligo, aut velim eſſe Hæreticus.*

RESP. Si quid peccatum eſt præcipitanti animo, libenter accipio corrigentis benignitatem, tantoque magis gratulor, reddi me ſubinde doctiorem. Sed eſt adhuc, in quo ſalvari queat mea theſis. Nam Eutrapeliam forte accipit ex mente Ethnicorum, qui captationem riſus, adeoque inanes ineptias eo vocabulo deſignabant.

OPP. *Loquebatur de ſtudio jocandi.*

RESP. Sanè de Studio jocandi, quatenus captat riſum, ſed eſt aliud jocandi genus, quod captat audientis delectationem, & à Rhetoribus vocatur dictio amœna. Nam ut Apoſtolum liceat declarare per Apoſtolum, is capite antecedente prohibuerat verba, putrida ſ. ſcurrilia, requirebat interim verba, quæ darent gratiam audientibus.

OPP. *Consentirem, nisi Christus ad reddendam rationem singulos provocaret, qui vel unicum Verbum inutile protulissent.*

RESP. Nobilissima Tua Amplitudo, gravissimis armis debilitatem meam impugnatura, novum argumentum affert fundatum in effato Christi. Si tamen par est exponere animi sententiam, crediderim, quemlibet jocum ad Verba inutilia referri non posse.

OPP. *Inutile est, quo carere possumus, salvo nostro officio.*

RESP. Sed si utilitatem jocorum quis consideret, forte in omni statu vix possunt abesse: faciunt ad docendum, ut Præceptor facetiarum condimentis sæpe excitet Auditores, faciunt ad corrigendum, faciunt ad redarguendum, & quos fines alioquin hîc allegare solent Rhetores.

OPP. *Utinam hanc utilitatem agnosceret Judex, cui reddenda ratio.*

RESP. Agnoscet, ut speramus. Nam in fontibus vocatur verbum otiosum, quod nullum habet opus h. e. quod bono opere nec Deo, nec Proximo commendatur. Quod si igitur jocando alterum reddimus doctiorem vel meliorem: sicut Eliæ jocus adversus Baalitas multum contribuebat confirmandis in sua pietate Israelitis; omnino verba non fuerint otiosa.

OPP. *Exemplum Eliæ, jocum arguit licitum adver-*

sus

ſus Inimicum, qui jam videbatur dignus capitali ſupplicio. Quippe quem licet occidere, hunc utique licebit invadere ſcommatibus, ſed de cæteris jocis nullam agnoſco utilitatem.

RESP. Dignetur Nobiliſſimus Opponens haud gravatim reſpicere ad probationem meam, quæ aſſerebat jocando alios reddi meliores.

OPP. *Requiris à me novum argumentum:*
Qc. eſt cauſa diſcordiarum & exacerbationum, alios non reddit meliores.
Atqui joci ſunt cauſa &c. E.

RESP. Ulteriori beneficio ſervum ſuum obſtringit Nobiliſſima Tua Amplitudo: Sic enim illuſtranda materiæ pergit argumentari:
Qc. eſt cauſa &c.
Sed limito Minorem, jocis, cum diriguntur in præſentes, & præſertim in perſonas vel potentes, ut eorum timeatur ira, vel miſerabiles, ut aliorum nocere queat miſericordia, provocari exacerbationem: inde concedo, eos neminem reddere meliorem.

OPP. *Nomina mihi jocum non ſcurrilem, qui alios non exagitet?*

RESP. Exagitari poſſent abſentes, velut aliquæ Nationes impunè mutuis jocis ſe proſcindunt: ſed manebo in terminis, jocandi ſtudium à me accipi pro dictione non ludicra, ſed amœna, quæ quidem omnia ſic

profero, non ut Nobiliss. Dn. Opponens à me informari, quin potius ut respondendi qualiscunque promptitudo declarari debeat.

OPP. *Video te mansurum in possessione jocandi, ut loquar, Stylo Juridico.*

RESP. Repudiaverim theseos omnem firmitatem, simulque transierim ad ejus contradictoriam, si liceat perpetuam tanti Patroni gratiam possessionibus meis transscribere.

OPP. *Maneat penes te salva utriusque possessio. &c.*

VI. Major cura incumbit Opponenti, quoties in dubium revocari debent singula Respondentis Nobilioris placita. Nam sicubi instat Opponens præstantior, ipse velut ostendit velle se refutari: at similem voluntatem divinare non possumus in Altero. Interim extet Dialogus, ne imitaturo desit adminiculum.

Thesis est.

MAJESTAS A POLITICIS RECTE DIVIDITUR IN PARTES, QUÆ VOCANTUR REGALIA,

OPP. Quandoquidem sic visum est Nobilissimæ Tuæ Amplitudini, ut, quam parum valeat inexercitata mea dubitandi facultas, adversus eruditissimam hanc thesin experiar: spes etiam est, fore objectiunculas, si non tanto Adversario dignas, interim ex affectu, quem

quem mihi polliceor benevolentiſſimo, haud omnino ingratas. Ac adeo ſic argumentor:

Summum non poteſt dividi.

Majeſtas eſt Summa poteſtas. E. &c.

RESP. Grata erunt omnia, quæ profers adeoque hoc etiam argumentum: *Summum non poteſt &c.* Probetur Major.

OPP. Exigit Tua Nobilitas probationem Majoris. Sed hoc forte largietur quilibet: Ubi multa ſunt æqualia, ibi non eſſe Summum: quippe Superlativus intelligi nunquam poteſt in rigore debito, niſi concurrat ſenſus excluſivus.

RESP. Reſponſio eſt facilis. Summum non poteſt dividi in plura Summa Completa, bene tamen in plura Incompleta, videlicet ut Totum in ſuas partes.

OPP. Rectiſſimè reſponſum eſt: interim reſidet dubium, quod ſimul eximi cupiam à Nobiliſſima Tua Amplitudine. Nam quodlibet Regale vobis completum videtur in ſuo genere. Ergo ſi ex iis componitur Majeſtas, habebimus plura Summa & quidem completa.

RESP. Incompletum vocatur, quod per naturam ſuam ordinatur ad conſtituendam alicujus integritatem, ſi vel maximè in ſe videatur habere aliquid completi: ſicut manus quinque digitis & palma completur, & tamen

men in ordine ad corpus vocatur incompletum quid. Jam facilis eſt applicatio ad Majeſtatem.

OPP. Accipio informationem ſolidiſſimam. Aſt quia loquendi poteſtas mihi per benigniſſimam invitationem facta eſt, aliquanto penitius licebit ipſam hanc controverſiam inſpicere. Sic enim argumentor:

Conſequentia ſeu Propria Majeſtatis non ſunt ejus Partes.

Regalia ſunt Conſequentia, &c. E.

RESP. Probetur Minor.

OPP. Minor probatur. Majeſtas enim denotat poteſtatem ubique Summam, & rectè comparatur animæ in corpore humano. Sicut igitur facultates Animæ non ſunt ejus partes, ſed conſequentes proprietates; ita etiam Regalia reſpectu Majeſtatis.

RESP. Quis dixit, Majeſtatem comparari debere cum Anima?

OPP. Veniam habebit licentia ſtylum Politicorum ſecuta; nam ab iis Majeſtatem vocari Animam Reip. certum eſt.

RESP. Per me ſit alluſio, quæ Similitudinem habeat claudicantem.

OPP. Agnoſco tenuitatem meam: ſed ex hac ipſa reſponſione haud obſcurè intelligo, velle Tuam Nobilitatem interrogari ulterius: nam ſanè conveniunt in uno tertio Anima & Majeſtas. Ab anima datur Principium motus

in

in Corpore, à Majeſtate diriguntur Actiones in Rep.

RESP. Placeat igitur Simile. Sed memineris Animam reſpectu ſuarum facultatem ſ. potentiarum, è quibus integritatem ſuam habet conſtitutam, vocari Totum Poteſtativum. Quamobrem tanto minori abſurditate Majeſtas Totum fuerit hujus generis.

OPP. Gratiſſima fuerunt quæ audivi. Sed Gratiarum hæc actio ſit ad plus tandum invitatio: velim enim ab hoc dubio liberari, cui ſolvendo adhuc ſum impar. Quæro enim, an Facultates ab Anima diſtinguantur, nec ne?

RESP. Maneat ea ſubtilitas penes Scholaſticos: ſufficit ſimile noſtrum fundari in certâ hypotheſi, adeoque alio reſpectu eſſe diſſimile.

OPP. Tranſeant iſta, cum ipſe meam infirmitatem ſatis agnoſcere jubeat. Sed nova me premit dubitatio, quam eximere Tua Amplitudo poterit quàm optimè. Etenim Regalia non diſtinguuntur quoad poteſtatem internam, quæ ſemper eſt eadem, ſed quoad objecta externa. Majeſtas cum verſatur circa bellum, vocatur Jus belli, cum circa Leges, Jus Legiſlatorium &c.

RESP. Fiat argumentum.

OPP. Agnoſco negligentiam meam, qui de officio meo cogitare debebam accuratius. Sed ita argumentor:

Qc.

Qc. non distinguitur nisi Objectis externis, id intrinsecè non differt.

Regalia s. Jura Majestatis &c. E.

RESP. Nego Minorem. Quippe Regalia non accipiunt determinationem ab Objecto externo, sed à sententia ad Objectum h. e. ut clarius loquar, ab interna naturâ, quæ respectum habet ad tale Objectum. Sic in Majestate est certa particula, quæ respicit bellum, certa particula, quæ respicit leges &c.

OPP. Satis sum informatus: quod si tamen aliquis eam diversitatem velit negare, non immerito enasceretur penes me anxietas, quomodo responderi debeat.

RESP. Esse in ipsis Regalibus aliquam differentiam internam, vel hoc argumento est, quod possunt â se invicem divelli.

OPP. Id ego semper credidi. Sed videre nondum licuit, quomodo satisfacere debuerim secus opinantibus.

RESP. Allegetur Canon Logicus: *Quæcunque actu dividuntur, sunt divisibilia.*

OPP. Impudens sum, qui toties refutatus denuo progredior: sed excusationem dabit discenti cupiditas. Nam non dubitatur de Canone, sed de exemplo quod affertur: quippe Regalium divisionem non admittunt.

RESP. Experientia pro me loquitur. Nonne apud Romanos Dictator gaudebat jure belli, cum

nec

nec jure tributorum, nec jure legum esset instructus. Et quid dicis de Rebusp. mixtis?

OPP. Utinam adversarii non agnoscerent duo Summa, hoc est duo Contradictoria.

RESP. Duo Summa sibi non contradicunt, quæ non sunt in eodem genere. Et quorsum allegatur Contradictio, si possibilitatem probat experientiæ veritas.

OPP. Fateor extra oleas vagari meam audaciam: Quamobrem ne vel dubitando benignissimam informationem, vel opponendo meam observantiam violasse videar, hic subsisto &c.

Caput VI.

De Fraudibus Sophisticis.

I.

FRaudes Sophistarum & in Respondendo succedunt & in Opponendo: magis tamen in iis controversiis, quæ scripto solent concipi. Ut enim in ipso Disputationis actu facilis adest admonitio, si nimium fallere audeat Antagonista; sic major est scribendi securitas, cum sperari queat Lector ab Adversarii Principiis nondum instructus. Et utinam careret Orbis scriptorum Polemicorum mole, quibus

bus non probatur, quantum valeat Veritas; ſed quantum in decipiendis aliis humana calliditas.

II. Cæterum nos conſtricti terminis diſputatoriis id maximè nunc ſpectabimus, quomodo quis in conflictu valeat in fraudibus ſtruendis, & quantum occurri debeat fallaciis.

III. Et alia vero fallacia requiritur, cum Adverſarius contingit ſimplex & candidus: alia, cum ſimilibus artificiis, vel præmunitum vel corruptum deprehendit. Porro ſunt fraudes, quæ adhibentur in Opponendo, ſunt, quæ valent in Reſpondendo, ſunt, quæ nocent utrinque.

IV. Operæ pretium fuerit ſingula conjunctim referre ſub unum Tabulæ conſpectum.

FRAUDES SOPHISTARUM

vel eluceſcunt

IN OPPONENDO,

1. Theſin malè explicant, *dum*

mutant Statum Controverſiæ,

affingunt ſenſum contrarium, eumq;

vel abſurdum Philoſophicè,

vel impium Theologicè,

vel periculoſum Politicè.

Verba theſeos non aſſumunt integra, ſed mutilata.

2. Ob-

2. Objectionem malè profert, eamque peccantem in Forma,
cum Syllogismus violat Regulas Logicas.
In Materia,
cum in Majori occurrit falsum Principium.
cum in Minori datur apertum mendacium.
cum in Conclusione non est contradictoria Theseos.

NB. *Artificium est satis fraudulentum Adversarium avocari à Thesi, ad aliam quæstionem, in qua minus videtur exercitatus.*

3. Instantias malè format,
Dum satis refutata subinde repetit.
Dum quæ regeruntur, nihil faciunt ad Respondentis assertionem.

IN RESPONDENDO,
dum respondet ad Conclusionem, idque
vel probata saltem sua thesi, vid. pag. 487.
vel formata Objectione adversus Conclusionem Adversarii, unde fraudulenter Opponens cogitur induere personam Respondentis.
dum declinat Res difficiliores
ut jam decisas,
ut ad aliam cathedram pertinentes.
dum simulat se non capere mentem Opponentis
adeoque continuo petit novam probationem, etiam ubi res apparet evidentissima.
dum declamat è Loco Communi, quem Opponens nunquam vocat in dubium.
dum quæ semel affirmavit, iterum negat.

dum provocat ad Viri magni Auctoritatem, etiam ubi locus ab Auctoritate nihil probat.

UTRINQUE.

Contemptu,
Cavillationibus,
Minis,
Blanditiis.

V. Poteramus singula suis Exemplis illustrare, sed cum ista artificia vix attingantur ab inexercitatis, sufficiet duobus Colloquiis non fraudes modo, sed evitandarum insidiarum varias cautiones exhibere.

VI. Prius Colloquium ostendat fraudulentum Opponentem.

Sit Thesis:

CHRISTIANUS POTEST ESSE FORTIS IN BELLO.

OPP. *Qc. est injustum, in eo non debet occupari Christianus.*
Bellum est injustum E.

RESP. Mutatur Status Controversiæ: nos enim Christianum non volumus implicari Bello injusto, sed justo & legitimo.

OPP. Ego vero bellum cogitare non possum, quod simul non sit injustum.

RESP. Cogita bellum, cujus finem, cujus causam efficientem, cujus media legitimet honestas, sic habebis ideam belli justi.

OPP.

OPP. Quid mihi cum iſtis nugis, quas niſi Grotius excogitaviſſet, jam minus confuſas haberemus diſputationes.

RESP. Diſtinctio mihi non placet, quod eandem habet Grotius, cum ipſo nondum nato jam fuerit uſitata; ſed quoniam à Veritate non abludit, & quando nominavi Grotium in Theſi?

OPP. Interim video, quorſum reſpiciatis. Refutatus jam à Theologis fuit Grotius, & oſtendam tibi, nihil magis à pietate diſcedere, quam theſin tuam.

RESP. Invitavi te ad diſputationem placidam: Placidè igitur repeto, rem mihi plane nullam eſſe cum Grotio: ſed ſi velis impugnare theſin, me habiturus es paratiſſimum.

OPP. Sic argumentor: *Ubi violatur quintum Præceptum, ibi intercedit maxima impietas.*

In bello violatur &c. E.

RESP. Quintum præceptum prohibet vindictam privatam, non judicis punientis, & Principis bello ſuum jus perſequentis.

OPP. Sic igitur licitum erit effundere ſanguinem humanum: Sic tuto violabitur Amor Proximi. Sic evertetur Decalogus, egregiam vero Chriſtianorum conditionem, ſi vel ipſis beſtiis non ſunt meliores.

RESP. Confunditur effuſio ſanguinis illegitima, cum legitima. Dum enim Deus vult eorundem ſanguinem effundi per pœnam, qui

aliorum ſanguinem effuderint per culpam, nonne aliquam effuſionem judicavit legitimam?

OPP. Quid audio? non erubeſcis allegare Scripturam? Communis ſanè Orthodoxorum querela eſt, nullum hæreticum adeo corruptum inveniri, qui erroris aſylum non quærat in ſcriptura. Et o quantam miſeriam iſta licentia peperit?

RESP. Talia egregiè declamantur! ſed quomodo ſe habet Applicatio?

OPP. Pudet me ulterioris Applicationis. Pene dixerim cum eo non eſſe diſputandum, qui Deum velit facere Auctorem homicidii, ac adeo cauſam peccati.

RESP. Quoties inculcare debeo, homicidium omni reſpectu non eſſe peccatum.

OPP. Quid ſi ego te occidere velim, an me abſolveres à peccato? Accedite igitur, quicunque noſtis inimicum: pugnabitis ſub hoc Duce, cui nunc homicidium Virtus eſt. Cavete ſaltem, ne pari licentia veſtrum Corpus invadat.

RESP. Quantum ego memini, nec tu es judex, nec ego ſupplicium tale ſum promeritus: Cur igitur affers inſtantiam de homicidio illegitimo?

OPP. Sic petis principium, qui diſtinctionem modo impugnatam denuo profers reſponſionis loco.

RESP.

RESP. Quin potius tu redis ad vomitum, qui Objectionem modo explosam denuo repetere sustines.

OPP. Dabo tibi Objectionem novam:

Qc. est contra Naturam, id non est exigendum à Christiano.

Homicidium &c. E.

RESP. Audio nova vocabula, non novum argumentum, nam minor adhuc agit de Homicidio illegitimo.

OPP. Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

RESP. Ad tuam chordam mihi saltandum est: ubi cecineris nova, videris à novitate me non abhorrentem.

OPP. Quis autem credat à Christiano violari posse Leges Naturales?

RESP. Judæus Apella, non ego.

OPP. Solenniter protestor, me à formulis cavillatoriis semper esse alienum: Unde rogatur adhuc Respondens, velit ea proferre, quæ faciant ad solutionem dubiorum.

RESP. Audiam argumenta.

OPP. Malim expediri priora, quam cumulare nova: ne tamen hic neglexisse videar Leges amicitiæ, quærere velim, quid sentias de Hobbesio?

RESP. Id sentio, Hominem non pertinere ad nostram Disputationem.

OPP. Interim is stat à vestris partibus.

RESP. Quando à nobis rogatus eſt, ut theſium fieret Advocatus?

OPP. Ego ſic argumentor:

Qc. Theſis oritur ex malè intellecto Hobbeſio, ea eſt rejicienda.

Atqui veſtra Theſis &c. E.

RESP. Probetur minor: nam ingenuè fateor, ne Hobbeſii nomen mihi hactenus innotuiſſe.

OPP. Ignotus igitur eſſe poteſt, quem vel totum exſcribis? Nihil ſanè peſtilentius eſt bonis literis, quam inconſideratum Auctoris difficilioris plagium. Sic nos decipimur, ſic decipimus alios, ſic finem diſputandi negligimus.

RESP. Belle tu quidem altera vice declamas: ſed quia me non habes adverſarium, non eſt, cur reſpondeam.

OPP. Fateris igitur exſcripſiſſe Hobbeſium.

RESP. Quem ego per vitam non adſpexi.

OPP. Judicent Auditores, quid meruerit Plagiarius.

RESP. An hoc eſt abſtinere à Calumniis.

OPP. Calumniæ non ſunt Calumniæ, quæ effunduntur in meritos.

RESP. Tui forem ſimilis, ſi redditivum reſponderet interrogativo.

OPP. Neque libet tui ſimilitudinem induere. Novi quibus erroribus fueris inquinatus; & vindicabit hanc impudentiam Dnus Profeſſor, cujus famam nuper invadere non erubuiſti.

ſti. Sic nimirum defendere poteſt homicidium, qui jam in Praxi legitimare audet mendacium.

RESP. Cum novero Hobbeſium, novero ſimul Profeſſorem, cui per me facta fuerit injuria: ſed quicquid deblateres, cogita generoſo contemptu ſingula vindicari poſſe.

OPP. Qui contemnis Profeſſorem, cur abſtineas à contemnendo Studioſo?

RESP. Rogo Dnos Auditores, velint attendere, quàm pulchrè is dirigat ſuas objectiones adverſus Theſin.

OPP. Sequor tam methodum. Sed ne quis ex imperitioribus fidem habeat exceptioni tuæ, en argumentum:

Si Magiſtratus non poteſt occidere, Chriſtianus non poteſt bellare.

Sed verum eſt prius. E.

RESP. Proba Antecedens.

OPP. An ſi quid illicitum Principi, id velis concedere cuivis ſubdito.

RESP. Probari debebat Antecedens, non conſequentia.

OPP. Sed bellare eſt occidere.

RESP. Expecto probationem Antecedentis.

OPP. Video te neſcire Decalogum: dignus qui referas Philoſophiam Caini vel Nimrodi in Tabulas Synopticas.

RESP. Quod ſi ego conciperem has Tabulas, an tu fieres legitimus Opponens, ego ineptus Reſpondens?

OPP. Tuam igitur facis Caini Philoſophiam? O cavete, cavete hoc monſtrum, Auditores optimi. Præſtat eſſe cum Abelo columbam, quam cum Caino accipitrem.

RESP. O quis me liberat ab his ineptiis! Magiſtratus non poteſt occidere innocentem: bene tamen nocentes, quorum ſanguinem juſſit effundere Deus, hominum ſupremus Princeps.

OPP. Si ſemel occidere licet, quis erit innocens? agnoſco Principia Cani: utinam abſit deſperatio Caini.

RESP. Deſperatam video diſputationem, idque ex tuâ culpâ.

OPP. Aliter ſentient honoratiſſimi Auditores: ſed in hoc tamen explebo viri boni officium, ut patienti animo feram, quod meliori jure poſſet retorqueri. Adeoque remotis cavillandi formulis ſic argumentor:

Qc humanitati eſt contrarium, id dedecet Principem.

Homicidia ſunt humanitati contraria. E.

RESP. Argumentum loquitur de homicidiis illicitis.

OPP. Pace tua liceat narrare hiſtoriam.

RESP. Etſi hiſtoriæ magis faciunt ad illuſtrandum, quam ad probandum, placuerit tamen narratio, ſi lux aliqua veritati per eandem accen..atur.

OPP.

OPP. Novi Magiſtrum, qui ſola hac diſtinctione *Explicitè*, *Implicitè*, reſolvebat Objectiones: Tu rem aggrederis magis Politicè, ac adeo nihil occurrit, niſi *licitum & illicitum*.

RESP. Aliud eſt accuſare ſimplicitatem Reſpondentis, aliud falſitatem theſeos. Ego non acceſſi, ut oſtenderem variandi artificium, ſed ut per me non interiret veritas poſitionum.

OPP. Jam ſcio cur Veteribus Veritas dicatur ſimplex: nam explicari vult unica ſaltem diſtinctione.

RESP. Et ego miror, cur mendacium dictum fuerit multiplex, cum Objectio tua ſimplici repetitione gaudeat.

OPP. Quando reſpondetur ad meum argumentum?

RESP. Allata fuit diſtinctio, quâ nondum everſâ, creditur everſa eſſe objectio.

OPP. Si audaces redduntur hoſtes, quoties levi ſaltem armaturâ exercentur: conſulebam honori tuo, ne nimium te confunderet argumenti difficultas: quia tamen ſuo ſenſu abundare vult prudentia tua, jam ſtrictum me habebis Opponentem. Sic enim argumentor:

Qc. omnia debet tolerare, is non poteſt bellare.
Chriſtianus &c. E.

Jam oſtende, quantum valeat diſtinctiunculæ tuæ pallium nimis detritum?

RESP. Per tuas objectiunculas pallium mihi vel ad nepotes remanserit integrum. Sed probetur minor.

OPP. Nunc video, prorsus ignotam tibi esse sacram Scripturam: Nonne qui unam accipit alapam, porrigere simul jubetur malam alteram? Quid taces? an exhorrescis hunc arietem? an malles in primo conflictu mihi concessam victoriam?

RESP. Christus talia loquitur ad Personas privatas non ad Magistratus, qui judicandi habent potestatem.

OPP. Eadem opera dixeris Magistratus non esse Christianos: nam sanè loquebatur de omnibus Christianis.

RESP. Christus tamen de omnibus nolebat intelligi.

OPP. Quid audio! Quicquid Christus dixit, id non pertinet ad Magistratus. Cur igitur baptizantur Magistratus, cur utuntur Sacra Eucharistia, cur audiunt conciones? nam pietatis omnia, scilicet exercitia suscipi saltem debebant à plebejis. O pulchrum Concionatorem, qualem Politici audient quàm libentissimè.

RESP. Quis te docuit hanc consequentiam? An si Christus in allato dicto vult excipi Magistratus, exceptio hæc specialis statim futura est generalis? Mea sanè Logica non habet argumentum, quod à particulari procedet ad universale.

OPP.

OPP. Adeſte Auditores, ad Logicam confugit, qui conſtrictus eſt difficultatibus Theologicis.

RESP. Conſtrictus ſum difficultatibus Sophiſticis.

OPP. Proteſtor adverſus injuriam, qui Sophiſtam me nominat, eadem opera perſuadeat Auditorio, ſe eſſe pecus Arcadicum.

RESP. Quorſum attinet conducere hoc pecus, an ut è puteo protrahat veritatem tuis nugis occultatam? Solenniter enim proteſtor, diſputationem meam abripi in diverticula, non niſi Sophiſtica.

OPP. Sic tibi ſum Sophiſta, quoties argumentorum robur te opprimit. Tu vero mihi ſis aſinus, qui probationum efficaciam non intelligis. Pudor eſt, iis committi cathedram, qui rectius collocarentur in popina.

RESP. Si ſcommata redderem ſcommatibus, tui forem ſimilis.

OPP. Judicent Auditores.

RESP. Horum judicio futurus ſum ſecurior.

V. Exemplum fraudulenti Reſpondentis, qui Theſin ſuſcepit defendendam.

MACHIAVELLUS EST OPTIMUS POLITICUS.

OPP. *Qc. fraudes & impietatem ſuadet, non eſt optimus Politicus,*
Atqui Machiavellus &c. E.

RESP. Ut clarior evadat controverſia, ſciendum, Machiavellum fuiſſe cum Reip. Florentinæ Secre-

Secretarium, tum poſtea Cæſaris Borgiæ, quem ſæpe vocat Ducem Valentinum, à literis ſecretioribus.

OPP. Sic illuſtratur mea objectio. Ego dixi Machiavellum docuiſſe impia, tu ſimul nominas impium Principem, ſub quo ſtipendia ſua meruerit. Sed reſpondeatur ad argumentum.

RESP. Aſſumo argumentum: *Qc. fraudes & impietatem &c.* probetur Minor.

OPP. Minorem probo ex ejus Scripto de Principe. Sic enim loquitur Cap. 18. *Non eſt, quod Princeps Virtutes habeat, neceſſarium vero eſt apparere, quaſi habeat. Imo auſim dicere, ſemper noxium eſſe, ſi Princeps illis ſit præditus, & illas obſervet; utile vero, ſi Princeps ſimulet, ſe illas poſſidere. Ut ſimulet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem: modo animus ita compoſitus ſit, ut, ſi opus, poſſis in contrarium mutare,* an quid poteſt eſſe clarius?

RESP. Si pugnandum eſt verbis, è Machiavello carptim petitis, ego tibi opponam alia: nam in Præfatione ad Petrum Medicum fatetur ſe congeſiſſe, *quicquid tot annos, tot ſuis infortuniis & periculis didiciſſet & cognoviſſet.*

OPP. Quid iſta verba faciunt ad detergendam notam impietatis? reſpondeatur ad argumentum.

RESP.

RESP. Fac ſaltem, ut probetur impietas.

OPP. Nonne ſatis clarus eſt textus.

RESP. Talia dijudicari debent è textu originali ſeu Italico: nam inter doctos certiſſimum eſt, ab iſta linguâ non fuiſſe inſtructum, quicunque fuit infeliciſſimus Machiavelli interpres.

OPP. In manibus habeo correctam verſionem Conringii, quæ quidem ab omnibus abſurditatibus eſt repurgata.

RESP. Quid ad me hic etiam Interpres, cui certè credulitatis homagium nondum præſtiti. Sed largiamur, verſionem hanc eſſe omni exceptione majorem, quid inde timendum fuerit meæ aſſertioni?

OPP. Nihil timendum eſt, ſi diſceſſeris à deductione ad contradictorium. Nam Politicam Prudentiam & impietatem una ſede morari poſſe, nunquam affirmaveris.

RESP. Quæro ſaltem: an Machiavellus Statum publicum non intellexerit?

OPP. Hoc ego nunquam negavi: ſed diſpiciendum eſt de meo argumento.

RESP. Si nunquam negaſti, habeo quod volo. Nam ſic argumentor:

Qc. intelligit Statum publicum, is eſt optimus Politicus.

Atqui Machiavellus, &c.

OPP. Aliud eſt noſſe Statum, aliud exercere legitima media, quæ faciunt ad felicitatem

Status,

Status. Sed ego non ſum Reſpondens, ut teneat reſolvere tuas Objectiones: præſertim cum ego te adhuc habeam debitorem.

RESP. Quid tu? ignorantiam impingis Machiavello? an ille novit Statum, nec tamen novit media? forſan te opus habuiſſet informatore, ut intelligeret, quid requireretur ad conſummationem Politices.

OPP. Quid interim agit meum argumentum?

RESP. Agit animam, ſiquidem ſententia mea clariſſimis rationibus ſtabilitur.

OPP. Ego ſic argumentor: *Qc. eſt impius, non eſt bonus Politicus, &c.*

RESP. Cur toties repetis levem hanc Objectionem, quæ ſic inter Eruditos ventilata eſt, ut pudeat crambem centies coctam repetere.

OPP. Pudeat te rem ab Eruditis ſæpe refutatam, nunc affirmare. Sed fac ut videam, quid Eruditi tui dixerint.

RESP. Quæro, quid tibi ſignificet Impietas: nam certè niſi conſenſus eſt in terminis, fruſtra diſputabimus.

OPP. Quid intelligit Machiavellus, cum ſuadet ſimulandam eſſe Pietatem?

RESP. Hoc tu videris. Ego non procedo, in præſens defenſurus univerſos Machiavelli ſermones, quin tu explicas tuos terminos?

OPP. Impietas eſt neglectus vel contemptus officiorum, quæ debentur Deo & proximo.

RESP.

RESP. Ego ſic argumentor: *Qc. definitio continet disjunctionem, illa eſt vitioſa: ſed Impietatis tua definitio continet &c. E.*

OPP. Quaſi vero jam cogitemus potius de accuratiſſimâ Impietatis definitione, quam de nudâ ſignificatione nominis.

RESP. Ita neſcire debeo, quid tibi vocetur Impietas ſecundum rem.

OPP. An id neſcis, ſi vocabulum tibi proponitur, cujus intellectum vel habent Ruſtici?

RESP. Ad Ruſticos igitur abeundum eſt, ſi tecum quis laudabiliter velit diſputare.

OPP. Dilabimur à ſcopo, quid ludimus? Nega vel concede aliquid in meo argumento.

RESP. Quid negem, quid concedam? ſi neſcio quid tibi audiat Impietas.

OPP. Impietas eſt negligentia cultus divini, ſeu ut clarius loquar, eſt peccatum, quo directè læditur Deus.

RESP. Quas ego audio deſcriptiones? Eſtne Impietas tua poſitivum? an eſt negativum?

OPP. Impietas vel eſt omiſſionis vel commiſſionis: ſed quorſum pertinet inepta hæc quæſtio?

RESP. Gaudeo, videri tibi aliqua inepta: ſic enim ſe excuſant Opponentes, cum deprehendunt deficere inſtantias.

OPP. Non deficerent Inſtantiæ: utinam reſpondendo ſuppeditares occaſionem! ſiquidem inſtantia præſupponit opus Reſpondentis, quod hucusque expectamus.

RESP.

RESP. Dic tu quid ſit impietas?

OPP. Intelligis Latina?

RESP. Intelligo: ſed quomodo vocabula ambigua ſonent cuivis homuncioni, non eſt, cur intelligendo aſſequar.

OPP. Tranſeat terminus. Ego ſic argumentor: *Qc. Virtutes dicit inutiles, is non eſt bonus Politicus &c. E.*

RESP. Iterum quæro, quid intelligas per Virtutes?

OPP. Id quod Ethici intelligunt.

RESP. Eſt tamen definitionum diverſitas.

OPP. Sed convenientia in ſignificatione.

RESP. O me miſerum, qui Opponentem nanciſcor minus accuratum!

OPP. O me miſerum, qui Reſpondentem audio nimis curioſum, & vocabulum non uſurpet, niſi per definitionis ſingula artificia deductum. Quid ſi velim ſcire, quomodo definiretur *miſer*, quomodo *nanciſci*, quomodo *accuratus?*

RESP. Quid? ineptias ageres.

OPP. Tu vero loqueris ex tripode, cum definiri cupis Virtutem? Reſponde ad argumentum.

RESP. Reſpondeo cum Lipſio, Machiavelli ingenium fuiſſe igneum & acre.

OPP. An igitur nemo unquam abuſus eſt ingenio? poſſideat hanc laudem ſalva mea objectione. Quanto enim quis judicio major

eſt,

eſt, tanto etiam deterior, ſi Virtutis tramitem ſemel deſerat.

RESP. Moleſtum eſt diſputare cum hominibus, qui negant Principia.

OPP. Quid negavi? tuum fuit refutare, ſi quid in theſibus tuis negandùm occurreret.

RESP. Vide, quam ego ſim liberalis. Machiavellus Virtutes non dixit inutiles, en reſponſionem tibi è diametro contrariam.

OPP. Sed ipſe hoc ſcripſit.

RESP. Non ſcripſit ſerio, ſed ſtylo ſatyrico, ut exagitaret corruptos ſeculi mores: quamobrem legi vult à circumſpecto, ſicut ſimilem ſenſum habet Grobianus, morum civilitatem regulis contrariis deſcribens.

OPP. Nullibi ſanè admonet Lectorem, quod intelligi velit ſatyricè: ſic adhuc ſeducit plures, & vel hoc ipſo nomen boni Politici non meruit.

RESP. Satis eſt ſemel dixiſſe, quæ vel millies dicta ſunt ab Eruditis.

OPP. Ego argumentor: *Si doctrina Machiavelli ab eodem obſervata fuit in Praxi, illa non accipi debet Ironicè vel Satyricè. Sed verum eſt prius E. & poſterius.*

RESP. Probetur Antecedens.

OPP. Verſatus eſt in ſervitio peſſimi Principis.

RESP. Debebas probare, Machiavellum fuiſſe iniquum: nunc te offendit Principis iniquitas. An ſervus nunc luat culpam Domini?

OPP. Utique, cum Dominus iniquitatem promovet consiliis servi.

RESP. Ineptum & Scholasticum est, Principes vocare pessimos, qui forsan in magnis exemplis evitare non possunt necessariam iniquitatem, utilitate publica, ut Tacitus loquitur, satis compensatam. En hoc est respondere ex fontibus Politicorum: en hoc est confundere ligneum opponentem.

OPP. Sim ligneus: sed in hac palæstra te nondum cognovi aureum.

RESP. Nonne ligneus es, qui fateris te ignorare, quid sit Virtus?

OPP. Quando hoc sum confessus?

RESP. An denuo moves Camarinam? satis est, satis est. Maneat penes te victoria, si repetita hæc objectio mihi destinat martyrium.

OPP. Bene mones: nam nugarum satis est.

VIII. Legi talia vix possunt sine nauseâ: sed quid animi credis, Lector Benevole, tunc esse cordatis Auditoribus, quoties inepta Sophismata turbant Veritatem? Inspicias igitur hos errores, ne mireris nimium, sicubi ad similes lactucas fueris invitatus.

CAPUT

CAPUT VII.

Continens Exempla Diſputationum legitimè ſuſceptarum.

I.

ETſi non opus, tot diſputationum formulis ſubjicere plures: volui tamen aliquas vel eum in finem hic annectere, ut illuſtrentur dubia ſuperioribus foliis paſſim enata. Sic enim & diſputandi ſimul Leges, & Logicæ clarior intellectus eâdem opera poſſunt explicari.

II. Sit igitur Theſis:

LOGICA RECTE AGIT DE TERMINIS SIMPLICIBUS.

OPP.

Converto me ad Theſin, in qua probatur, Logicam rectè agere de Terminis ſimplicibus. Cum vero terminorum tractatio jam occurrat in Grammaticâ, neque præter neceſſitatem multiplicari debeant diſciplinæ, ſic argumentor:

Qc. jam tractatur in Grammaticâ, id minus rectè repetitur in Logicâ.

At termini ſimplices &c. E.

RESP.

Diſplicet Opponenti Theſis noſtra, quâ Logicam circa Terminos ſimplices rectè verſari ſtatuimus: unde natum ipſi eſt argumentum:

Qc. jam tractatur &c.

peto probationem Minoris.

OPP.

Minor eſt clara. Si enim terminus nihil eſt, niſi vox; Grammaticæ autem hoc eſt officium, ut de naturâ vocum diſpiciat; quis velit negare Grammaticam his rebus ſufficere.

RESP.

Antequam reſpondeatur ad argumentum, repeto quod in Prolegomenis Logicis dici ſolet de Objecto materiali & formali. Ut enim multi Opifices verſantur circa Lignum tanquam Objectum materiale, ſolus tamen Scriniarius verſatur circa Lignum, quatenus ex ipſo poteſt fieri menſa: pari modo de Vocibus tanquam Objecto materiali, plures Diſciplinæ poſſunt agere, quæ tamen ſeparatum undiquaque agnoſcunt tractandi modum. Nunc limito argumentum:

Qc. tractatur in Grammatica, id ſub eodem formali *non debet repeti in Logica.*

Sic concedo totum argumentum ſalva theſi, in quâ non diximus: Grammaticam & Logicam convenire quoad Objectum materiale.

OPP.

Audio diſtinctionem inter Objectum materiale & formale: ſed urget me aliquis ſcrupulus in appli-

plicatione: nam ſcire velim, quomodo terminus ad Grammaticam, quomodo ad Logicam pertineat.

RESP.

Neque hoc futurum eſt difficile. Nam Grammatica tractat voces, quatenus ſunt ſigna rerum; Logica tractat voces, quatenus ſunt ſigna conceptuum: poteſtque hujus rei ratio vel exinde colligi, quod Logica tractat modum ſciendi, quaſi dicas, modum concipiendi, adeoque termini Logici ad dirigendos conceptus maximè ordinantur.

OPP.

Diſtinguis inter voces, quatenus vel rerum ſigna ſunt vel conceptum. Sed quæro, annon Logica vocum ſignificationem inquirat?

kESP.

Quid ſi hoc conceſſerim?

OPP.

Eadem operâ concederetur meum argumentum. Nam

Qc. diſciplina tractat vocum ſignificationes, ea occupat Objectum formale Grammatices.

Sed è veſtra confeſſione *Logica tractat &c. E.*

RESP.

Aſſumo Argumentum: *Qc. diſciplina &c.* Probetur Major.

OPP.

Majorem ipſe probaviſti, cum diceres, vocabula Grammatica rerum eſſe ſigna, ſed Logicos Terminos eſſe ſigna conceptuum.

 RESP.

RESP.

Diſtinguo inter ſignificationem primam & ſecundam; Significatio prima eſt, quæ rem denotat, ut eſt. e. g. *Equus mihi denotat animal hinniens.* Significatio ſecunda eſt, quæ rem denotat, prout in animo eruditè concipitur e. g. *Equus, eſt Subjectum, hinnit, eſt Prædicatum.* Jam applico diſtinctionem. Grammatica laborat de ſignificatione prima, Logica viciſſim de ſecunda.

OPP.

Loqueris de ſignificatione prima & ſecunda, quæ diſtinctio idem ſibi vult, ac notio prima & ſecunda. Sed hæc ipſa res novum mihi ſuſcitat dubium.

Cujus rei mentionem facit Logica, illud non poteſt eſſe Objectum formale Grammaticæ.
Sed Notionis primæ mentionem &c. E.

Aſſumo Argumentum: *Cujus rei mentionem &c.* At diſtinguo inter mentionem, quæ fit per ſe, & quæ fit per accidens. Logica notionis primæ non facit mentionem, ut eandem pertractet; ſic enim Objectum Logicæ eſſent res omnes; ſed per accidens, quia notiones ſecundæ, quas ex profeſſo tractat Logica, notionibus primis applicandæ ſunt.

OPP.

Sic igitur notiones primas excluditis è Logica? argumentor ita: *Ubi*

Ubi tractatur modus sciendi, ibi tractantur Notiones primæ;
Atqui in Logicâ &c. E.

RESP.

Assumo: *Ubi tractantur &c.* Probetur Major.

OPP.

Majorem Probo: nam scientiæ sunt cognitiones rerum.

RESP.

Probare hoc debebas de modo sciendi, non de ipsis scientiis. Nam scientiæ tractant res, adeoque id primo cognoscunt, quod vocabula Grammatica primo significant. Sed aliter se habet modus sciendi, qui nihil est aliud, quam collectio Notionum secundarum, quibus adjutæ scientiæ, primam suam cognitionem facilius impetrare possunt. Nunc applicatio est facilis.

OPP.

Mihi vero applicatio videtur difficillima: provoco enim ad Prædicamenta, quæ sunt classes rerum, & tamen in Logica sedem inveniunt. Quamobrem sic argumentor:

Ad quam disciplinam pertinent classes rerum, ea versatur circa Notiones primas.
Atqui ad Logicam &c. E.

RESP.

Assumo. *Ad quam &c.* Sed limito Majorem: Ad quam disciplinam pertinent classes rerum *sim-*

pliciter & directè, ea verſatur circa Notiones primas. Sic concidit Minor. Nam ad Logicam iſtæ rerum claſſes non referuntur ſimpliciter, ſed cum addito ſeu cum reſtrictione: id quod colligi poteſt ex ipſa Prædicamentorum definitione, ubi dicuntur Claſſes rerum; ſecundum ſub & ſupra diſpoſitarum, h. e. ut clarius loquar, rerum ſecundum Genera & Species ordinatarum. Vel ut adhuc propius accedamus ad noſtram controverſiam: Prædicamenta ſunt claſſes Notionum primarum, quibus applicari debent Notiones ſecundæ.

OPP.

Sic igitur Logica nihil habebit niſi conceptus? ſic verſabitur circa Entia rationis? Quid me impedit, quo minus Logica vocetur inutilis?

RESP.

Diſtinguo inter Entia rationis ratiocinantis, quæ carent fundamento, ut ſi concipiam aſinum in foro volantem, aut leporem ſaltantem inter funambulos; cujus quidem cogitationis nec cauſa dari poteſt, nec utilitas: & inter Entia rationis ratiocinatæ, quæ ſolent excogitari in reſpectu ad certum fundamentum. Unde etiam dicere ſolemus, Notiones ſecundas formaliter eſſe in intellectu, materialiter ſeu fundamentaliter in rebus. Quid? notum eſt Proverbium, quod purum putum Logicum, ab omni applicatione remotum, è cenſu animalium rationalium ſolet expungere.

OPP.

OPP.

Dilapsi fuimus à scopo: cum enim aggrederer hanc controversiam, animus erat Grammaticæ suos terminos vindicare, non autem dispicere, quid termini valerent in Logicâ. Ut igitur redire liceat ad priora, sic argumentor:

In qua disciplina termini tractantur, tum quoad significationem primam, tum quoad secundam, illa non opus habet repetitione Logicâ.

Sed in Grammaticâ utraque hæc significatio occurrit. E.

RESP.

Assumo. *In quâ disciplina &c.* Probetur Minor.

OPP.

Minorem probo. Quid enim in Notionibus secundis palmarium est, nisi doctrina de Universalibus? Et istud quidem ex vestrâ confessione; qui dixistis Prædicamenta, cum distribuerentur in Genera & Species, ordinari secundum Notiones secundas. Jam autem Grammatica habet nomen proprium & appellativum. Proprium pertinet ad Singularia, vel si mavultis ad Notiones primas, Appellativum pertinet ad Universalia, seu ut loquar vestro stylo, ad Notiones secundas.

RESP.

Istud argumentum sapit Marii Nizolii Grammaticam Philosophicam: qui Vir, postquam magnis laboribus in Ciceroniano suo collegisset elegantias Ciceronis, neque tamen impedien-

tibus Philoſophis ſperatam gloriam obtinuiſſet: Philologiæ contemptum vindicaturus, Philoſophiam in ſolâ Grammaticâ doceri poſſe, prædicavit. Interim ſic non invenerat docendi compendium, ſed abrogata Logica & Metaphyſicâ, duplo majorem, quin & triplo difficiliorem reddidit Grammaticam.

OPP.

Quid ad me Nizolius, quem quidem ego nondum advocavi, ut eſſet cauſæ meæ Patronus? Propoſui argumentum firmiſſimum, quod vel ſine Nizolio valet. Nam *ubi Nomina ſunt propria & apellativa, ibi ſunt Notiones primæ & ſecundæ.*

RESP.

Reſpondo igitur ad rem. Nomina Appellativa ſeu Univerſalia, vel accipiuntur in ſenſu Grammatico, vel Logico. In ſenſu Grammatico Nomen Appellativum eſt vox, quæ multis rebus inter ſe ob ſimilitudinem convenientibus poteſt applicari. Aſt Univerſale in ſenſu Logico eſt terminus naturam à ſingularibus abſtractam uno conceptu repræſentans. Hinc Univerſale Logicum dicitur unum in multis h. e. unius naturæ conceptus, qui multis Individuis competit.

OPP.

Quid autem ſi mihi placeret ſecta Nominalium, nonne ſic Logica videretur pertinere ad Grammaticam?

RESP.

RESP.

Minimè verò. Nominalium enim termini fundamentum adhuc quærunt in conceptibus, ac si non admittunt præcisiones objectivas, benè tamen agnoscunt formales: ut inde in Grammatica levius concipiendi artificium statuant, quàm in Logicâ.

OPP.

Acquiesco in his, agoque gratias.

III. Supra cum ageretur de Prædicamentis Lib. III. Cap. XII. simul dicebatur de Prædicamentis moralibus: quæ res cum multis videri possit dubia vel incerta, libet eandem ventilare Colloquio prolixiori.

Sit itaque Thesis.

PRAEDICAMENTA MORALIA NON SUNT NEGLIGENDA.

OPP.

Video placere tibi Novatorum opinionem, qui præter necessitatem Prædicamenta voluerunt multiplicari, adeoque ut occasio suppeditetur discursibus ulterioribus, sic argumentor:

Qc. res demum nata fuit ante paucos annos, ea potest negligi.

Atqui hæc doctrina de Prædicamentis moralibus &c. E.

RESP.

Assumo. *Qc. res &c.* Nego Majorem. Sic enim insto: Philosophia Aristotelis olim habuit paucos annos, Reformatio Lutheri anno 1521. suscepta fue-

fuerat ante paucos annos. E. olim debuit negligi, quod nunc recipiendum est?

OPP.

Exempla ad præsens negotium non pertinent. Ut enim intelligas vim argumenti sic dico:

Qæ res ante paucos annos prodiit, postquam multis seculis sine impedimento floruit literatura, ea potest negligi.

Atqui Prædicamenta moralia &c. E.

RESP.

Jam percipio mentem: inde peto probationem Minoris.

OPP.

An ignotus est Auctor, qui velut novus Legislator rem antea nec visam nec auditam obtrudere voluit Orbi erudito?

RESP.

Aliud est doctrinam esse natam, aliud clarius propositam. Semper enim habuimus definitiones, quarum genera pertinerent ad Prædicamenta Moralia: si vel maximè tali modo res non esset declarata.

OPP.

Ergo sequitur adhuc carere nos potuisse declarationibus modo natis.

RESP.

Eadem operâ novi Commentarii uno cumulo remittantur ad Indices prohibitorios, si declaratio nova saltem ideo rejici debet, quod laborat vitio novitatis.

OPP.

OPP.

Commentarii aut rem antea propositam illustrant, aut eversis veteribus nova introducunt. Si quos habes generis posterioris, per me liceat eosdem expungere ex Indice librorum legendorum.

RESP.

Cur talia nemo dixit, cum corrigeretur Astronomia Ptolemaica? Sed proba, quod eversis veteribus nova introduxerint Prædicamentorum moralium Patroni?

OPP.

Compara novellam hanc doctrinam cum Logicis tantum non omnibus: & dic, annon eversa sint universorum placita?

RESP.

Non vacat omnes Logicas inspicere. Scire tamen velim, an videris Logicam Juridicam seu Dialecticam Juris Nicolai Vigelii, JCti Hassi, sub medium Seculi superioris Eruditione & Consilio clarissimi? Hujus enim si perpendas Prædicamenta, ut vocat, Juridica; ad minimum concidet objectio, quæ mihi studium novitatis impingit. Quippe quo tempore Germania cœpit habere Logicos, eodem simul agnovit Prædicamentorum ordinariorum angustias.

OPP.

Quis fuerit Vigelius, nescire forsitan sine peccato licet: cum is sectam Ramisticam secutus, magnam JCtorum turbam sic infecerit, ut plerosque habeamus Rami Sectatores.

RESP.

RESP.

Gratum eſt à meis partibus ſtare, qui oppreſſorum ſunt advocati. Sed extra jocum, quicquid ſit de Principiis Ramiſticis, quæ placuerunt Vigelio, in doctrina Prædicamentorum certe non adverſatur Ariſtoteli.

OPP.

Non adverſatur? qui mutat Prædicamenta?

RESP.

Non mutavit, ſed ad ſuam Diſciplinam applicuit. Cum enim Juſtinianus omnem JCtorum doctrinam retuliſſet ad Perſonas, Res & Actiones; cur non ſtatueret tria ſumma Genera *Perſonarum, Rerum & Actionum?* Et hoc certè facturus erat Ariſtoteles, ſi manum admoviſſet ordinandæ Jurisprudentiæ.

OPP.

Sed ſi omnia conceſſerim, quid Prædicamenta Juridica facerent ad Prædicamenta moralia? nonne adhuc iſta referri deberent inter novitates inutiles?

RESP.

Ubi deſinit Ethicus vel Politicus, ibi incipit JCtus. Ergo quas rerum claſſes habet Jurisprudentia, eas ſibi etiam vindicabit Ethica.

OPP.

Hoc volebam. Nam in veſtra Prædicamentorum moralium tractatione vobis æquè diſplicuit Vigelius, ac Ariſtoteles.

RESP.

RESP.

Neuter displicuit. Sed effecimus saltem, ne Vigelius Aristoteli videretur contrarius. Ac adeo monstravimus, quomodo distributio Vigelii posset commodissime referri ad methodum Aristotelis.

OPP.

Neque tamen mihi eximitur dubium, cur successores Logici Vigelium Legislatorem non receperint, donec emergeret, nescio quis Lycurgus, qui Legibus affert auctoritatem.

RESP.

Disputo de re ipsa; cur aliter senserint alii, nec in thesi determinatum est, nec à me requiri potest, ex lege disputatoria. Interim hoc scio, fuisse multos, qui deficientem hanc doctrinam libenter correxissent. Nominabo unicum Casparem Manzium JCtum Bavarum, qui annis abhinc viginti, & quod excedit, publicare non dubitavit Duodecim Prædicamenta, Undecimum *Artefactorum*, Duodecimum *Extravagantium*. h. e. eorum, quæ commodè Locum non reperirent in aliis Prædicamentis, simulque comprehenderent Dominum, Servum & alia moralia.

OPP.

Hoc iterum est contra vos. Ubicunque enim singuli auctores in eadem materiâ dissentiunt, ibi suspicio est, rem tractari in se minus certam.

RESP.

RESP.

Manzius non indignabitur Extravagantia sua ordinari aliquanto accuratius.

OPP.

Video adversus vos allegari non posse Locum Auctoritatis. Quamobrem ex alio capite libet disputare. Nam argumentor:

Qc. jam collocatur in prædicamento Relationis, id non opus habet prædicamento.
Atqui Moralia jam collocantur &c. E.

RESP.

Assumo. *Qc. jam collocatur &c.* probetur Minor.

OPP.

Nonne Dominus & Servus sunt in Prædicamento Relationis.

RESP.

Etsi hoc exemplum non exhaurit latitudinem probandæ Minoris; cum adhuc restent jura s. morales potentiæ, & multa alia: respondebo tamen. Moralia collocantur in Prædicamento Relationis, quando considerantur in sensu respectivo: sed quando considerari debent in sensu absoluto, sicut dominus habet peculiarem definitionem, Servus peculiarem; tum sanè postulant aliud Prædicamentum, aut tamen cupiunt reduci ad Prædicamentum aliquod ordinarium.

OPP.

Relatorum totum esse est, referri ad aliud. Quid igitur in Domino & Servo quæris esse absolutum?

RESP.

RESP.

Sicut Scientia aliter concipitur in reſpectu ad ſcibilia, aliter in ſe, quatenus eſt habitus; ita etiam Dominus aliter concipitur in ordine ad Servum, aliter in ſe, quatenus habet jus imperandi, eidem inhærens.

OPP.

Quam ego inhærentiam nominari audio? An ut Scientia inhæret intellectui, ſic jus dominandi adeſt Domino?

RESP.

Gaudeo mihi occaſionem ſuppeditari, qua liceat emollire hanc loquendi duritiem. Moralia conſiſtunt in imputatione, dum opinio hominum nobis aliquid tribuit. Interim attributa nobis aſſignata concipiuntur velut Entia phyſica, ac adeo ſufficit jura Dominis præſentia, quippe quæ radices ſunt variarum operationum, comparari cum potentiis naturalibus, unde naturales operationes ſolent proficiſci.

OPP.

Iſte luſus me non adiget, ut Dominum & Servum ejiciam è Prædicamento Relationis.

RESP.

Quæro ex te, nonne Dominus rectè definitur per Perſonam?

OPP.

Scio hoc fieri à JCtis. Sed an Relata non adeſſe poſſunt Perſonis?

RESP.

Interim in Arbore Prædicamentali Relationum Personæ non fit mentio.

OPP.

Non opus eſt. Nam Dominus eſt concretum, & in definitione Concretorum nominari ſolent Subjecta ſimul & Adjuncta. Quid igitur abſurditatis emergit, ſi dicam, *Dominus eſt homo, cui adeſt Relatio ad Servum*? an Hominis ideo mentionem facere deberem in Arbore Prædicamentali?

RESP.

Sed ſi Dominus deſineret eſſe Dominus, tum amitteret Perſonam ſuam Moralem, ſalva adhuc Perſona Phyſicâ.

OPP.

Novus hic eſt luſus. Nam ſolum admittitur Adjunctum ſalvo Subjecto. An lac non manet idem Subjectum, ſi injecto croco amittat albedinem?

RESP.

Affertur exemplum facillimum, quod aliquam adhuc interpretationem admittit. Aſt veniamus ad difficiliora: nam cum ſupra probari deberet Minor, ſcire libenter volebam, quorſum pertinerent Jura e. g. Poteſtas Domini, Obligatio Servi.

OPP.

Sunt fundamenta Relationum. Ergo adhuc non opus habent novis claſſibus.

RESP.

RESP.

Fundamenta Relationum debent esse Entia absoluta. Jam ostende, in quo Prædicamento absoluto collocare velis tua Jura.

OPP.

Aut debent esse Entia absoluta, aut Modi Entium.

RESP.

Non nego respectus omnes morales referri debere ad modos: Sed ipsi hi modi sæpe reducuntur ad Prædicamenta, cum quibus habent aliquam convenientiam. Et ridiculum sane foret *tunicatum esse*, *incurvatum esse* collocari in Prædicamento, *obligatum esse*, *jure imperandi instructum esse*, pertinere ad Extravagantia.

OPP.

Sed novitas excusationem non habet, nisi præsentissima adsit utilitas.

RESP.

Fateor existere Eruditos bene multos, qui caruerint his Prædicamentis. Interim insigne adminiculum præstat auditoribus Logicis, qui tales speculationes non negligit: nam quis unquam solidè illustraverit doctrinam de differentiis, nisi accedat hic moralium apparatus?

OPP.

Ergo reliqui nesciunt, quid intelligatur per differentias?

RESP.

Sciunt sanè: sed exemplis adeo perspicuis rem illustrare non possunt. Quid enim restat ipsis, si unicum hoc eripiatur: *Homo est animal ra-*

tionale. Vel ſi agnoſcamus liberalitatem Comenii, *Ignis eſt fumus ardens.*

OPP.

Quicquid hujus ſit. Quæro an carere poſſimus hac doctrina?

RESP.

Carere poſſumus explicitè. Certè enim quicunque definit homines, in Statu civili cum aliqua dignitate viventes, eorundem differentias petit à juribus. Abundet igitur quilibet ſuo ſenſu: & ſaltem docentibus indulgeat hanc licentiam, ut, quicquid tyronibus deprehendunt commodum exercitii gratia proponant.

OPP.

Sic ſublatum eſt noſtrum certamen &c.

IV. Supra pag. 46. proponebatur Syllogiſmus.

Neceſſe eſt ſcribentem movere manum.
Poſſibile eſt Notarium ſcribere E.
Neceſſe eſt Notarium movere manum.

Adverſus hunc dubitari poſſent ſequentia.

OPP.

Video hic proponi Syllogiſmum, qui quidem apparet in formâ maximè vitioſus. Provoco enim ad receptam Logicorum Regulam: *Concluſio ſequitur partem debiliorem.* Atque inde ſic argumentor:

In quocunque Syllogismo post præmissam particularem sequitur Conclusio universalis, ille est vitiosus.
Atqui in hoc Syllogismo &c. E.

RESP.

Assumo: *In quocunq; Syllogismo* &c. Probetur Minor.

OPP.

Quis de Minori dubitat? nonne *possibile* sensum habet particularem, *necesse* universalem?

RESP.

Distinguo inter particularitatem & universalitatem, seu ut brevius loquar, inter quantitatem, quæ adhæret materiæ, & quæ adest formæ, adeoque afficit Enunciationem.

OPP.

Nondum capio vim distinctionis.

RESP.

Expecta. Jam in eo eram, ut subnecterem exempla. Quantitas seu signum Quantitatis, quod afficere debet Enunciationem, præfigitur Subjecto, sed quod vel Prædicatum, vel Subjecti determinationem afficit, in designanda Quantitate nullam habet efficaciam. e. g. *Q. doctus legit omnes libros*, cur hic particula *Omnis* non facit universalem? quia reperitur in Prædicato. *Q. qui omnes contemnit, est insanus*, cur hic abest universalitas? quia signum *Omnis* non præfigitur Subjecto, sed invenitur in ejus Determinatione. Jam limito argumentum:

Ubi post Præmissam verè *particularem sequitur Conclusio* verè *universalis &c.* Sic nego Minorem: nam nisi ad Subjectum referri possit Signum, non veram sed apparentem ego dixerim Quantitatem.

OPP.

Limitatio me non ferit, sicut exempla illustrantia planè ad meum negotium non faciunt. Nam si æstimes hanc Propositionem: *Possibile est Notarium scribere*, idem dicit, non Omnem sed quendam scribere: vicissim qui dicit, *Necesse est Notarium movere manum*, videtur habere Propositionem universalem.

RESP.

Aspiciatur Paraphrasis loco citato exhibita: sic apparebit theseos meæ firmitas. Nam si Modus referri debet ad Prædicatum, & Quantitas judicatur è Subjecto, quis velit à Modo examinare Quantitatem?

OPP.

Falsa hæc est Hypothesis: quotusquisque enim è Logicis fatetur Modum pertinere ad Prædicatum?

RESP.

Jam locus non est disputandi de hac materia: nec, si verum esset, quod objicis, tua sententia evaderet firmior. Nam sive ad Prædicatum pertineat, sive ad Copulam, quod Logici communiter volunt; nondum tamen aliquid accedit Quantitati.

OPP.

OPP.

Maneamus in certo exemplo: Hæc propositio: *Necesse est hominem esse docilem*, nonne æquivalet huic: *Omnis homo est docilis?*

RESP.

Nego, nam est indefinita, quæ suppleri debet hoc modo: *Necesse est, Omnem hominem esse docilem.* Sic fiet universalis.

OPP.

Nomina mihi vel unicum exemplum, ubi Necesse non afficiat Propositionem universalem?

RESP.

Hoc fit per accidens, quoniam necessaria Subjecti & Prædicati connexio fundamentum sanè est universalitatis. Sed aliud est nominare Materiam Propositionis universalis, aliud ipsam formam seu Signum universale monstrare.

OPP.

In vocabulo *necesse* jam latet signum universale.

RESP.

Nego, nam sic esset Pleonasmus, si dicerem, *Necesse est, Omnem hominem esse docilem.*

OPP.

Per me sit Pleonasmus, quid inde?

RESP.

Sed non esse Pleonasmum duobus argumentis evinco. Primo datur universalitas in materia contingenti. Sic si nemo inter cives vigilet, vera est hæc: *O. Civis dormit*, falsissima tamen *Necesse est Civem dormire.* *Deinde* - -

OPP.

Subſiſte, nam in hoc argumento tanta latet dubiorum ſeges, quanta vel ſufficit ad conſumendum diem: ut adeo non vacet audire cætera. Nam quomodo ſequitur? has Propoſitiones non eſſe utrinque æquipollentes, ergo alteram ab alterâ non poſſe includi? Subalternæ non æquipollent, & tamen particularis latet in univerſali. Quamobrem non dico *Neceſſe* & *Omnis* æquipollere: Sed in *Neceſſe* etiam delitеſcere *Omnis*.

RESP.

Hoc ipſum dubium ſolvitur, ſi audias alteram meam rationem. Nam datur caſus, ubi *neceſſe* competit Propoſitioni particulari: claro argumento, ſub eodem non comprehendi Signum univerſale.

OPP.

Nondum vidi exemplum.

RESP.

Dabo exemplum Politicum: In Judicio Imperatoris Aulico lex eſt, ut Nobiles permixti Doctoribus negotia tractent. Sic vera eſt Propoſitio: *Neceſſe eſt Quosdam Aſſeſſores eſſe Doctores*, ſeu ut ſe habet reſolutio: *Q. Aſſeſſor neceſſario eſt Doctor.*

OPP.

Ego nullam agnoſco neceſſitatem in materia contingente.

RESP.

Quæro ex te, an ego teneor reſpondere ad tuam Objectionem.

OPP.

OPP.

Sanè nisi vis deserere officium Respondentis.

RESP.

Sic igitur in materia contingente tibi placet Propositio: *Necesse est, Q. Respondentem*, qui rigidum habet Adversarium, *respondere ad formam.*

OPP.

Quid si non responderes: an tu esses supra necessitatem?

RESP.

Necessitas est vel *obligationis*, quam vocamus *moralem*, vel *operationis*, quam dicere solemus *naturalem*. Sed de hoc discrimine non curat Logicus. Sufficit enim vocem *Necesse* collocari posse in Propositione, quocunque demum respectu fundatur Necessitas.

OPP.

Sed quid sentis de voce *Impossibile*: nonne hic latet universalitas?

RESP.

Quid si concederem? nisi enim valeret hæc res in omnibus modis, jam ego solverer dubio. Sed tamen do exemplum contrarium. Si aliquis homo est furiosus, nonne vera est hæc: *Impossibile est Q. hominem esse Curatorem.*

OPP.

Video clariorem esse tuam Veritatem meis dubiis &c.

Conclusio exhibens brevem Epicrisin de Natura Logicæ.

I.

QUid in Logica doceatur, ignotum illis esse non potest, qui Partem utramque perlustraverunt. Quod igitur, si velimus respicere ad varias Controversias, quæ passim ventilantur in Procemio Logices, h. e. eo loco, quo tyrones nihil minus intelligere possunt, quam disciplinæ adhuc cognoscendæ naturam: nunc certe facilius defungemur quæstionibus, quæ non alio laborant vitio, quam æquivocatione.

II. Nam si quæras, *Quod sit Genus Logices?* Nemo errat, sive dicat *est Facultas*, *est Habitus*, *est Scientia*, *est Scientia practica*, *est Ars*, sive nobiscum repetat definitionem, *est Disciplina instrumentalis*.

† 1. Nos enim Disciplinam instrumentalem vocamus, quia definiendam maximè credimus Logicam docentem.

2. Sed si Logicam respicies utentem, quæ post doctrinam in homine nascitur, & habitus dici potest, & facultas seu potentia agendi artificialiter.

3. Si

3. Si Scientia ſumitur latè pro quavis notitiâ, cur hoc nomine Logica non gaudeat? ſi Logica tendit ad Praxin, cur non ſit Notitia ſ. Scientia Practica?

4. Si creditur Logica de mentis Operationibus demonſtrare certas Affectiones, adeoque Scientia eſſe propriè dicta; dixero ſpectari Logicam docentem: ſed vel ideo vocari non poſſe Scientia, quod in ſe non acquieſcit, ac proinde purum putum Logicum à titulo jam acquiſito liberare nequit.

5. Si ars non ſumitur pro habitu effectivo, ſed pro diſciplina: ſicut Grotius dicit Doctrinam Juris naturalis ſe non vidiſſe redactam ad formam artis; cur Logica ſic appellari nequeat?

6. Si vero Ars ſumitur tam latè, ut habitus etiam deſignet, qui effectum poſt ſe non relinquant, qualis eſt Saltatoria; cur quod eſt Saltator, non ſit Diſputator, Interpres, &c.

III. Si quæras, quod ſit Objectum, rectè reſpondebis, *eſt intellectus, ſunt tres mentis operationes, ſunt res omnes, eſt Syllogiſmus.*

† 1. Nam Intellectus eſt totum, tres mentis operationes ſunt velut partes, quæ totum hoc poteſtativum conſtituunt.

2. Res omnes non ſunt Objectum Logicæ docentis: nam perfecti ſæpe Logici varias diſciplinas non attigerunt; ſunt tamen Objectum Logicæ utentis.

Syl-

3. Syllogiſmus eſt Objectum, ſed inadæquatum: nam plura docenda occurrunt, quàm Syllogiſmus.

IV. Si quæras, quis ſit Finis, iterum dicas: *eſt Veritas, eſt Syllogiſmus, eſt Modus ſciendi.*

† 1. Nam Veritas h. l. non ſumitur quoad modum eſſendi: quo reſpectu pertinet ad diſciplinas: Sed quoad modum repræſentandi, prout ea certis artificiis erui poteſt, & exhiberi.

2. Syllogiſmus, non materialiter conſideratus, ſed formaliter, eſt præcipuum Veritatis indagandæ inſtrumentum, ergo ſi non eſt finis ultimus, eſt tamen intermedius.

3. Modus ſciendi, nihil aliud eſt, quam modus Veritatem repræſentandi.

V. Sic mihi etiam in his Controverſiis placet Methodus non Polemica, ſed Irenica: patetq; adeo, cur Viri clariſſimi velut duplicem ſectentur Veritatem; dum quisq; ſuam opinionem defendat: nam non diſputant de re ipſa, ſed de terminis & conceptibus, qui remota æquivocatione, nihil dubii relinquunt.

VI. Nihil igitur reſtat, quàm ut brevi Tabula Sciagraphiam, velut indicem, Lectori curioſo ſubjiciam.

LO-

LOGICA dividitur
in PARTEM
Theoreticam
de Enunciatione
de Syllogiſmo
de Termino Simplice.
Practicam
de acquirenda Rerum Notitia
de Methodo
de Interpretatione
de Artificio diſputandi.
Liber de ENUNCIATIONE agit
de ejus Natura *Cap. 1. p. 4.*
de Diviſione
in Veram & falſam *cap. 2. p. 11.*
in Affirmativam & Negativam *cap. 3. p. 17.*
in Univerſalem, Particularem, Indefinitam & Singularem *cap. 4. p. 20.*
in Categoricam & Hypotheticam *cap. 5. p. 23.*
in Abſolutam & Modalem *cap. 9. p. 42.*
& Exponibilem *cap. 10. p. 52.*
de Affectionibus *h. e.*
de Subalternatione & Oppoſitione *cap. 6. p. 28.*
de Æquipollentia *cap. 7. p. 35.*
de Converſione *cap. 8. p. 39.*
Liber de SYLLOGISMO agit
de ejus Natura *Cap. 1. p. 58.*
de Regulis Generalibus *cap. 2. p. 60.*
de Regulis Specialibus,

Pri-

Primæ Figuræ *cap. 3. p. 66.*
Secundæ *cap. 4. p. 69.*
Tertiæ *cap. 5. p. 71.*
Syllogiſmorum Hypotheticorum *cap. 6. p. 74.*
Modalium & Exponibilium *cap. 7. p. 82.*
Formarum imperfectarum *cap. 8. p. 85.*
de Diviſione in Demonſtrativum Topicum & Sophiſticum *cap. 9. p. 89.*
Judicium de Sophiſmatibus *ibid. p. 91.*
Exempla ſolutionum *ibid. p. 94.*

Liber de TERMINO agit
de Natura & Varietate, *Cap. 1. p. 103.* quâ præcipuè ſunt
Convenientes
Univoci, Æquivoci & Paronymi *cap. 2. p. 106.*
Univerſales & Singulares *cap. 3. p. 115.*
Prædicamentales & Transſcendentales *cap. 4. p. 132.*
Ubi ſpeciatim
de Prædicamento Subſtantiæ *cap. 5. p. 136.*
Quantitatis *cap. 6. p. 141.*
Qualitatis *cap. 7. p. 146.*
Relationis *cap. 8. p. 152.*
Actionis & Paſſionis *cap. 9. p. 160.*
Ubi & Quando *cap. 10. p. 163.*
Situs & Habitus *cap. 11. p. 166.*
de Prædicamentis moralibus *cap. 12. p. 168.*
Repugnantes
Oppoſiti & Diſparati *cap. 13. p. 174.*
qua occaſione ſubjicitur

Far-

Farrago Distinctionum apud disputantes commodissimarum *cap. 14. p. 177.*

Liber de ACQUIRENDA RERUM NOTITIA proponit

Definitionem *Cap. 1. p. 215.*
Divisionem *cap. 2. p. 225.*
Demonstrationem *cap. 3. p. 232.*
Ejus fontes seu Topicam *cap. 4. p. 240.*
Cujus Loci
Notationis *cap. 5. p. 242.*
Definitionis & Descriptionis *cap. 6. p. 247.*
Generis & Speciei *cap. 7. p. 248.*
Totius & Partium *cap. 8. p. 252.*
Causarum
Efficientis & Finalis *cap. 9. p. 255.*
Materiæ & Formæ *cap. 10. p. 264.*
Effectorum *cap. 11. p. 272.*
Circumstantiarum *cap. 12. p. 274.*
Adjunctorum *cap. 13. p. 280.*
Comparatorum *cap. 14. p. 284.*
Oppositorum *cap. 15. p. 292.*
Exemplorum & Testimoniorum *cap. 16. p. 296.*
Ejus Exercitium *cap. 17. p. 302.*
in probandis Sententiis *p. 300.*
in probandis Syllogismis *p. 315.*

Liber de METHODO agit

De natura Methodi *cap. 1. p. 323.*
De Divisione, in
Methodum Universalem, quæ

vel Synthetica vel Analytica *cap.2.p.327.*
Particularem *cap.3.p.337.* quæ est
Thematum Simplicium *cap.4.p.339.*
Thematum Conjunctorum *cap.5.p.367.*
Thematum Mixtorum *cap.6.p.375.*

Liber de INTERPRETATIONE agit
de ipsius Natura *Cap.1.p.385.*
de Rerum interpretandarum
Ordine
quoad Propositiones *cap.2.p.387.*
quoad integras Orationes *cap.3.p.400.*
Sensu *cap.4.p.440.*
Veritate *cap.5.p.448.*
de Interpretatione Textuum Sacrorum *c.6.p.452.*

Liber de ARTIFICIO DISPUTANDI agit
De Exercitiis disputatoriis in Genere *Cap.1.p.459.*
de Modo respondendi ad Syllogismos *cap.2 p.461.*
de Modo Opponendi *cap.3.p.485.*
de Ordine integrarum disputationum *cap.4.p.505.*
de Eloquentia Disputatoria *cap.5.p.515.*
de Fraudibus Sophisticis *cap.6.p.527.*
Subjiciuntur Exempla integrarum disputationum *cap.7.p.547.*

INDEX.

Terminorum, Quæstionum & Exemplorum.

IN UTRAQUE PARTE occurrentium.

In eorum gratiam, qui vel inquirendo proficere vel lecta semel minori molestia repetere volunt.

A.

Absoluta Enunciatio 42
Absolutè, Comparatè 179
Hypotheticè, 179
Respectivè 180
Abstractus terminus 113
Abstractio Ultimata non ultimata 113
Abstractivè, negativè 181
Accidens prædicabile 122
privativum, physicè & Logicè *ibid.*
Separabile inseparabile *123*
Accidens prædicamentale 137
Quæ Accidentia prædicabilia pertineant ad Qualitatem 147
Per Accidens Conversio 39
Accidentaliter, Essentialiter 189
Actio 160

Oo *Imma-*

Immanens, Transiens 162
negatoria 498
Actu, Potentiâ 181
Actu primo, secundo 182
Signato, exercito 182
Adæquatè, inadæquatè. 183
Adjectum primum & secundum. 6
Adjunctum idem ac Prædicatum; 5
Adjunctorum Locus 280
quomodo distinguantur à Subjecto 280
Animi, Corporis, Fortunæ 281
Canones de Adjunctis
Posito Subjecto ponitur Adjunctum 281
Remoto Subjecto removetur Adjunctum 281
Posito Adjuncto ponitur Subjectum 282
Remotis Adjunctis removetur Subjectum 282
A divisis ad Conjuncta valet Consequentia 283
Quale Subjectum tale Adjunctum 283
Adverbialiter, Nominaliter. 204
Æquiparantiæ Relatio 156
Æquipollentia 35
Modalium 52
an pertineat ad Grammaticam 36
Æquivoca Causa 256
Æquivoci termini 106
Casu vel Consilio 107
Æternitas 165
Ævum 165
Affectio idem quod Proprium 122
Simplex, Disjuncta ibid.
Affectiones enunciationis 28
Affirmativa Enunciatio 17
Conditionalis 24
Affirmanti an semper incumbat probatio? 496 seq.
Albedineitas an terminus Barbarus? 114

Alber-

Albertus Saxoniæ Dux Topicè deſcriptus. 351
Allegorica Conſectaria 383
Allegoricus ſenſus 443
Alluſio 244
Ambigua vocabula 444
Ampliatio & Status 15
quomodo intelligi debeant 446
Ampliatio Legum 289
Amplificantia argumenta 449
Amplificationes Rhetoricæ Logicis utiles 8
Analoga 108
Proportionis, *Attributionis* *ibid.*
an explicanda exemplis moralibus? ibid.
an admittenda? 110
Analogus ſenſus 446
Analytica Methodus 331
in Concionibus 453
Antecedentia 275
Antecedens in Conditionali Enunciatione 204
Antecedentis & Conſequentis reſpectus 279
Canones de Antecedente
Poſito vel remoto Antecedente neceſſario, ponitur vel removetur Conſequens 279
Poſito vel remoto Conſequente neceſſario, ponitur vel removetur Antecedens 279
Argumenta explicantia, amplificantia, probantia, illuſtrantia 49
inſita, aliunde aſſumpta 451
Rhetorum ab Honeſto, utili &c. 365
Artefacta an collocentur in Prædicamento 173
Aſſumptiva Enunciatio 27
talis Syllogiſmus 80
Attributum, idem quod Proprium. 122
Attributionis Analoga 108. ſeq.
Aude aliquid: Regula Diſputatoria 510

Ausonii epigramma 432
Avtodidactus 359
vix intelligit terminos Eruditorum 445

B.

Bellum Germanicum Topicè explicatum 348
Bœcleri judicium de Thomasio 402
Bonus Præceptor quomodo describatur 352
Bonus Studiosus quomodo exhibendus in Idea 355

C.

Cæteris paribus 211
Carminum Dispositio 431
Carpzovii Hodegeticum 452
Categorematicus terminus 103
Categorica enunciatio 23
Catsii Oratio ad Anglos 419
Causæ in definitione constituunt differentias 217
Causales Prædicationes 129
Causarum locus 255
Causa Efficiens 255
Naturalis, Libera 256
Physica, Moralis 256
Principalis, instrumentalis 256
Univoca, Æquivoca 256
Canones
Posita Causa, ponitur Effectus 257
Negata causa, negatur effectus 257
Qualis Causa, talis effectus 258
Cujus Causa bona vel mala est, id ipsum quoque est bonum vel malum 258
Idem semper facit idem 259

Causa

Causa Causæ est etiam Causa Causati 259
Causa Finalis 260
Cui, Cujus 260
Ultimus, intermedius 261
Internus, externus 261
Canones
O. Finis est bonum quid. 261
Finis est melior mediis ad Finem ibid.
Qui vult Finem vult etiam media 262
Unius rei plures possunt esse fines 262
Acquisito fine, cessat actio 263
Causa formalis 269
vid. Forma
Causa Materialis 264
vid. Materia
Chirurgica 335
Chymia 335
Circumscriptivè in Loco 163
Circumstantiarum Locus 274
Circumstantiæ 276
Specificantes 275
augentes vel minuentes 275
Concomitantes 275
Positis omnibus Circumstantiis, ponitur res ipsa 280
Claudiani Epigramma 483
Collectanea multis inutilia 325
Commentarius per Tabulas 401
Communia ad Unum 110
Comparatorum Locus 284
Comparatio 284
explicita, implicita 284

nobilior, ignobilior 284
Similitudinis, Dissimilitudinis 286
Paritatis, Imparitatis 286
Canones Similium
Simile non est idem 287
Qc. prædicatur de uno Similium, id etiam prædicatur de altero 288
Qc. prædicatur de uno Dissimilium, id negatur de altero 289
Canones Parium
Qc. de uno Parium affirmatur aut negatur, id etiam de altero. 290
De quo prædicari potest Majus, de isto etiam minus 290
De quo negatur minus, de eo etiam Majus ibid.
De quo affirmatur quod minus probabile est, de eo simul affirmatur quod magis probabile est 291
Comparatè absolutè 179
Comparativa s. Assumptiva Propositio 27
Comparativa Propositio inter Exponibiles 56
Complacendi Studium Methodicè expositum 363
Completè, incompletè 184
Complexum à Prædicam. exclus. 135
Complimentorum Dispositio 416
Complimenta disputatoria 516
Compositus Sensus, divisus 185
Conceptus formalis & Objectivus 104
Concionis sacræ Usus s. Consectaria 376
Artificium 452
Conclusio sequitur partem debiliorem 65
quomodo hoc intelligatur 564
Concomitanter, formaliter 192
Concomitantia in Circumstantiis 275
Concomitativæ Prædicationes 129
Concretus terminus 113

Con-

Conditionalis Propositio 23
continet Syllogismum. 25
Confusè, determinatè 185
Conjunctum Thema 367
Consectaria quid. 383 adde 375 seqq. 378
Allegorica 383
Consensus saniorum hominum. 299
Consensus artificum valet in Usu terminorum 445
Consequens in Conditionali 24
Consequentia in Circumstantiis 275.278
Consequentiæ non argumentativæ 38
Consignificans è Prædicamentis exclus. 135
Consolatorius Usus 376. seqq.
Consuetudinarius sensus. 244
Contingens Veritas 12
Contingit modus 42
habet sensum positivum vel exclusivum 48
Continua Quantitas 142
Contradictio Opponentis explicita & implicita 485
Contradictoria Oppositio in Enunciatione 30
in terminis simplicibus 175
Contrapositio in Conversione. 40
Contraria Oppositio in Enunciat. 30
in term. simpl. 175
Controversiæ Status 367
Convenientes termini 105
Convenientia formalis, objectiva. 111
Conversio
Simplex per accidens 39
per Contrapositionem 40
Ejus Cautiones 41
Exponibilium 57
Copula
explicitè vel implicitè posita 5
variis modis negata 17

non admittit tropum 130
Copulativa Propositio 26
Copulativus Syllogismus 77
Cornutus Syllogismus 79
Corollarium 375
Corpus quantum 143
Physicum & Mathematicum ibid.
Cunctatio an deceat Politicum 370
Curiositas 357

D.

Definitio 215
primaria, secundaria 216
ejus requisita 221. seq.
negativa an toleranda? 223
an toleranda Disjunctiva? 224
an requirat terminos semper abstractos 225
est Demonstrationis instrumentum 238
Definitionis Locus 247
Canones
Cui convenit definitio, eidem quoque convenit definitum 247
Cui non convenit definitio, eidem nec conveniet definitum ibid.
Qc. affirmatur vel negatur de definitione, id etiam affirmatur vel negatur de definito 248
Posito vel remoto definito, ponitur vel removetur definitio 249
Demonstratio 232
à priori, à posteriori 233
remota, proxima, 236
cur ab Aristotele illustretur exemplis Mathematic. 239

Canones
In Principiis non datur progressus in infinitum. 236
Nihil demonstrari debet per causam remotam 236
Non debet fieri transitus s. Metabasis in aliud Genus 237
Demonstrativus Syllogismus 89
Denominatio sumenda à potiori 114
Denominativus Terminus 112
Derivatio Grammatica & Logica 112
Descriptio 216
Determinatè, Confusè 185
Determinatio Subjecti & Prædicati 8
DEUS an in Prædicamento? 135
Dialectica Juris Vigelii 557
Dichotomia 230
Dictum de Omni & nullo 62
an valeat in Syllogismis quibusdam tertia Fig. 72
Dictum in Modalibus 42
Didacticus Usus 376. seq.
Differentia 119
Generica, Specifica 120
Maxime illustratur exemplis moralibus 120
Radix propriorum ibid.
Unde capiatur in definitionibus 216
Accidentium 218
Dilemma 79
Directè, indirectè 186
Discreta Quantitas 142
Disjunctiva Enunciatio 25
Disparati termini 174
Dispositio in Qualitate 147
Dispositio unius Orationis potest esse varia 431
Disputatio quid? 459

Quomodo conſcribatur 402
quis Ordo 505
quæ Eloquentia 515
quomodo exercenda 460. 547
exercitia an retinenda 503
Disquiparantiæ Relatio 156
Diſſimilium Locus 286
Canones vid. ſupra de Comparatis
Diſtinctio 177
Realis, inſtrumentalis ibid.
applicata ad uſus diſputatorios 462
Diſtinctionum farrago 178. ſeqq.
Diviſio quid? 177. 225
Totius Eſſentialis, integralis, univerſalis 226. 227
Negativa 232
Concretorum 226
Canones
Singula diviſionis membra ſint adæquata Toti diviſo 227
Membra dividentia ſe mutuo excludant 228
Abſtinendum à partibus nimium multis 229
Membra dividentia ne deſtruant naturam diviſi 231
Diviſus Senſus, Compoſitus. 185
Diviſibilitas in Quantitate 142
Duntaxat particula Excluſiva 52

E.

Effectorum Locus 272
Effecta *latè & ſtrictè* ibid.
quomodo diſtinguantur à Fine ibid.
interdum Effectum dicitur quod ſaltem eſt Conſequens. 273

Cano-

Canones
Posito Effectu, ponitur causa 273
Negato Effectu, negatur Causa ibid.
Qualis effectus, talis causa 274
Nullus Effectus virtutem suæ causæ excedit, ibid.
Efficiens causa 255
vid. supra causa Efficiens
Elencticus Usus 376. seqq.
Ellipsis non corrumpit Syllogismos 61
Eloquentia Disputatoria 515
interna & externa *ibid.*
Eminenter, formaliter 193
Entia rationis 552
excluduntur è Prædicamentis 135
ratiocinantis & ratiocinatæ 210
Enthymema 85
Enunciatio quid? 4
Vera & Falsa 11
nihil significans 13
affirmativa, negativa 17
finita & infinita 18
Universalis, particularis, indefinita, singularis 20
categorica, hypothetica 23
Conditionalis. 23. Disjunctiva 25. Copulativa 26
Comparativa. 27
Assumptiva 27. 80
Epanorthoticus Usus 376
Epigrammata Martialis, Ausonii, Claudiani 430. seqq.
Eruditi aliqui cur exhorrescant disputationes 511
Eruditio
primaria, secundaria. 356
an noceat Reip. 502

Essen.

Essentiæ Status 188
Essentialiter, Accidentaliter 189
Integraliter 190
Participativè 190
EST significat vel copulat 5
secundi vel tertii adjecti 6
Ethicæ Systema 331
Ethica exempla disputationibus commoda 474
Etymologia 242
Everardi Loci Legales 289
Excerpendi artificium 403
Exceptiva Enunciatio 55
Exclusiva Enunciatio
Subjecti, Prædicati, Signi 53
Exemplorum Locus 296
Canones 301
Exemplum, Syllogismi forma imperfecta 86
Exercitia depromi debent è disciplinis realibus 320
Exhibitivæ Propositiones 131
Existentia 137
Existentiæ Status 188
Existimatio moralis 172
Præceptoris 253
Explicantia argumenta 449
Exponibilis Enunciatio
quæ tacitè negat 52
quæ tacitè affirmat 498
Exponibilis Contradictio 31
Extensio 141
Extensivè, intensivè 191
Extraordinariæ Prædicationes 128

F.

Fallaciæ Sophisticæ 91
quomodo solvendæ *ibid.*

teme-

temerè non adhibenda ibid.
exempla reſponſionum 94
Tabula earundem Synoptica 528
Falſa Enunciatio 11
apparens 13
impoſſibilis & poſſibilis 12
Conditionalis 24
Favores ſunt ampliandi 447
Feſtinatio an laudabilis in Politico? 370
Figuræ *Syllogiſmorum* 66. *ſeq.*
Figura *Species Qualitatis* 150
Finalis Cauſa 260
vid. ſupra Cauſa Finalis
Finis Logicæ 572
Finita Enunciatio 18
Fœdera cum Infidelibus an licita? 367
Forma 269
interna, externa 269
Subſtantialis, accidentalis 146
Canones
Forma dat eſſe rei 270
Poſita Forma, ponuntur Affectiones 271
Forma quanto nobilior, tanto nobilius Compoſitum ibid.
Deficiente Forma, tollitur Compoſitum 272
Forma in definitione Concreti omnes denominationes etiam externas comprehendit. 113
Forma Species qualitatis 150
Formalis Conceptus 104
Formaliter, Materialiter 191
Concomitanter 192
Eminenter 193
Fundamentaliter 194
Identicè 195

Obje-

Objectivè 195
Reductivè 196
Virtualiter 196
Fortitudo Christianorum 530
Fraudes Sophisticæ 527. seqq.
Fundamentaliter 194
Fundamentum Relationis 153. 157. 562

G.

Genus 116
aliter Logicè, aliter Rhetoricè 249
Generis Locus 249
Canones
Qc. convenit Generi, convenit Speciei 250
Qc. non convenit Generi, non convenit Speciei ibid.
posito Genere, ponitur Species ibid.
Remoto Genere, removetur Species ibid.
Genera singulorum 23
Genericè, specificè 197
Gloria methodicè exposita. 580
Grammatica Philosophica Nizolii 553

H.

Habitus *Qualitas* 147
Infusus, acquisitus 148
differentiam capit ab Objecto 219
Habitus *Prædicamentum ultimum* 167
Habitus Privationi oppositus 175
Hæcceitas 124
Hermenevtica 387
Heterogeneæ partes 226
Hexilogia 149. 327
Historia Philosophica 494
Hodegeticum Carpzovii 452
Homogeneæ partes 226

Homo,

Homonyma 107
Hygieine 335
Hypothetica Enunciatio 23
quomodo interpretanda 391
Hypothetici Syllogiſmi 74
Hypotheticè, abſolutè 179

I.

Jactantia Topicè expoſita 360
Idea boni Præceptoris 252
boni Studioſi 355
Idealis Status 188
Identitas *formalis*, *objectiva*. 111
Identicè, formaliter 195
Illuſtrantia Argumenta 449
Imparium Locus 286
vid. ſupra de Comparatis
Imperativa Enunciatio 9
Imperfecti Syllogiſmi 85
Imperium Turcicum topicè illuſtratum 349
Implicitè, explicitè: 198
Impoſſibile modus 42
quomodo explicetur per Æquipollentiam 47
Impoſſibilis Falſitas 12
Impropriæ Prædicationes 128
Imputatio rerum moralium 169
Inartificialia argumenta 296
Indefinita Enunciatio 21
Indeterminata Veritas 12
Individuum 123
diſtinctum, *confuſum* 124
Individuationis Principium 124
Inductio. 87
Infinita Enunciatio 18
Informatio Præceptoris 352

Inha-

Inhabilitas materiæ impedit effectum 266
Inhærere *quid?* 137
Inordinatæ Prædicationes 128
Inſcriptionum Diſpoſitio 437
Inſita argumenta 451
Inſtantiarum artificia 506
Inſtrumentalis cauſa 256
Inſtrumentum intelligens 514
Inſtrumentaliter, Principaliter 207
Integraliter, eſſentialiter 190
Intenſio 141
Intenſivè, extenſivè 191
Intentionaliter, realiter 199
Interpretatio 386
ejus Ordo 388
in Propoſitionibus 388
in Orationibus 401
Senſus 441
Veritas 448
Interrogativa Enunciatio 9
Intrinſecè, extrinſecè 199
Inuſitatæ Prædicationes 131
Jocandi ſtudium an prohibitum? 516
Irenica Methodus 126. 572
Jura moralia 172
Jurisprudentiæ Syſtema 334

L.

Labbei *Petri* Inſcriptio 439
Latè, ſtrictè 200
Latinæ Linguæ exercitium diſputaturis neceſſarium 478
quomodo conſervandum his quidem moribus *ibid.*
Latitudo. 143
Lexica Grammatica & Philoſophica 445

Liberè,

Libere, naturaliter 203
Linea 143
Lipsiensium laudabilis Consuetudo observata in disputando 510
Literalis Sensus 443
Locus 244
absolutè, respectivè 163
Communis, Proprius 163
in eo quid circumscriptivè definitivè, repletivè ibid.
Loci topici 240
cur dicti communes? 241
Loci Proprii Rhetorum 365
Logicæ natura 570
Genus ibid.
Objectum 571
Finis 572
Dispositio 573
Longitudo 143

M.

Machiavellus an Politicus? 539
Magis & minus *in Qualitate.* 151
Majestas an possit dividi? 522
Manzii Duodecim prædicamenta 559
Martialis Epigrammata 432
Materia
Ex qua, In qua, Circa quàm. 264
Canones
Posita materia, fieri potest effectus 265
Sublatâ materia non potest fieri effectus ibid.
Sublatâ materiâ tollitur Compositum ibid.
Qc. tribuitur materiæ, id etiam materiato. 266

Reliqua vide infra de Objecto.
Materialiter, Formaliter 191
Mathematicarum diſciplinarum ordo 332
Mediatè, immediatè 198
Medicinæ Syſtema 335
Medius terminus 59
non ingreditur Concluſionem 61
ejus inventio 491
ordinaria, extraordinaria 492
non ſit nimis remotus 491
in demonſtratione 232
procedit vel directè, vel indirectè 233
Melanchtonis Styli perſpicuitas 387
Metaphyſica Lexicon Philoſophicum 167
Methodus 323
Univerſalis, particularis ibid.
Analytica, Synthetica 326
Artificialis, inartificialis ibid.
Polemica, Irenica 126.572
Logica, Rhetorica 337
Mixtum Thema 375
Modalis Enunciatio 42
Compoſita & diviſa 43
Modum refert ad Prædicatum 43
quomodo affirmet vel neget? 49
aut conſideratur in ſe, aut reſpectu Syllogiſmi 46
an habeat reſpectu modi univerſalitatem vel particularitatem? 50.568
Syllogiſmus illuſtratur per paraphraſin 46
Modus eſſendi & prædicandi 201
Modi Figurarum, an deſignandi receptis vocabulis, *Barbara, Gelarent &c.* 67

Montium Incendia *topicè explicata* 347
Moralia Prædicamenta 555
Moralis Causa 256
quæ operatur ad exercitium, quæ ad specificationem 259
Moralium differentiæ 220
Moraliter, Physicè 202
Musica laudata 365
an deceat Studiosum 503
Mysticus sensus 443

N.

Naturalis potentia 149
Naturaliter libere 203
Contra Naturam, Præter naturam 203
Necessaria Veritas 12
Necesse Modus 42
cur tot habeat obscuritates? 48. *seq.*
Negativa Enunciatio 17
æquipollens infinitæ 18. 63
Conditionalis 24
an rejicienda seu convertenda in infinitam? 19
Modalis non respicit dictum, sed modum 50
Negativæ puræ nihil concludunt. 62
Neganti an incumbere possit probatio? 496
Negativè, abstractive. 191
Nili Episcopi Sententiæ 393
Nisi particula exceptiva 55
Nizolii Grammatica Philosophica 553
Nomen 15
proprium, appellativum 242
Quando aliquid probet 243
proprii acceptio æquivoca 243

Grammatica, Politica 243
Proprium multis competens, prædicationem facit æquivocam 125
Nominaliter, participialiter Adverbialiter 204
204
Non Enunciativa Oratio, quomodo fieri possit Enunciativa 389
Notationis Locus 242
distinguitur ab Allusione 244
adæquata, inadæquata ibid.
Canones
Cui convenit notatio, ei convenit Nomen 245
Cui convenit Nomen, ei convenit res nomine designata ibid.
Cui non convenit notatio, ei non convenit nomen. ibid.
Cui non convenit nomen, ei nec convenit res. 246
Quando Nomini honesto respondet res, adest materia laudis; cum non, vituperii. ibid.
Notio prima & secunda 104. 550
secunda excluditur è Prædicamentis 135
Notiora doceantur primo loco 324
Numerus numerans, & numeratus 145

O.

Obedientia mandati iniqui 512
Objectio adversus Thesin 485
Thesin habeat notam 494
Objectum 264
Materiale, formale 265. 548
tractationis, operationis 268

Ca-

Canones

Habitus & potentiæ specificantur à suo Objecto 267

Quale Objectum, talis Potentia ibid.

Destructo Objecto, destruitur potentia 269

Objectum Logicæ 571

Objectivus Conceptus 104

Objectivè, Formaliter 115

Subjectivè 205

OMNIS *distributivè & collectivè* 21, 22

Synecdochicè 22

Opinionis *actualis, habitualis* 169

Opponendi modus 485

artificia 486

exempla 500

fraudes 527

Oppositi termini 174

Oppositio Enunciationum 30

Contraria, Subcontraria 30

Contradictoria, Simplex & Composita, seu exponibiles 30. 51

vera, apparens 32

Modalium 51

Ubi modus opponitur modo ibid.

Exponibilium 56

Oppositorum Locus 292

Canones

posito uno Oppositorum removetur alterum ibid.

posito uno Oppositorum ponitur alterum. ibid.

Oppositorum eadem Scientia 294

Oppositorum opposita sunt Attributa ibid.

Subjectum quod admittit unum Oppositum, admittere etiam potest alterum 205

Optativa Enunciatio 9
Oratio Enunciativa 9
Oratio in Prædicamento Quantitatis 146
Orationes Heroicæ 416
Orationum Interpretatio 401
Orator an ſit politicus? 487
Ordo
Naturæ & doctrinæ in diſponenda Logica 2
Interpretationis 388
Ordinata & inordinata Prædicatio 7

P.

Pedevticus uſus 376 ſeqq.
Paracleticus uſus 376 ſeqq.
Paraphraſis Sententiarum 393
Modalibus utilis 46. 92
Parium Locus 286
Canones vide de Comparatis
Paritas terminorum, Rerum, Propoſitionum 287
Paronyma 112
Partium Locus 252
Canones
De quo omnes Partes affirmantur aut negantur, de eo affirmatur vel negatur totum 254
Qc. prædicatur de Parte, id etiam de Toto, *ibid.*
Remota una parte removetur totum *ibid.*
pars abundans non vitiat totum 255
Partes Homogeneæ, Heterogeneæ 226
Participialiter, nominaliter 204
Participative, eſſentialiter 190
Particularis Enunciatio 20
Particulare ſignum vim habet excluſivam 29
Particulares puræ nihil concludunt 62
Patibilis *Qualitas* 150

Pas-

Paſſio *prædicamentum* 160
Pathologia 335
Patibilis Qualitas 150
in rebus moralibus 172
Paupertas methodicè expoſita 377
Pax cum Turcis eſt ſervanda, Diſputatio 482
Per ſe, per accidens 205
Perſona 138
Moralis 169
ejus diviſiones 170
Compoſitæ 171
in quo prædicamento? 561
Perſpicuitas ſtyli 387
Pharmaceutica 333
Philautia Syntheticè explicata 340
Phyſicæ Syſtema 328
Phyſicè, Logicè 201
Moraliter 202
Phyſiologia 335
Polemica Methodus 126. 572
Politicæ Syſtema 331
Politicus an Orator? 487
Polymathia Analyticè explicata 342
Polyſema quomodo interpretanda 447
è prædicamentis excluſa 135
Poriſma 375
Poſitivè, negativè 207
Poſſibile modus 42
Status 188
Potentia & Impotentia naturalis 149
Potentiâ, Actu 181
Præceptor bonus, quot habeat Virtutes? 352
Præciſio formalis, Objectiva 127
Prædicabilia 115

Prædicamenta 132
primaria, secundaria 133
aliqua continent directè, indirectè, reductivè 134
duodecim Manzii 559
Moralia 168
disputatione illustrata 555. *seqq.*
Prædicatio
in quid, in quale 115
inordinata 7. 128
extraordinaria 128
impropria ibid.
inusitata 130
Causalis, Concomitativa 129
Prædicatum 5
ejus functio significare & copulare 5
collocatur in præsenti 6
vocatur etiam consequens 8
determinatio ejus 8
Totum convenit Subjecto, non huic totum Subjectum 14
Talia sunt, qualia permittuntur à Subjectis 14
Præmissæ 58
præter particula Exceptiva 55. 96
Precativa Enunciatio 9
Prima Figura 67
Ejus Regulæ ibid.
est norma Reliquarum. 68
Primario, secundario 207
Principalis causa 256
Principaliter, instrumentaliter 208
Principi an obediendum, cum jubet iniqua 512
Principia prima 234
interna, externa. 234

Privationes quomodo in Prædicamento 134. 136
Physicæ, Logicæ 123
Privativè Opposita 175
Privationis Locus 295
Privatio præsupponit Habitum *ibid.*
Prius Naturâ, Tempore 208
Probatio à priori, à posteriori 233
Probantia argumenta 449
Progressus in infinitum 236
Proportionis Analoga 108
Propositio *Major, Minor* 58
Earum Interpretatio 388
Proprium 121
nobilissimum quarti modi *ibid.*
Prout particula Restrictiva 55
Prudentia informandi 354
Pueri bonæ indolis an ad studia cogendi? 372

Q.

Qualitas *Prædicamentum* 146
Qualitas *Enunciationum* 10
Modalium 49
Quando 165
Quantitas *Prædicamentum* 141
Continua, discreta 142
Moralium 172
Quantitas *Enunciationum* 10
Modalium 10
Quatenus particula restrictiva 55, 96
Quoad particula restrict. ibid.

R.

Radicaliter 194
Ramistarum secta 302

Ratio ratiocinans & ratiocinata 210
Realiter, intentionaliter 199
per rationem 209
Realium & Nominalium ſectæ 125
Reductio
Secundæ Figuræ 70
Tertiæ 73
Reductivè; formaliter 196
Reduplicativa particula 96
Reduplicativè, Specificativè 210
Regalia 522
Relatio 152
Æquiparantiæ, disquiparantiæ 156
Secundum dici, ſecundum eſſe ibid.
Rei rationis 155
Prædicamentalis, transſcendentalis 155
an Prædicamentum rectius de Relatis, *quàm* de Relatione? 158
an Relatio peculiare Ens? 159
Relativè Oppoſita 174
Repugnantes termini 105
Reſpectivè, abſolutè 180
Reſpectus idem, diverſus 187
Reſponſio ad Syllogiſmos
Eſt varia 98
quæ artificia 461
directe vel indirectè 476
Exempla 468
quæ fraudes 539
Reſtrictiva Enunciatio 55
Rhetoricæ Amplificationes Logicis utiles 8
Rigor Logicus in Oratoriis non obſervatus 305
Ringevvaldi Cantio diſpoſita 436
Ruſticæ formulæ diſputantium 516

S.

S.

Secunda Figura 69
Semiotica 335
Senecæ locus *de Brevitate Vitæ* 403. *seqq.*
de Beneficiis 449
Sensus
literalis s. expressus, & allegoricus s. latens 443
acceptus & illatus *ibid.*
ex Usu deductus 445
eruendus per interpretationem 441
Sensuum testimonia 299
Sententiæ primo Auditorio inscriptæ 307
Separabile accidens 123
Signi universalis Synecdoche 22
stare debet in sensu distributivo 21
compensatur particulis loci vel temporis 34
non semper afficit Enunciationem 565
Simile & dissimile per Qualitatem 152
Similium Locus 286
Vid. supra de Comparatis
Simplex Conversio 39
Singula Generum 23
Singularis *Terminus* 123
Singularis *Enunciatio* 21
Situs 166
naturalis, spontaneus *ibid.*
Sleidani stylus perspicuus 387
Solus particula exclusiva 52
Sophisticæ fraudes 527
parum laudis afferunt in disputando 91
vix dignæ, ut seriam nanciscantur responsionem 92
Sorites 87

Specialia generalibus insunt 250
Species 117
Monadica 118
Specificè, Genericè 197
Specificativè, reduplicativè 210
Status & Ampliatio 15
Status Controversiæ 367
quomodo formandus? 489
Status moralis 173
Studia num cuivis Puero bonæ indolis suadenda 372
Studiositas 357
Studiosus Bonus 355
Studium complacendi 363
Styli perspicuitas 387
Subalternatio 28
Totius ad Partem 29
Numeri majoris ad minorem 29
Subalternans, Subalternata ibid.
Subjectum Enunciationis 4
collocandum in Nominativo 6
in Singulari 35
ejus determinatio 8
an ejus existentia requiratur ad veritatem? 13
tale est quale permittitur à prædicato 14
ejus consideratio multum conducit method. 370.372
Situs ejusdem ordinarius & extraordinarius 389
Regulæ de situ 390
Si adsit geminum, quod vocari debeat præcipuum. 392
potest esse quodvis vocabulum in textu 392
idque probatur è dicto Scripturæ 455. *seqq.*
Subjectum h. e. *Materia in qua* 264
Canones vide supra de adjuncto

Subjectum Majestatis 507
Subjectivè, Objectivè 205
Subsistentia 137
Substantia 136
Prima, Secunda 138
Superficies 143
Superflua non requiruntur à methodo 323
quomodo placeant quibusdam 324
non nocent 255
Suppositio *Materialis, formalis* 442
Simplex personalis ibid. accommoda 443
Suppositum 138
idem ac Subjectum 5
Syllogismus 58
quotuplex respectu materiæ & formæ 59
Regulæ Generales 60
bonus vel in forma, vel in materiâ 66
Hypotheticus 74
Copulativus 77
Disjunctivus 77
Assumptivus ac transsumptivus 80
Modalis 82
Exponibilis 83
an habeat utilitatem 84
Imperfectus 85
Demonstrativus, Topicus & Sophisticus 89
an sine hoc liceat disputare? 512
an multiplicari debeat in una disputatione 507
Syncategorematicus Terminus 103
Synecdoche signi universalis 22
Synonymum Logicum & Grammaticum 106
Synthetica methodus 327

Systema *Physicæ* 328
Ethicæ & Politicæ 331
Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ 33. *seqq.*

T.

Tabulæ Succinctæ quid prosint? 402
Taciti Oratio 417
Tempus 144
Temperantia an Civibus utilis? 502
Terminus Simplex 103
Categorematicus, Syncategorematicus 103
Objectivus, formalis 104
Convenientes, repugnantes 105
Univocus, Æquivocus, paronymus 106
Abstractus, Concretus 113
Universalis, Singularis 115. 123
prædicamentalis, Transscendentalis 132. 167
an Terminorum simplicium tractatio pertineat ad Logicam? 547
Terminus in Syllogismo 58
Medius, Major, Minor 59
quando plures quàm tres in Syllogismo? 60
Tertia Figura 71
Testimonium 297
divinum 297
naturæ rationalis 298
à Sensibus 299
à Consensu saniorum hominum 299
è demonstratione 300
Canon
Qualis testis, tale testimonium 297
Thema *Simplex* 339

Con-

Conjunctum 369. Mixtum 375
Theologiæ Syſtema ſynthetice & analytice 333
Theologica exempla Juvenibus neceſſaria 453
Therapevtica 335
Theſauri Inſcriptio 437
Thomaſii Tabulæ 402
Topica 240
ejus exercitia in probandis Sententijs 307
in Syllogiſmis 315
Topicus Syllogiſmus 315
Totius & partium Locus 90
Diviſio Totius 252
Canones. 225
Poſito toto, ponuntur partes 252
Remoto toto, removentur partes ibid.
De quo prædicatur totum, de eo prædicatur quælibet ejus pars ibid.
Qc. prædicatur de toto, prædicatur etiam de partibus 253
Tractatio poſitiva, negativa 376
Tranſcendentia 132
Tranſitus ad aliud Genus 237
Transſumptivus Syllogiſmus. 80
Tropicus Senſus 445
in Subjecto & Prædicato 129
non in Copula 130
Turcicum Imperium Topicè explicatum 349
Typicus Senſus 443

U.

Ubi *prædicamentum* 163
Verbum 15
Vera Enunciatio 11

nobi-

nobilior quam falſa 12
Veritas
neceſſaria vel contingens 12
indeterminata 12
Conditionalium 24
Disjunctivarum 25
Comparativarum 27
Modalium 49
differt à certitudine 12
Vigelii Dialectica juris 557
Violæ deſcriptio 383
Virtualiter, Formaliter 196
Ultimus Finis 260
Unicè particula excluſiva 52. 95
Univerſalis *Enunciatio* 20
in ſuppoſitione accommoda. 443
Univerſalis Terminus 115
ea doctrina habet aliqua inutilia 125
Univocus *terminus 106. Cauſa* 256
Voſſii Stylus perſpicuus 387
Uſus judicat vocabulorum ſenſum 445
Uſus ſeu Conſectaria Concionatorum 376
Ut ſic 211

FINIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

XX V.97

